28

10
2-8
23

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
2 C
26

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
17. C

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


VERBVM VITÆ
MARGARITA EVANGELICA
Siue
IESV CHRISTI D. N.
VITA
Doctrina Historiaque vniversa.
E SS. QVATVOR EVANGELIORVM
Dispoſitione concordi,
ordine temporum nouaq methodo
deſcripta & explanata.
Per
P. IOANNEM DE PARIS
Antverpienſem
e Soc.te IESV.
ANTVERPIÆ
Typis CORNELII WOONS ſub ſigno Stellæ aureæ Anno 1657.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MARGARITA EVANGELICA
SIVE
IESV CHRISTI D. N.
VITA,
DOCTRINA, HISTORIAQUE UNIVERSA
E SANCTORUM QUATUOR EUANGELIORUM
DISPOSITIONE CONCORDI,
UNA CUM RERUM PRÆCIPUARUM
IUXTA LOCORUM AC TEMPORUM SERIEM
DECLARATIONE,
COMPENDIARIO, ORDINATEQUE DESCRIPTA,

Tùm divini verbi commentationi deditis, tùm Concionatoribus accommoda,

Cum Indicibus copioſiſſimis Nominum, Rerum, & Euangelicarum lectionum, quæ Dominicis, feſtis, aliiſque diebus ex uſu Romanæ Eccleſiæ leguntur,

Per P. IOANNEM de PARIS
Antverpienſem
è Societate IESV.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESU
BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

✠

ANTVERPIÆ,
Typis CORNELII WOONS, ſub ſigno Stellæ aureæ.
M. DC. LVII.

Cum Gratia & Privilegio.

Digitized by Google

AUGUSTISSIMÆ, POTENTISSIMÆ,
CLEMENTISSMÆ
CÆLORUM REGINÆ,
DEI-HOMINIS MATRI-VIRGINI

MARIÆ

MARGARITÆ UNICÆ,
SOLIS ÆTERNI RADIIS IN ROREM VIRGINEUM CORUSCANTIBUS
FOECUNDATÆ;
OMNI NÆVO VACUÆ, OMNIUM CANDORE GRATIARUM
PLENÆ ET SUPERFLUENTI;
ARCANORUM EUANGELII MAGISTRÆ;
VIRTUTUM EVANGELICARUM SPECULO
INCOMPARABILI;
FIDEI AC SPEI FIRMAMENTO;
CHARITATIS AURO ET PURPURA DECORATO
PACIFICI SALOMONIS FERCULO,
PACIS EVANGELICÆ CONCILIATRICI;
PARADISO VOLUPTATIS,
EX QUO
NATUS EST VITÆ LUCISQUE FONS
IN QUATUOR MANANS
EVANGELISTAS;

NAVI INSTITORIS,

LONGE USQUE AB ORBE CONDITO PROMISSÆ

ET EXOPTATÆ;

QUA

DE ALTISSIMO BONORUM OCEANO

PANIS DIVINI COMMEATUS, OMNISQUE CÆLI GAZA

AD MISEROS DESCENDIT MORTALES:

QUA VICISSIM

MISERORUM VOTA MORTALIUM

DE IMO MUNDI PELAGO ET SYRTIBUS ÆRUMNOSIS

AD SUPREMUM MISERICORDIÆ PORTUM

RECTIUS, VELOCIUS, GRATIUS ASCENDUNT;

HANC IESU CHRISTI UNIGENITI DEI

SUIQUE NATI

HISTORIÆ DOCTRINÆQUE EVANGELICÆ

MARGARITAM MYSTICAM

TOTA ANIMI SUBMISSIONE

O. D. C. Q.

Digitized by Google



ADMODVM REVERENDIS, ILLVSTRISSIMIS, AMPLISSIMIS DVCATVS BRABANTIÆ ORDINIBVS

Felicitatem

IOANNES DE PARIS
è Societate IESV.

Digitized by Google

CHilonis unius de ſeptem Græciæ Sapientibus dictum eſt, admodum Reverendi, illuſtriſsimi atque ampliſsimi Domini, *Beneficij dati oblivisci decere; accepti meminiſſe*. Neque enim magni eſt animi, data magno; accepta parvo æſtimare: unde horum naſcitur oblivio, illorum recordatio. Memor igitur meritorum veſtrorum conſuetæque beneficentiæ tùm in primis erga Antuerpienſe hoc Collegium, aliaque non pauca per Belgium Ordinis noſtri domicilia, quæ cenſibus annuis veſtro munere impertitis ſublevantur; tùm erga p. m. parentem quondam meum, eique ac mihi ortu, cognatione & Chriſtianâ charitate proximos; datâ libri hujus in lucem proferendi occaſione, vobis potiſſimùm Brabantiæ Optimatibus, in debitæ obſervantiæ gratiq; animi perenne teſtimonium, & meo, & Societatis IESV nomine eum nũcupandum, dedicandumque exiſtimavi. Etenim de vita IESV Hiſtoria eſt, doctrinaque eius divina, compendioſiùs quàm antehac è quatuor Euangeliſtis, ordine temporis quoad ſcire fas eſt, pro mea tenuitate digeſta atque adornata. *Margarita* eſt pretioſa,

Laert. lib. 1. cap. 5.

S. Euangelij dignitas.

ſic

Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventâ autem unâ pretioſâ margaritâ, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Matth. 13. 45.

ſic eam Chriſto indigitante, unionibus omnibus & lapillis Indicis longè nobilior. Hanc enim non è maris ſinu, ſed de cæleſti Ioan. 1. 18. ſolio *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris,* in mundum deportare, ac mortalibus elargiri dignatus eſt. Nec verò tantummodò maris terræque divitijs antecellit; verùm ſi huic de Chriſto hiſtoriæ, his admirandis arcaniſque myſterijs, his documentis, monitis atque præceptis, omnium Philoſophorum dogmata, omnium Hiſtoricorum monumenta, omneſque jam inde à principio humani generis ſcripti ſcribendique libri conferantur; de his univerſis rectè dici poterit Sap. 7. 9. illud Sapientis: *Arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur.* Hæc enim ſola à Chriſto Domino, divinoque ejus ore, omnis ſapientiæ fonte emanavit, dataque eſt hominibus unica ad beatam æternitatem via. Rectè Prov. 8. 11. ergo in Proverbiorum libro aſſeritur: *Melior eſt Sapientia cunctis pretioſiſſimis: & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.*

Margarita & Euangelij pretium & dotes.

Comparatur nihilominus ab ipſo veritatis Auctore *Margaritæ pretioſæ*, propterea quod nihil in hoc univerſo æquè carum atque excellens ducitur, cui cæleſtis doctrina, ut à nobis aliquatenus cognoſcatur, aptiùs aſſimi-

aſſimilari queat. Sic enim de ea Plinius: *Principium & culmen omnium rerum pretij margaritæ tenent.* Lib. 9. cap. 35. Subdit deinde, eas, quaſi cælitus natæ eſſent, cælo tantummodò gaudere: cæliq́ue majorem eis ſocietatem eſſe, quàm maris; grandes quippe rore cæleſti evadere; denique omnem earum dotem *conſiſtere in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere.* Hæc porrò omnia ſacri Euangelij ſymbola eſſe, quis ambigat? Ubi enim clariùs elucet caſtitatis & innocentiæ candor? Ubi heroica animi magnitudo? Ubi quidquid in orbe terrarum cæliq́ue ambitu verè eximium eſt, comprehenditur? Ubi modeſtiæ & manſuetudinis lævor atque dulcedo? Ubi denique (ut cum Apoſtolo loquar) *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus* 2. Cor. 4. 17. ac pretium, præterquam in Euangelij theſauro, in Chriſto cruci affixo, ejuſq́ue amore & imitatione vſquam gentium reperitur? Et hæc de Euangelicæ Margaritæ pretio.

Quod ſi ampliùs divinam ejus medicandi virtutem inveſtigare lubet; iſtam quoque quaſi adumbratam cernimus in lutea mundi margarita. Hanc ſiquidem ferunt naturalium rerum indagatores, corda hominum, vitaleſq́ue ſpiritus roborare, venenis, Anſelm. Boetius de gemmis lib. 2. c. 37. *Margaritæ medicandi vis. Major Euangelij.*

venenis,morbis peſtilentibus atque humorum putredini reſiſtere; melancholicos affectus pellere; oculis lippientibus prodeſſe, nervos denique & cerebrum, rationis domicilium,confirmare. Præclara equidem & magna ſunt iſta: verùm ſi cum Euangelio ejuſque doctrina,virtute,gratia, eorumque Auctore conferantur; modica omninò alia cuncta & exilia eſſe comperiemus. Etenim ſola hæc animo,meliori hominis parti, & aliquando corpori vitam optimam,ſanitatem integram beatamque immortalitatem præſtare poſſunt. Chriſtus unus cæleſtis eſt Medicus, corporum atque animorum Conditor & Salvator; ipſe medicamen &

Ioan.7. 37. ſalus, *reſurrectio & vita.* Clamat ipſe in medio tot tantiſque cupiditatum ac vitiorum febribus æſtuantium mortalium: *Si quis ſitit* (Euangelij nimirum, gratiæque ſalutares aquas) *veniat ad me, & bibat.* Abſque illis nihil proſunt terræ fontes & medicamenta, nihil lapides pretioſi,nihil omnes vel maximi valoris margaritæ. Exemplo ſit Cleo-

Cleopatra. Plin.lib. 9.c.35. patra Ægypti regina. Bibit hæc olim margaritam unicam aceto liquatam,centum & amplius aureorum millibus æſtimatam: Ecquis non reputet maleſanam hanc mu-

lierem,

lierem, nec minus opum quàm pudoris, & vitæ prodigam? Nam neque tanti impendij poculo ſpiritum aut mentem hauſit ſaniorem. Enimverò quod priùs fuerat, permanſit ad extremum, haud ſanè aliud, quàm vanitatis atque ambitionis ludibrium, libidinum fax, diræque mortis trophæum. Quanto melior Euangelij Margarita eſt? Chriſto ſiquidem propinante, (ut Samaritanas atque adulteras prætercam) bibit Magdalene ad Salvatoris ſui pedes, ex divini fontis eloquio, amoris caſti unionem, calentibus lacrymarum rivis imbutum; & ecce tibi repentè de inquinata vitijs muliere, margaritâ candidiorem, à noxis expiatam, à dæmonibus liberam, & mox Angelorum delitium, Chriſtique redivivi, ante ipſos etiam Apoſtolos, ſalutaribus radijs illuſtratam. *Magdalene.*

Hæc eſt illa ſuperni oceani Margarita; fides, inquam, Euangelij, germanaque Religio, mille abhinc annis & ſuprà, ſummorum Pontificum auctoritate, ac ſanctorum Antiſtitum, quales Amandi, Eligij, Willebrordi, operâ, ſudore, ſanguine ad Belgas uſque & Brabantiam noſtram delata. Hæc, quam primi illi pręclariique Brabantię Du- *Euangelium Belgis prædicatum.*

Molanus in Natal. SS. Belgij 21. Februarij.

ces Pipini, fidei protectores, patreſque harum potiſsimùm provinciarum nuncupati, ac poſt eos longa poſterorum ſeries, opibus, viribus, armis, corporum denique ſuorum oppoſitu, contra Eccleſiæ hoſtes, & fortiter tutati ſunt, & longè lateque per Europam diſſeminarunt. Hanc ipſam Auſtriaci tandem Heroes, Cæſares magnanimi, Reges Catholici, alijque Belgij Principes, pace belloque inclyti, Maximiliani, Caroli, Philippi, Alberti, Iſabellæ (uti ad hunc diem Rex noſter potentiſſimus, Religionis Catholicæ æquè ac regnorum ampliſſimorum vindex & propugnator) non modò ſimul cum imperio amplexati ſunt & conſervarunt, verùm & per barbaras quoque ac remotiſſimas orbis regiones propagarunt, Deoque auſpice in perpetuum conſervabunt atque propagabunt. Hanc denique vos ipſi, patriæ columina, quos Religio & in Deum pietas; quos majorum ſtemmata, quos in armis togaque præſtantia; quos virtuti comes doctrina, rerumque uſus & prudentia, Brabantiæ Ordinibus jure præpoſuit; vos, inquam, medias inter hæreticorum turbas, inter diuturnas bellorum undique ſævientium pro-

cellas,

Digitized by Google

cellas, rerumque humanarum Euripos ac viciſſitudines ſaluam atque incolumem, non ſine divini Numinis ope & providentia, pro veſtro munere, reique Catholicæ ſtudio, cuſtodire tuerique non dubitatis.

Accipite igitur, Præſules admodum Reverendi, viri genere & ſapientiâ clariſſimi, hanc cæli Sapientiam, & qualem-qualem laborem hunc meum; imò non meum, ſed Chriſti labores plurimos, dicta, geſta, tolerataque prò ſalute noſtra; librum mole exiguum, ſed pretio grandem æqui bonique conſulite. Hic enim cunctis inter vitæ hujus ſcopulos tenebraſque navigantibus lucerna eſt & Pharus, quo vitæ noſtræ curſus dirigendus. Vita Chriſti eſt, qui vera ad vitam via eſt, vitæque Auctor. Scientia Sanctorum eſt, ſine qua reliquæ omnes vanæ ſunt & inanes ſcientiæ. Neque enim fallitur D. Auguſtinus, dum ſic Chriſtum compellando exclamat: *Infelix homo, qui ſcit illa omnia, te autem neſcit: beatus autem, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat! Qui verò te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi cognoſcens te ſicut Deum glorificet.* Chriſtus nobis in ſacro Euangelij codice exhibitus, in rebus omnibus unus eſt atque omnia.

Scientia & fides Euangelica ad ſalutem neceſſaria.

Lib. 5. Confeſſ. cap. 4.

Extra illum nequidquam per creata bona vagamur & erramus; incaſsùm aliunde opem poſcimus, fruſtraque alibi malorum noſtrorum levamentum quærimus. Sic enim non ego, ſed mellifluus Bernardus unumquemq; noſtrûm ad Chriſtum invitat atque allectat: *Quid quæris*, inquit, *quod in illo non invenias? Si ægrotus es, medicus eſt. Si exulas, dux eſt. Si deſolatus es, Rex eſt. Si impugnaris, pugil eſt. Si ſitis, potus eſt. Si alges, veſtimentum eſt. Si triſtaris, gaudium eſt. Si obtenebraris, lux eſt. Si orphanus es, pater eſt.* &c. Subdit poſtremùm: *Omnia, quæ velle potes, & debes, eſt Dominus* IESVS *Chriſtus. Deſidera hunc, require hunc: quia hæc eſt illa una pretioſa* MARGARITA, *pro qua emenda, etiam vendenda ſunt omnia quæ tua ſunt; quâ habitâ nullius tempeſtatis procellam timebis.* Ab illo ergo vero ſummoque bono vobis, Præſules, Proceres, Virique ampliſſimi, auxilij, favoris gratiæque incrementa votis omnibus opto ac flagito, quibus aliquando poſt pacis optatæ tranquillitatem vitæque hujus proſperæ ac diuturnæ felicem tranſitum, ad æternæ ſalutis portum feliciſſimè aſpiretis.

In Vite Myſtica cap. 22.

AD

AD LECTOREM.

NUmquam mihi vel in mentem venit, Amice Lector, Scholia aut Notationes in ſacra Euangelia ſcribere, nedum in lucem edere. Neque enim (quod & ſupervacaneum fortè, & ſupra vires meas rectè videri poſſit) tantum mihi ſumo, ut poſt tot præclara veterum ac recentium Auctorum in hoc genere ſcripta & lucubrationes, novum aliquid moliri cogitem. Unum omninò mihi propoſitum fuit, vitam Chriſti hiſtoriamque Euangelicam è quatuor Euangeliſtis contextam compendioſè atque ordine temporis deſcribere: quod neque ab antiquis, neque à modernis Scriptoribus præſtitum reperire potui. Cùm verò hîc non pauca obſcuriùs dicta, dubia multa & controverſa occurrerent, horum causâ elucidandorum, annotare quoque quamplurima neceſſe fuit; quæ non à me profecta, ſed ex antiquis SS. Patrum & recentioribus ſcriptis; atque in primis ex Cornelij à Lapide, Profeſſoris olim mei, ex Franc. Lucæ, Ianſenij, Toleti, Maldonati, Barradij, aliorumque præcipuis in S. Euangelium commentarijs, ut viſa fuêre veriora aut probabiliora, Deo ſecundante delegi.

Ad hoc porrò tentandum non una me ratio permovit. Occurrebat quippe vel maximè, Sanctorum Chriſti ſectatorum, in cælo regnantium hiſtorias, tam ſedulò atque operosè ſcriptas, & etiamnum in dies conſcribi; vitam verò Chriſti (qui ſanctitatis omnis fons eſt, ac Sanctis omnibus via, veritas & vita) ſummatim ex ipſo Euangelio, ordinatéque digeſtam minimè reperiri. Non deſunt quidem Meditationum libri, in quibus præcipua de vita ac Paſſione Domini myſteria explanantur; doctrina verò Euangelica rerum geſtarum ſeries & ordo, plurimaque alia deſiderantur. Nota paſſim eſt Ludolphi Carthuſiani, viri docti ac religioſi,

gioſi, jam à trecentis abhinc annis, de vita Chriſti ſcripta hiſtoria; ſed hæc volumen amplum eſt, nec tam hiſtoria, quàm commentarius meritò cenſeri debet. Denique in manibus eſt Ianſenij Gandavenſis Epiſcopi, doctrinâ & virtute præſtantiſſimi, abſoluta prorſus, atque omnium laudibus celebrata Concordia. Verùm & hæc ipſa tùm commentario conſtat non modico, tùm narratione prolixâ, notiſque plurimis diſtinctâ, adeoque accuratâ, ut non niſi ſtudio & labore comprehendi poſſit. Fatendum eſt igitur in his quidem, atque id genus fuſis vaſtiſque doctiſſimorum Interpretum operibus, acta Chriſti Domini, velut margaritas immenſi maris ſinibus, contineri. Ego verò cùm non tam ſcientiæ, quàm Chriſtianæ pietatis exercitationi opportunam, facilem atque obviam de Chriſto hiſtoriam optarem, quæ nimirum continuo narrationis filo texeretur; ipſe mihi potiſſimùm ex ſacro quatuor Euangeliſtarum codice enchiridion ſeu manualem librum de vita doctrinaque Chriſti concinnavi. Atque ut brevis eſſem & perſpicuus, quatuor tantummodò primis in hac Concordia uſus ſum characteribus, totidem Euangeliſtarum indicibus: ad ſingula deinde ſingulorum capitum argumenta quot & quinam Euangeliſtæ rem quamque referant, expoſui. In ipſo demum contextu illius ut plurimùm uſus ſum verbis, qui rem præ ceteris clariùs, aut pluribus adjunctis circumſtantijs recenſet. Si quæ verò commodè in textu ipſo ordinari nequeunt, ea in margine annotata, uti & reliqua omnia paucis declarata reperiuntur. Genealogiam tamen Chriſti, quia ad hiſtoriam ſpectat, ejuſque exordium eſt, nec parùm difficilis & controverſa, pluribus in limine proſecutus ſum.

Noverit itaque Lector, hiſtoriam hîc Euangelicam univer-

Google

univerſam, doctrinamque Chriſti integram reperiri, ne circumſtantiâ quidem alicujus momenti (quod quidem ſciam) prætermiſsâ. Nullum autem auctorem nominatim ſtudui in compendium redigere, ſed textum ipſum quatuor Euangeliſtarum, breviori ac lucidiori quàm antehac ordine diſpoſitum, in unam narrationem contexere, omiſſis ijs quæ alius ſubinde Euangeliſta ijſdem aut ſimilibus verbis exponit. Ceterùm non ſuperfluum aut infructuoſum hunc meum laborem eſſe putavi. Primùm enim hac narrationis methodo, admiranda vitæ Chriſti myſteria, tùm opera humanis majora, tùm dicta ejus divina ac virtutum perfectiſſimarum exempla, diſtinctè claraque in luce propoſita, quaſi in oculos menteſque hominum videntur incurrere.

Ad hæc Concionatoribus non inutilis erit hic labor; cùm in manuali Epitome univerſæ per annum occurrentes Euangelicæ lectiones, quæ non rarò ab Euangeliſtis ſupplendæ ſunt; uti & Paſſio Chriſti Domini, ceteraque omnia poſt mortem ac reſurrectionem geſta, plenè ordinatimque diſpoſita, facilè nulláque moleſtiâ aut ſtudio inveniantur.

Denique meditationibus non minùs quotidianis ſubſervire poterit hæc Euangelica Enarratio. Vel ipſa enim Sacræ Scripturæ verba plus ponderis habere conſtat ad permovendos animos, quàm ab alijs auctoribus ſcriptas Meditationes. Iuvat hiſtoriæ magis expreſſa & clarior notitia, locique rei geſtæ in mente conſtructio. Nec verò difficile eſt ex ipſo textu ac litterali ſenſu pleniùs percepto, moralia documenta (quibus pleni ſunt omnes Meditationum libri) deducere. Hanc autem brevem ad Meditandum viam etiam S. P. N. Ignatius in Exercitiorum ſpiritualium libro nobis deſignare viſus eſt, dum vitæ Domini noſtri IESU Chriſti myſteria pauculis Sacri Euangelij verbis, breviqúe rerum

expoſitione, in capita Meditationum diſtinguit. Et hæc quidem propoſita mihi fuêre in hac Epitome in meum propriè uſum conſcribenda. Cùm verò pluribus eruditis ac ſapientibus viris, quibus & aſſentiri me & obſequi juſtum eſt, haud inutilis viſus fuiſſet hic meus qualiſcumque conatus, nolui ultrà latentem ſub modio lucernam relinquere. Chriſti namque ac Sacri Euangelij lucerna eſt, palàm & ſuper candelabrum exponenda, ut luceat omnibus in caliginoſo mundi loco. Quòd ſi aliunde vel modicæ ſcintilla lucis accedit, hanc equidem non à me prodijſſe fatendum eſt, ſed à Scriptoribus optimis, atque in primis *à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum*, cui ſoli omnis honor & gloria.

Matth. 5.
2.Pet. 1.
Iac. 1.

SUMMA PRIVILEGII.

PHILIPPUS Dei Gratiâ Rex Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ, utriuſque Siciliæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Comes Flandriæ, Artheſiæ, &c. Diplomate ſuo ſanxit, ne quis citra voluntatem CORNELII WOONS Typograph. Antverpienſ. *Margaritam Euangelicam per P. Ioannem de Paris è Societate* IESU ſacerdotem conſcriptam proximo ſexennio imprimat, alibíve impreſſam in haſce ditiones invehat, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & aliâ gravi pœnâ multabitur, ut latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, die 2. Decembris 1656.

Signat

LOYENS.

Digitized by Google

FACULTAS
R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS SOCIETATIS IESU.

EGo THOMAS DEKENS Præpoſitus Provincialis Societatis IESU in Provincia Flandro-Belgica, poteſtate ad id mihi factâ ab admodum R.P.N. Præpoſito Generali GOSWINO NICKEL, facultatem concedo, ut P. IOANNIS de PARIS Societatis noſtræ Sacerdotis liber, inſcriptus *Margarita Euangelica, ſive IESV Chriſti D. N. vita, è quatuor Euangeliorum diſpoſitione concordi, unà cum rerum præcipuarum, juxta locorum ac temporum ſeriem, declaratione, compendiariò ordinateque deſcripta*, trium è Societate noſtra Theologorum judicio approbatus, typis excudatur. In cujus rei fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi Antverpiæ 28. Octobris 1656.

Thomas Dekens.

APPROBATIO CENSORIS.

EGo infraſcriptus, hanc P. IOANNIS de PARIS, Soc. IESV Sacerdotis *Margaritam Euangelicam, ſeu Chriſti D. N. Vitam, ex quatuor Euangeliorum concordi diſpoſitione, unà cum præcipuarum rerum juxta locorum temporumque ſeriem declaratione*; novâ methodo, nec minus piè eruditeq;, quàm compendiariò ordinateque deſcriptam, ab eruditiſſimis viris approbatam commendatamque, approbo commendoque, tamquam utilem omnibus, atque in primis divini verbi commentationi deditis, æquè ut Concionatoribus accommodam futuram. Ideoque digniſſimam judico, quæ typis, imò potius omnium Chriſti amatorum animis pectoribuſque imprimatur, Antverpiæ 31. Oct. 1656.

CHRISTIANVS VOOCHTS S. Th. L.
Archidiaconus & Canonicus
Antverpienſis Lib. Cenſor.

Digitized by Google

PROOEMIVM
IN EUANGELICAM HISTORIAM.
CAPUT I.

Quatuor Euangeliorum dignitas, ſcriptio & ordo.

DE S. Euangelij dignitate, cùm ſole clarior ſit, nihil opus eſt dicere. *Euangelia enim Chriſti* (ut ait S. Baſilius in exord. Ioannis) *ipſum nobis repræſentant quaſi ſpirantem, docentem, mira patrantem, dira patientem.* Quocirca S. Auguſtin. in principio de conſenſ. Euang. alijque Patres Scripturis omnibus Euangelium præferunt. Unde idem S. Doctor tract. 30. in Ioan. tantâ reverentiâ, cùm recitatur, audiendum eſſe affirmat, quantâ Chriſtum ipſum: quod S. Antonium, Baſilium, Franciſcum, pluresque Sanctos feciſſe conſtat.

S. Matthæus.

Ut ergo de SS. Euangeliſtis pauca dicam: Matthæus è prædivite Publicano, quin & Capharnai Publicanorum principe (ut ait Metaphraſtes in ejus vita) Chriſti ſectator & Apoſtolus, natione Galilæus fuit, patriâ verò Cananæus. Nulla porrò illuſtrior quàm Matthæi vocatio: nec tam admiranda fuit apud cives ejus, aquæ in vinum, quàm algentis Publicani in Chriſti mores & amores converſio.

Hic primus Euangelij ſcriptor fuit, anno poſt Chriſtum natum 41. ut Baronius & alij cenſent; gentibus nimirùm jam ad Eccleſiam lintei oſtento, divinoque monitu, oſtio reſerato; nec multò antè quàm Apoſtoli mundum ſibi dividerent Euangelicâ luce illuſtrandum atque innovandum. Unde non tantùm Bartholomæum Indos aditurum, ſed & Barnabam ad gentes iter parantem Hebraicum Matthæi Euangelium, manu ſuâ deſcriptum ſecum detuliſſe, corpuſque ejus

unà

Digitized by Google

unà cum ſacro Euangelio pectori ejus appoſito, tempore Zenonis Imperatoris repertum Nicephorus lib. 16. cap. 37. alijque tùm Græci, tùm Latini Hiſtorici certâ aſſertione teſtantur.

Poſt Matthæum (ait Epiphan. Hæreſ. 51.) *ſecutus eſt Marcus, juſſus à S. Petro Romæ Euangelium edere: & ubi ſcripſiſſet, mittitur à Petro in Ægyptiorum regionem.* Cujus autem nationis, & quo munere functus fuerit D. Marcus, exponit Beda in procemio ſuper Marcum, ubi aſſerit, *eum fuiſſe natione Hebræum, & genere ſacerdotali progenitum, unumque ex illis fuiſſe ſacerdotibus, qui poſt Aſcenſionem crediderunt Domino, de quibus Lucas ait Act. 6. Multa turba ſacerdotum obediebat fidei.* Ita Ven. Beda. Idem alij tenent, qui à Petro eum in Euangelio genitum ſcribunt, nec vidiſſe Chriſtum, ut Hieron. de Scriptt. Eccleſ. & Theodoret. in præfat. Hiſtoriæ SS. Patrum, alijque plurimi ſcripsêre: inter quos Euſebius lib. 3. Hiſt. cap. ult. qui & obſervat, ordinem rerum geſtarum à Marco non ſervatum, dum ſic ait: *Marcus, qui fuit interpres Petri, quæcumque tenebat memoriâ, ſcripſit quidem accuratè, ſed tamen non eo ordine, quo erant à Domino dicta factáve. Neque enim à Domino audierat ille quidem, neque erat eum comitatus: ſed poſteà comes Petri fuit: qui quidem non Domini ſermones & præcepta, eâ narrandi ſerie, quam Dominus in illis tradendis tenuiſſet, dicebat; ſed eam in prædicando rationem ſequebatur, quam ad auditorum animos inſtituendos opportunam accommodatamq; cenſuit.* Hactenus Euſebius; ex quibus patet S. Marcum non fuiſſe è numero 72. diſcipulorum, ut quidam opinati ſunt.

S. Marcus.

Romæ inſuper à Marco ſcriptum Euangelium, antequam Alexandriam proficiſceretur, poſt annum decimum à Paſſione Domini docet Euthymius in præfat. ſuper Matth. & alij. Ceterùm quæ fuerit cauſa Euangelium hoc edendi, notatur à S. Hieronymo ſuprà, & à

Clemente Alexand. in Epiſt. Petri, quæ reperitur tom. 6. Bibliothecæ, ubi ſic ait: *Marcus Petri ſectator, prædicante Petro Euangelium palàm Romæ coram quibuſdam Cæſareanis equitibus, & multa Chriſti teſtimonia proferente, petitus ab eis, ut poſſent, quæ dicebantur, memoriæ commendare; ſcripſit ex his, quæ à Petro dicta ſunt, Euangelium, quod ſecundùm Marcum vocatur.*

Denique quod ad idioma attinet hujus Euangelij, cùm omnium ſententia conſtet illud Romæ ſcriptum eſſe, Romano potius ſermone, quàm Græco editum fuiſſe exiſtimandum eſt. Ijs enim temporibus, Tiberij Imperatoris auctoritate (ut habet Suetonius) Græca lingua apud Optimates jam exoleverat. Et in hanc ſententiam Gregorius quoque Nazianzenus in Carmine de quatuor Euangeliſtis, & Græci ac Syri auctores propendent, ut notat in Chron. Genebrardus. Traditione tamen fertur, Marcum, quod Romæ Euangelium ſcripſerat Latinè, cùm Aquileiæ moraretur, in Græcùm convertiſſe. Ita Petrus de Natal. urbis illius Epiſcopus in Catal. lib. 4. cap. 86.

S. Lucas.

Anno Chriſti 58. poſt Matthæum & Marcum Euangelium ſuum ſcripſit D. Lucas, ut Baronius alijque computant. Græco autem ſermone uſum fuiſſe communiter Doctores exiſtimant. In Græciæ enim regionibus, Achaiæ nimirum & Bæotiæ, Paulo exhortante eum ſcripſiſſe, tradit S. Hieron. in præfat. Comment. ſuper Matth. Scriptionis porrò ejus hæc fuit occaſio: Cùm per Græciam id temporis multi vagarentur pſeudoapoſtoli & pſeudoſcriptores, ut docet Apoſtolus ad Titum 1. cap. quos ibidem *vaniloquos & ſeductores* appellat; horum causâ, quod multa de Chriſto mentirentur, Lucas exarandi Euangelij anſam arripuit, uti & ipſe in præfatione ſua ad Theophilum inſinuat.

Quod ad genus ac patriam hujus Euangeliſtæ attinet,

Digitized by Google

net, nobili ſtirpe ortum & copioſum fuiſſe perhibent Ribadineira & alij. Antiochiæ verò natum, ac medicandi, pingendique ſtudio vacaſſe, ex Apoſtolo ad Coloſſ. 4. & traditione compertum eſt. Et iſtis quidem artibus dediſſe operam non lucri, ſed honeſtæ exercitationis causâ, putandum eſt.

Ab his functionibus, & corporum cura ad animarum bonum atque ſalutem vocatum fuiſſe Lucam non à Chriſto Domino; ſed Apoſtolorum diſcipulum fuiſſe, certioribus liquet argumentis. Hæc enim veterum Scriptorum conſtans aſſertio eſt, nempe Irenæi lib. 3. cap. 12. Tertull. lib. 4. contra Marcion. Hieronymi in Iſa. cap. 65. Et hoc ipſum ex præfatione ejus prædicta non obſcurè colligitur. Igitur non à Chriſto, ſed à D. Paulo magiſtro ſuo, ceteriſque Apoſtolis Euangelicam doctrinam hauſit. Quod verò longè maximum eſt, ab ipſa Dei Matre & Virgine, ipſe quoque Lucas perpetuæ virginitatis cultor, caſta atque arcana Incarnationis Verbi, Viſitationis Eliſabethæ, Nativitatis Chriſti, Circumciſionis, aliaque Myſteria, Mariæ potiſſimùm cognita accepiſſe creditur. Hinc à nonnullis Deiparæ à ſecretis, ac Virginis Euangeliſta appellatur. Ita Vinc. Regius in prooem. Lucæ, & alij.

Noviſſimus Euangelij ſcriptor S. Ioannes, Zebedæi & Salomes filius, de vilis prædæ piſcatore unionum, hoc eſt animarum piſcator creatus eſt. Nempe & ipſe pretioſa erat margarita, quam Chriſtus inter ceteros Apoſtolos è mari Galilææ, verbi ſui potentiâ attraxerat. Quare eum ob corporis animique candorem atque integritatem, præ omnibus diſcipulis in primis charum habuit. Hinc Ioannes non tantùm indiviſus Chriſti comes lateri ejus adhæſit; ſed & in ſinu ejus inter cænandum recubuit, ibidemque, uti & in Thabor, Oliveti & Calvariæ montibus, arcanorum Dei particeps S. Ioannes.

ceps

Digitized by Google

ceps fuit. In Calvaria porrò ſanctiſſimam quoque ipſius Dei Matrem & ipſe in matrem accepit. Hîc demum morientem mundi vitam, atque ex divini cordis fonte patefacto, ſalutis noſtræ pretium, ſanguinem & aquam manantem oculis ac mente contemplari meruit.

An. Dom. 99. Baron. Fr. Coriol. A Lapide in Acta.

Tandem poſt res maximas, & miracula grandia patrata, poſt labores plurimos exantlatos, poſt exilium, flagra, toxica, oleique ab igne æſtuantis balnea fortiter ſuperata, circa annum Domini 99. Epheſi, cælo tonante, ac cæleſtibus flammis coruſcante (quippe tonitrui filius) divinitus acceptum Euangelium Græco idiomate exaravit.

Cauſam porrò ſcribendi S. Hieron. de Script. Eccleſ. Irenæus lib. 3. cap. 11. Epiphan. hæreſ. 51. alijque paſſim antiqui Scriptores, hanc notant; ut falſa hæreticorum dogmata, id temporis enaſcentia, Cherinti potiſſimùm atque Ebionis confutaret. Hi nempè Chriſtum merum eſſe hominem, ex Ioſepho & Maria genitum aſſeverabant. Quocirca Ioannes ab æterna Chriſti ex Patre cæleſti nativitate, Euangelium exorditur; ac deinceps totus in Divinitate ejus aſtruenda verſatur. Inſuper ipſe ſolus geſta Domini ante vincula Ioannis Baptiſtæ, quæ ab alijs Euangeliſtis prætermiſſa, ſupplet atque perſequitur, ut paſſim Interpretes obſervant.

Irenæus lib. 5. in fine.

Ad ultimum divinus hic Euangeliſta ex omnibus Apoſtolis ſolus ſuperſtes, quaſi fidelium omnium pater & Patriarcha, Eccleſiæque univerſæ Atlas relictus, cùm fidem ac religionem per Aſiam vel maximè, auctoritate, ſapientiâ & ſanctitate ſuâ propagaſſet atque firmaſſet, jam grandævus, plenuſque dierum ac meritorum, in Epheſina urbe vivere deſinens, ad vitam immortalem, aquilæ inſtar cæleſtis evolavit.

CAPUT II.

Euangeliorum concors diaphonia.

EX ſuperiori capite conſtat, Euangeliſtas varijs temporibus, locis, occaſionibus Euangelium ſcripſiſſe, neque in unum conſpiraſſe, ut plenam de vita Chriſti hiſtoriam enarrarent. Innumerabilia enim ab eo geſta ſunt, quæ nec libris, nec verbis, nec mentibus hominum comprehendi poſſunt. Id quippe D. Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cæna recubuerat & arcanorum ejus conſcius erat, in fine Euangelij ſui manifeſtè declarat. Hoc igitur unum omnium Euangeliſtarum propoſitum fuit, ut præcipua quædam de ortu, geſtis, miraculis, morte ac reſurrectione Domini myſteria conſcriberent, quibus eum non merum hominem, ſed Dei quoque, Deoque æqualem filium, verum atque unicum Meſſiam & mundi Salvatorem in Sacris Scripturis promiſſum, hominibus manifeſtarent. Unde ſequitur, mirum adeò non eſſe, eos in plurimarum rerum narratione ordinem temporis non ſervare; rem unam non ijſdem circumſtantijs ab omnibus recenſeri; quod ab uno prætermiſſum eſt, ab alio referri; quin & in ſcriptis eorum (quæ tamen in rebus eſſe non poteſt) diſcrepantiam non uno loco reperiri. Exempli causâ: Matthæus in principio, Ioſeph B. Virginis ſponſum, filium Iacob nominat; quem tamen Lucas cap. 3. Heli eſſe affirmat. Apud Matthæum cap. 10. virgæ ſeu baculi uſus Apoſtolis prohibetur; apud Marcum verò cap. 6. eadem præcepta Domini referentem, virga geſtari permittitur. Matthæus itidem cap. 17. poſt dies ſex; Lucas verò cap. 9. poſt dies octo, Chriſtum in monte transfiguratum aſſerunt; alia multa his ſimilia ſunt, quorum brevis explicatio & convenientia ſuis

 locis

locis annotatur. Unde patet rectè dici in ſacris Euangelijs diſcordem eſſe concordiam & quaſi diſſonam harmoniam, ut docent paſſim Interpretes. Nam licet verbis diſpares ſint, ſenſu tamen & reipſa concordant. Quocirca inter ſe conferendi ſunt, dum plures Euangeliſtæ idem referunt, & ſicubi contrarium dicere videntur, conciliandi.

A Lapide & alij.

Nec verò fructu ſuo caret hæc inter Euangelicos Scriptores verborum diſparitas. Nam *hæc ipſa* (ut ait S. Chryſoſt. præfat. in Matthæum) *maximum eſt teſtimonium veritatis. Si enim ex toto, & in omnibus conſonarent, & cum nimia diligentia atque cura, uſque ad tempora & loca omnia, uſque ad ſingula æqualiter verba concurrerent; nemo inimicus credidiſſet unquam, quin illi communi ad decipiendum conſilio congregati, quaſi ex humana quadam conſpiratione Euangelium condidiſſent: non enim ſimplicitatis, tam ſolicitam conſonantiam indicarent. Nunc verò quæ videtur in rebus exiguis diſſonantia, ab omni illos ſuſpicione defendit, & ſatis clarè exiſtimationem ſcribentium tuetur.* Sic D. Chryſoſt. Ex quibus apparet, non ſine ſingulari Numinis providentia, reperiri in ſanctiſſimo Scripturarum omnium codice, verborum diaphoniam, atque ex adverſo rerum omnium concentum & concordiam. Exhibetur hæc breviter & perſpicuè (ni fallor) vel in hoc totius vitæ Chriſti, atque Euangelicæ doctrinæ promptuario, in quo cuncta ordinatè diſpoſita, & quæ dubia, paucis declarata; vt hæc voluens atque expendens lector, abſque ſtudio & labore (quo in fuſis commentarijs perlegendis opus eſt) hauriat aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Iſa. 12.

CAPUT

CAPUT III.

De anno natiuitatis, prædicationis, & mortis Chriſti Domini.

CUm ex SS. Euangeliſtis nihil de his annis exploratum habeamus, ſequor in hoc compendio communem præcipuorum auctorum ſententiam, quæ & Euangelio conſentanea eſt, & ratione nititur, nec minus SS. Patrum ac recentiorum Interpretum auctoritate firmatur, videlicet:

1. Chriſtum Dominum ſalutis noſtræ cauſâ natum eſſe anno Auguſti Imperatoris ab inito triumviratu 41. à nece autem Cæſaris 42.

2. Baptizatum eſſe, ac prædicationis munus inchoaſſe anno vitæ ſuæ 31. per tredecim dies incepto, qui fuit Tiberij Cæſaris decimus quintus, vt habet S. Lucas. Denique mortem crucis obiiſſe annos natum triginta tres, ac tres menſes, Tiberij anno decimo octavo.

Probatur hæc ſententia 1. quod ad baptiſmum Chriſti ſpectat, de quo potiſſimùm diſceptatur, quia illa S. Lucæ verba, cap. 3. v. 23. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta* (quo tempore & Ioannes Præcurſoris officium, & Chriſtus Doctoris mundi, Legiſlatoris, ac Salvatoris munus auſpicatus eſt) rectè ſic explicantur, ut baptizatus fuerit paucis diebus poſt impletum trigeſimum annum: cùm ſic verè dici potuerit incepiſſe eſſe quaſi annorum triginta, illis videlicet iam per dies aliquot expletis. Neque enim particula, quaſi, indicat aliquid hiſce annis deeſſe, ut ex multis Scripturæ locis patet. Nam Ioannis 1. dicitur de Chriſto: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Et Matth. 15. dicuntur manducaſſe quatuor millia hominum; Marci

Baron. Suar. in 3. p. & alij.

Digitized by Google

autem 8. dicuntur quaſi quatuor millia. Inſuper hæc Lucæ verba non pauci Interpretes hoc modo diſtinguunt atque intelligunt: *Et ipſe Ieſus erat quaſi annorum triginta, incipiens*, ſeu cùm inciperet munus, ad quod à Patre miſſus erat. nam in Græco textu poſtponitur vox incipiens, vid. ἀρχόμενος. Verùm ſive dividatur participium hoc ab annis, ſive non, eadem manet interpretatio, vt ſenſus ſit: Chriſtus cùm cœpit ſe mundo manifeſtare, incipiebat eſſe triginta plus minus annorum. Ita exponit Titus Epiſcopus: *Chriſtus* (inquit) *triginta plus minus annos natus accedit ad baptiſma*. Exactis igitur triginta annis, aut æquè, aut paulò minus, aut paulò plus, tum verè incipiebat dici eſſe quaſi triginta annorum.

Porrò nulla ratio patitur, vt Chriſtus baptizatus dicatur ad finem anni trigeſimi; cùm conſtet de die baptiſmi, nempe ſexta Ianuarij, vt antiqui PP. & ipſa Eccleſia profitetur. Igitur vel oportuit eum baptizatum eſſe initio anni trigeſimi, per dies tredecim inchoati, vt multi ſentiunt; vel ipſo trigeſimo anno à tredecim diebus finito: quod non minus verbis Euangeliſtæ, & magis veritati conſentaneum videtur. Hæc enim ætas virilis (vt ait Franc. Lucas, & paſſim Interpretes) perfectiſſima eſt, & ad quævis viro digna opera apta, nullum relinquens illi calumniæ locum, quæ adoleſcentiam facilè contemnat. Siquidem in veteri lege ante hanc ætatem, nemini ſacerdotis, doctoris, aut prophetæ officio fungi licebat, vt & Hebræi tradunt, & ex 1. Paralip. cap. 23. v. 3. colligi poteſt.

Hanc opinionem ſecuti ſunt PP. antiqui, & magnæ auctoritatis; inter quos eſt D. Chryſoſt. hom. 10. in Matth. cui accedit Euthym. in Matth. 3. *Poſt triginta annos* (ait Chryſoſt.) *Chriſtus venit ad baptiſmum*. Complures verò Græcorum idem tenuiſſe, argumento eſt

Canon

Canon ab illis ſtatutus, quo hæc deſcripta habentur in libro Can. Græc. Can. 20. *Si quis triginta ætatis annos non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamſi valdè ſit dignus: quia & ipſe Dominus trigeſimo anno baptizatus eſt, & ſic cœpit docere.* Idem ſentit D. Bernardus ſerm. 1. de Epiphania, ubi ſic aſſerit: *Cùm Chriſtus iam triginta annorum tempus exegiſſet in carne, inter populares turbas ad baptiſmum Ioannis venit.* De eodem Chriſti anno, quo aquis Iordanis baptizatus eſt, & ſimul de vltimo vitæ ejus, quo proprio ſanguine baptizari voluit, vnus omnium inſtar audiendus eſt S. Ignatius, proximus ætati Chriſti; imò qui eâdem vixit ætate, qui & Chriſtum poſt reſurrectionem in carne ſe vidiſſe teſtatur, ſcribens ad Polycarpum. Hic, inquam, qui ignorare non potuit, quo potiſſimùm ætatis anno Chriſtus fuerit baptizatus & paſſus, ſcribit hoc modo in Epiſt. ad Trallianos: *Expletis trium annorum decadibus verè baptizatus eſt à Ioanne.* Et mox ſubdit: *Et ubi triennium prædicavit Euangelium, ſigna & prodigia patravit; à falſis Iudæis & præſide Pilato judicatus eſt.* Citatur hic locus à D. Hieronymo cap. 16. de Scriptt. Eccleſiaſt. Et hanc veram eſſe, germanamque è Græco interpretationem, quæ ijſdem verbis continetur in Bibliotheca SS. PP. tom. 1. affirmat Baronius in Apparatu ad Annales; additque, contra tam patens apertumque de ætate Chriſti, S. Ignatij teſtimonium, neminem vel mutire, nedum refragari jure debere. Denique his omnibus Ven. Beda ejuſdem Ignatij ſectator non immeritò addendus eſt, qui libro de ratione temporum, cap. 45. ſic ait: *Habet enim (ni fallor) Eccleſiæ fides, Dominum in carne paulò plus quàm triginta tribus annis uſque ad ſua tempora paſſionis vixiſſe; quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, ſicut Euangeliſta Lucas teſtatur.* Et paulò pòſt ſubjungit: *Sancta ſiquidem Romana & Apoſtolica Eccleſia hanc ſe fidem tenere, & ipſis teſta-*

Martin. Epiſcopus Bracharenſ. Can. Græcor. 20.

teſtatur indiculis, quæ ſuis in cereis annuatim ſcribere ſolet.

Hæc igitur verior, & jure ceteris præferenda videtur ſententia, Romanæ Eccleſiæ uſu, majorum traditione, S. Ignatij, & complurium tùm Latinorum, tùm Græcorum auctorum adſtipulatione ſatis ſuperque ſtabilita; baptizatum videlicet Chriſtum Dominum anno ætatis ſuæ trigeſimo per tredecim dies exacto; paſsum verò anno trigeſimo tertio abſoluto, & menſe tertio. Ita aſſerit, fuſiuſque probat Baronius in Apparatu, ac deinceps in vitæ Chriſti decurſu. Ita Bellarm. in Chronol. & Corn. à Lapide in Chronotaxi ad Euang.

CAPUT IV.

De Chriſti genealogia ex Matthæo & Luca, verbo quidem & in ſpeciem, non tamen re ipſa inter ſe diſsidentibus; & primùm ex Matthæi c. 1. v. 16.

Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt IESVS.

CUm hoc caput de Genealogia, ad Hiſtoriam de vita Chriſti in primis pertineat, ejuſque exordium ſit, ac plurimum habeat difficultatis, adeò ut paucis explicari nequeat; viſum fuit accuratiùs & fuſiùs, ac ſeparatim utrumque Matthæi & Lucæ locum, in principio exponere.

Pro vtriuſque autem intelligentia *Nota* 1. Cùm ex ſacris Scripturis certiſſimè conſtet, Chriſtum verâ naturali generatione fuiſſe de tribu Iuda, filiumque Davidis; Mariam quoque, ex qua ſola, Spiritus ſancti operâ, conceptus fuit Chriſtus, Davidis filiam fuiſſe, neceſſe eſt. Inſuper & S. Ioſephum, patrem Chriſti nuncupatum, ex

ex tribu Iuda,familiaque Davidis ortum fuiſſe, teſtantur Euangeliſtæ,& Angelus ipſe Matth. 1. v. 20. De his tribus, quæ fide tenenda ſunt, nulla eſt diſceptatio.

Nota 2. omninò probabile eſſe, B. Virginem per maternam lineam, & conſequenter Chriſtum Dominum aliqua ex parte originem quoque duxiſſe ex tribu ſacerdotali ſeu Levitica. Ita D. Thomas qu. 31. art. 3. ad 3. Bonav. in 4. d. 30. art. 1. qu. 2. Nazianz. in Carmine de Genealog. Salvatoris, Hilar.can.1.in Matth. Ambroſ.lib. 3.in Luc. Ita & Suarez qu.27.art.1.diſp.2.ſect.3.

Nota 3.utrique Euangeliſtæ propoſitum fuiſſe, deſcribere veram ac naturalem Chriſti Genealogiam. Hanc enim aſſerunt Scripturæ & PP. & hanc ſe exponere præfatur, ac profitetur ipſe S. Matthæus primis Euangelij verbis: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij David.* Quocirca dici non poteſt hanc Matthæi Genealogiam ſolius eſſe Ioſephi. Hæc enim quorumdam opinio non obſcurè ipſi Euangeliſtæ adverſatur, conteſtanti à ſe enarrari catalogum majorum, & librum generationis ac ſanguinis Iesv Chriſti, quem à Davide per Salomonem Matthæus deducit.

Hæc cùm ita ſe habeant, gravis oritur controverſia, cur nihilominùs Matthæus Chriſti genus ad Ioſeph deflectat, quem conſtat non fuiſſe naturalem Chriſti parentem. Huic quæſtioni veteres Theologi uno ore reſpondent, Ioſeph & Mariam Chriſti Matrem eiuſdem fuiſſe tribus atque familiæ; itaque dum Joſephi genealogia recenſetur, Mariæ quoque, ac proinde Chriſti Domini genus recenſeri. Ita Irenæus lib. 3. cap. 18. Tertull. lib. contra Judæos, Athanaſ. in Epiſt. contra Epictetum, & adverſus hæreticos, Hieron. in Matthæum, alijque non pauci.

Probatur hæc reſponſio, quia cùm eſſet proles unica & heres Maria, iuxta legem non aliter nubere poterat,

quàm

quàm eiuſdem tribus ac familiæ viro. Lex enim Num. 36. v. 7. ſic habet : *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua : & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient : ut hereditas permaneat in familiis.* Quæ legis verba non de omnibus quidem mulieribus intelligenda ſunt, ſed de ijs tantummodò, quæ cùm fratres non haberent, in hereditatem ſuccedebant. Tunc enim non licebat illis alterius tribus aut familiæ viris nubere, ne paterna hereditas in aliam tribum, familiámve devolveretur. Unde in Hebraico textu ſic clariùs dicitur: *Omnis filia heres hereditatis ex tribubus filiorum Iſraël, uni ex familia tribus patris ſui erit in uxorem; ut poſſideant filij Iſraël unuſquiſque hereditatem patrum ſuorum.* Ex hac autem lege Mariam Ioſepho nupſiſſe, S. Hilar. in Matth. 1. alijque PP. affirmant: nec ſolùm ſponte, verùm etiam neceſſitate ejuſdem legis, Ioſepho traditam fuiſſe, tamquam maximè omnium propinquo, docent cum S. Hieron. lib. 1. Comment. in Matth. & Gloſſa Ord. alij complures. Quod & S. Bonavent. in Luc. 3. notat his verbis : *S. Ioſeph lege tenebatur eam accipere propinquam. Cujus etiam ſignum eſt, quod ſimul in Bethlehem cenſeantur. Et ideo generationis ſeries unius pertinet etiam ad alterum.* Cùm autem vulgò notiſſimum eſſet, ambos non modò ex eadem tribu, ſed ex eadem quoque familia eſſe; non adeò mirum eſt, Euangeliſtas hujus rei non meminiſſe.

Ex his patet quidem Matthæum, dum Ioſeph originem ex Salomone ac Davide deducit, Mariæ pariter, Chriſtique Domini proſapiam ex eiſdem deducere. Manet tamen dubium, cur per Ioſephi potius progenitores, quàm per Mariæ parentes genealogiam Chriſti contexat, cùm (ut dictum eſt) Joſeph non ſit naturalis Chriſti parens, ſed ſola Virgo Deipara. Huic dubio reſpondent communiter PP. & Interpretes.

1. Non

1. Non fuiſſe moris Hebræorum, neque Scripturæ ſacræ, generationum ſeriem ſeu viri, ſeu fœminæ, per fœminas texere, ſed per viros. Cùm igitur B. Virgo virum habuerit legitimum, qui & vulgò, famâque publicâ pater Chriſti credebatur, per ipſum utique, & non per Virginem Matrem ejus ſtemma deſcribendum erat. Alioquin ſi id per Mariam deſcribere voluiſſet Euangeliſta, dicendum fuiſſet: Mathan autem genuit Annam. Anna autem genuit Mariam. Maria autem genuit Ieſum. Quod cùm ex Scripturæ & Iudæorum more dicere non liceret, à Mathan communi Virginis ac Ioſephi avo, & Chriſti proavo deſcendit ad S. Annæ fratrem, videlicet Iacob, hujuſque filium Ioſeph, virum Mariæ, ſimul & conſobrinum ejuſdem: quorum conſanguinitatem hoc ſcribendi modo inſinuat Matthæus. Cùm enim ab initio præfatus fuiſſet, ſe texere catalogum progenitorum IESU, deſcendatque nihilominùs ad Ioſeph, qui non fuit genitor Chriſti; mox deflectendo ad Mariam, ex qua natum ait IESUM, haud obſcurè indicat, Ioſephum jure propinquitatis eſſe Mariæ conjugem, unamque & eandem eſſe utriuſque propaginem; aliàs non ſcriberet proſapiam IESU, ſed Ioſephi, nec præſtaret quod promiſerat. Rurſum hac loquendi forma, *Virum Mariæ de qua natus eſt IESVS*, abſtinendoque à verbo, *genuit*, quo prius ubique fuerat uſus, innuit, non aliter Ioſephum ad hanc Chriſti genealogiam pertinere, quàm ratione conjugis Mariæ, quæ ſine viri opera Chriſti genitrix eſt. Ac ne quis ſecus forſan opinaretur, continuò pòſt ſubdit modum conceptionis ejus, dicens: *Chriſti autem generatio ſic erat, &c.*

2. Ioſephi progenies neceſſariò recenſenda fuit, tùm ad ſatisfaciendum Iudæis, ne videri poſſet eis data occaſio rejiciendi IESU, neque agnoſcendi pro Chriſto; tùm

tùm ad oſtendendum verum ac legitimum B. Virginis cum Ioſepho matrimonium; tùm denique quia ſanctiſſimo Ioſeph hic honos tamquam Matris Dei conjugi, Chriſtique famâ publicâ parenti,.jure debebatur. Huc accedit, quod, cùm vir mulieris ſit caput, & uxor ad mariti familiam, etſi priùs alterius fuerit, per connubium tranſeat; non debuerit nupta mulier, viro prætermiſſo, in generationis ſeriem aſſumi. Unde infert Cajetanus hoc loco; Si Matthæus per Mariam & Ioachimum Chriſti originem enarraſſet, duplex ei opus aſſumendum fuiſſe; nimirum Genealogiam B. Virginis texendi, ac Genealogiam Ioſeph, quæ neutiquam erat omittenda.

3. Iure optimo Ioſephi parens & proavi in Chriſti quoque proſapia nominantur: quia Ioſeph non tantùm vulgi opinione, ſed verus fuit ac legitimus Chriſti pater, nec immeritò ſic appellatur, ut docent Suarez qu. 29. art. 2. diſp. 8. ſect. 1. Franc. Lucas, Cornelius à Lapide, & indicat S. Auguſtinus, quia Chriſtus fuit fructus conjugij Ioſephi & Mariæ: natus enim in utriuſque conjugio utrique jure adſcribendus eſt tamquam patri & matri. Ratio à priori eſt, quia S. Ioſeph per matrimonium, corporis B. Virginis quaſi dominus effectus eſt: ergo & fructus corporis B. Virginis, puta Chriſtus, ad Ioſephum pertinuit, uti metalla nata in agro, quamvis etiam ſupernaturaliter naſcerentur, ad dominum agri pertinent. Quibus addit Suarez, virum & uxorem per matrimonij vinculum effici quodammodò unum: nam licet per carnalem copulam veriùs efficiantur una caro; tamen per vinculum ipſum efficiuntur unum cor, una voluntas; quin & jure ipſo, etſi non re, una caro. Unde fit, ut bona habeant quodammodò communia, ita, ut quod eſt ſub unius dominio & poteſtate, ad alterum ex conſequenti aliquo modo pertineat.

Digitized by Google

tineat. Quia ergo B. Virgo vera fuit Mater Chriſti, non potuit Ioſeph verus ejus ſponſus rationem parentis non participare, carnali ſemper generatione exceptâ. Ex qua radice ortum eſt, ut B. Ioſeph aliquo modo fuerit caput & ſuperior B. Virginis, & Chriſti ut hominis. Ita Suarez & alij. Ob has rationes quidam exiſtimant, Ioſephum jus quoque habuiſſe ſtrictiſſimum ad Chriſti Genealogiam, ex quò ſine injuria excludi non potuerit. Unde Euangeliſta Matthæus à Spiritu ſancto edoctus, eum illo honore privare noluit, ut docet Laurent. de Aponte.

Ex dictis ſequitur S. Ioſephum habuiſſe jus paternum in Chriſtum, puta omnia jura, quæ habent patres in filios; & viciſſim Chriſtum habuiſſe erga Ioſephum jus filiale, puta omnia jura, quæ habent filij reſpectu parentum; ac conſequenter jus quoque regni Iudaici poſt mortem Ioſeph. non enim per B. Mariam, ſed per Ioſeph Chriſtus fuit heres ſceptri & ſolij Davidis, prout Deus Davidi promiſerat 2. Reg. 7. 11. 3. Reg. 9. 5. & Pſ. 88. Sceptrum ergò Iuda non tantùm ex Dei promiſſione & donatione, ſed etiam jure hereditario ſucceſſionis per Ioſeph devenit ad IESUM. Unde Matth. 2. ajunt Magi: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Quod cùm demonſtrare vellet S. Matthæus, (ut ait S. Auguſtinus) præ ceteris Euangeliſtis regiam Chriſti dignitatem perſequitur: unde progenitores quoque Ioſeph recenſet tamquam ſceptri Davidici heredis. Nam Beata Virgo, viro ſuperſtite ex Davide & regibus prognato, regni heres eſſe non poterat. Ita Cornelius à Lapide, Franciſcus Lucas, & alij opinantur.

Demum ut intelligatur Matthæus verè & primariò deſcribere ſeriem progenitorum, ex quibus non tantùm S. Ioſeph, ſed & Chriſtus naturaliter ortus eſt, quod

intendit, & profitetur; dicendum eſt, quòd tempore Chriſti paſſim notum fuerit, Mathan fuiſſe communem avum tam B. Virginis quàm Ioſephi: Iacob verò (qui fuit filius Mathan, & pater Joſephi) fuiſſe fratrem S. Annæ Matris Deiparæ. Fuerunt igitur Ioſeph ac Maria ex eodem avo, atque ex fratre & ſorore; Joſeph nimirum ex Iacob, Maria ex Anna geniti. Ejuſmodi enim inter conſobrinos matrimonia frequentia fuêre apud Judæos, lege ea permittente, ut ex Scriptura patet. Hinc collige, dum in hac Genealogia Iacob, & Ioſeph, ille nimirum filius, hic nepos Mathan, ponuntur loco Annæ & Mariæ, quarum prior quoque filia, altera Mathani neptis fuit; Matthæum à recenſendis Mariæ & IESU progenitoribus, non amplius recedere quàm neceſſe erat ad hoc, ut ex cauſis urgentibus loco Mariæ recenſeretur Ioſeph. Præter hunc enim, & patrem ejus Iacob, omnes qui in hac majorum ſerie enumerantur, veri ac proprij fuêre progenitores, ex quibus naturaliter proceſſerunt Maria & IESUS. Ita Conel. à Lapide in Luc. 3. & Tirinus in Chronico cap. 46. qui pro hac ſententia citant Menologium, ſive Officium Eccleſiaſt. Græcorum, Cajetanum & Lyranum; item Ioannem Annium in Comment. Philonis, Ioannem Lucidum lib. 2. de emendat. temp. cap. 9. & lib. 7. cap. 1. & Petrum Galatinum de arcanis fidei lib. 7. cap. 12.

CAPUT V.

Genealogia Chriſti ex *Luc. 3. cap. v. 23.*

Ipſe IESVS erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioſeph, qui fuit Heli.

ALtera hîc occurrit non levis, & jam olim ab antiquis Patribus agitata quæſtio; quo nimirum pacto

ɑ̃o Matthæus Ioſeph filium Iacob, Lucas verò Heli filium dixerint. Et communis quidem uſitatuſque hujus ſolvendæ difficultatis modus eſt, ut intelligatur Ioſeph duos habuiſſe patres, unum ſcilicet naturalem, à quo genitus ſit, alterum verò legalem, cui ex legis præcepto adoptatus fuerit. Juxta quam opinionem Ieſca (quam alij Eſtham vocant) nupſit Mathat, ex Davide per Nathan deſcendenti, ex eoque genuit Heli: deinde eadem viro ſuo orbata, nupſit Mathan, ex eodem Davide per Salomonem prognato, ex eoque genuit Iacob. Porrò Heli mortuus eſt ſine liberis: quare ejus uxorem, juxta legem Deuteron. 25. v. 5. accepit frater ejus uterinus Iacob, ex eaque genuit Joſeph, qui proinde duos habuit patres, alterum quidem naturalem Iacob, de quo Matthæus; alterum verò legalem Heli, de quo ſcribit Lucas. Qui enim fratris ſui ſine liberis mortui uxorem duxerat, fratri ſemen ſuſcitare dicebatur. Unde fiebat ut duo fratres cenſerentur patres unius ejuſdemque filij. Quâ ratione conciliantur ambo Euangeliſtæ. Ita veteres paſſim, quorum princeps eſt Africanus in Epiſtola ad Ariſtidem, S. Ambroſ. in Luc. 3. S. Hieron. in Matth. Euſeb. lib. 1. Hiſt. cap. 7. Niceph. lib. 1. cap. 11. Nazianz. in carm. de Genealog. Auguſtin. lib. 2. retract. cap. 7. 12. & 55. Damaſcen. lib. 4. de fide, cap. 15. Quibus additur omnibus antiquior S. Iuſtinus Martyr, qu. 131. ad gentes. Verùm hic tractatus non eſt Iuſtini, ut probat Bellarmin. de Script. Eccleſ. Et alij omnes ſecuti ſunt Africanum; qui aſſerit ſe hanc opinionem etiam à Chriſti conſanguineis accepiſſe.

Ut legalis hæc Genealogia ad Chriſtum perducatur, Damaſcenus tres primas ſupplet generationes, videlicet: Levi genuit Pantherem, hic Barpantherem, hic Ioachim patrem B. Virginis, avumque Chriſti. Levi igitur hîc duo filij tribuuntur, Mathat pater Heli, qui dicitur

dicitur pater legalis Ioſephi; & Panther proavus B. Virginis. Iuxta hanc autem deſcriptionem S. Ioſeph & Maria erunt in quarto gradu cognationis non naturalis, ſed legalis: quia Ioſeph aſſeritur legalis filius Heli, nepos Mathat, & pronepos Levi, qui ponitur abavus naturalis B. Virginis.

Verùm obſervandum eſt, hanc hiſtoriam, quam ex Africani Epiſtola referunt Euſebius & Nicephorus ſuprà, non conſonare Euangelio, ut docet Suarez: ipſi enim dicunt Melchi genuiſſe Heli; Lucas verò inter Melchi & Heli ponit Levi & Mathat: ita ut Melchi genuerit Levi, Levi Mathat, hic Heli. Imò in hiſtoria Damaſceni alius manifeſtus eſt error: ibi enim dicitur Melchi filius Levi, cùm tamen Lucas è contrario Levi dicat eſſe filium Melchi. Ab alijs quoque ſuprà citatis Patribus, atque à S. Thoma qu. 31. art. 3. Melchi ponitur pro Mathat. Hi & alij errores notantur à Suarez qu. 27. art. 1. diſp. 2. ſect. 3. & à Ianſenio in Concord. cap. 14.

Damaſcenus ſuprà, ut eſt in Breviario Rom. 20. die Martij.

Unde infertur ab ijſdem auctoribus, hanc expoſitionem non eſſe certam neque ſolidam, cùm non conveniat Euangelio, neque auctores ſibi conſtent, qui neque hanc opinionem ſimpliciter affirmant, ſed eo modo, quo ab Africano tradita eſt. Hic verò interpretationem ſuam concludit his verbis: *Sive res ita ſe habeat, ſive alio modo, ita exiſtimandum eſt, quamvis certum deſit teſtimonium, ob id, quòd clarior & verior expoſitio proferri non poteſt.* Itaque non ſunt fundati in certa aliqua hiſtoria vel traditione. Ipſe quoque S. Hieronymus rem ut dubiam & incertam relinquit: & S. Auguſtinus ſæpiùs ſententiam mutavit, ut patet ex ejus libris, & refert Tolet. in Luc. 3. Annotat. 56. Solùm ergo videtur illa expoſitio probabiliter tradita. Nihil autem obſtat, ut aliqua expoſitio à poſterioribus inventa, ſi facilior & ex-

peditior

Digitized by Google

peditior appareat, præferatur. Ita Suarez ſuprà. Idem ſentit Chriſtophorus de Caſtro in hiſtoria Deiparæ cap. 1. num. 7. & Barrad. tom. 1. lib. 5. cap. 30.

Proinde alter planior & probabilior modus Euangeliſtas conciliandi hic videtur; ſi dicamus Ioſephum naturalem filium Iacob (ut ait Matthæus) fuiſſe quoque Heli (ut ait Lucas) non filium propriè dictum, ſed generum. Heli enim idem eſt quod Ioachim pater B. Virginis, qui etiam Ioſephi lege conjugali pater vocari poteſt. Nam cùm vir & uxor ſint unum, eandemque repræſentent perſonam, utriuſque cenſetur unus pater, & una mater. Ita more loquendi recepto, generi filij dicuntur ſocerorum, ac ſoceri patres generorum. Et ſic rectè exponi poteſt Lucas, dicens: *Qui fuit Heli.* His enim verbis dum perpetuò utitur, abſtinendo à verbo, genuit, oſtendit ſe non ubique intelligere naturalem generationem. Unde deveniendo tandem ad Adam, ſimiliter dixit: *Qui fuit Dei*; cùm tamen Adam non fuerit propriè Dei filius.

Porrò Heli, contractâ more Syriaco voce, idem eſſe quod Eliachim, ſeu Ioachim, patet ex Scriptura. Sic enim Ioachim Rex Iuda vocatur Eliachim 4. Reg. 23. 34. & 2. Paralipom. 36. 4. & ſummus Pontifex, qui Iudith 4. v. 5. & 11. vocatur Eliachim, poſteà cap. 15. dicitur Ioachim. Ita docent non pauci auctores linguæ Hebraicæ peritiſſimi, & plerique Theologi, atque Interpretes mox citandi.

Ab iiſdem auctoribus paulò aliter, ſed æquè commodè hæc ſententia exponitur; nimirum dicendo Lucam his verbis, *Qui fuit Heli*, non de Ioſeph, ſed de Chriſto loqui, ut vult Auguſtin. in lib. Quæſt. vet. & novi Teſtamenti, qu. 56. Optimè enim intelligitur, illud relativum, *qui*, non referre Ioſeph, ſed Chriſtum, qui dicitur fuiſſe Heli, non quidem filius, ſed nepos.

Cùm

Cùm enim Euangeliſta ex profeſſo ſermonem de Chriſto haberet, & ſolùm per occaſionem nominaſſet Ioſeph; non eſt credibile totam ſequentem Genealogiam ad Ioſeph, & non potius ad ipſum Chriſtum retuliſſe; ita ut verba illa, *ut putabatur, filius Ioſeph*, per parentheſin intelligantur. Quæ conſtructio verè quadrat cum Græco textu, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, ὑὸς ἰωσὴφ, τοῦ ἠλὶ quaſi dicat, exiſtens filius viri nomine Ioſeph, vulgi ſcilicet opinione & famâ publicâ, ſed non reverà; quia cùm patrem non haberet, ſolâ Matre Virgine mediâ, filius erat Heli, ſeu Ioachimi avi ſui. Cùm enim S. Lucas patrem IESU nominare non poſſet, niſi exiſtimatum, matris verò nollet mentionem facere, immediatè à IESU tranſcendit ad avum. Veriſimile quippe non eſt Euangeliſtas omiſiſſe propriam ac naturalem Chriſti generationem, quæ per Virginem, ejuſque patrem deſcribenda erat.

Sicut ergo Matthæus texit Genealogiam B. Virginis, ejuſque Filij per Matrem S. Annam, quæ fuit ſoror Iacob, & filia Mathan, quæ nupſit Heli, ſive Ioachimo, ex eoque genuit B. Mariam: ita Lucas texit eam per patrem, puta per Heli ſeu Ioachim; ut oſtendatur Chriſtum tam per paternam, quàm per maternam lineam deſcendere ex ſemine Davidis, non legaliter, ſed naturaliter, juxta Scripturæ aſſertionem. Ita hunc locum D. Lucæ exponunt in Comment. in 3. p. D. Thomæ, Suarez, Nazarius, Bartholom. Medina, Raphaël Averſa. Item Hurtado de Mendoza diſp. 8[illegible]. ſubſect. 4. Item Ioannes Annius in Comment. Philonis, Ioannes Lucidus, & Galatinus ſuprà, Chriſtophorus de Caſtro in hiſtor. Diparæ cap. 1. num. 7. Genebrardus in Chron. Melchior Canus de locis Theolog. lib. 11. cap. 5. Ioannes Driedo lib. 3. dogmat. tract. 3. cap. 5. parte 4. Caniſ. lib. 1. de Beata Virgine. His adde ſequentes

Inter-

Interpretes in Matth. 1. & Luc. 3. Ianſen. in Concord. cap. 14. Vincentium Regium Dilucidatt. Euangelicarum libro 1. cap. 3. Theor. 3. Ariam Montanum, Franciſcum Lucam, Emmanuelem Sa, Cornelium à Lapide, Tirinum ſuprà, Angelum del Pas, Barradium, Didacum Stella, Gagneum, Palatium, Petrum Morales, Corder. in Caten. in Lucam. Horum plerique prædictam Lucæ expoſitionem amplectuntur; reliqui probabilem cenſent. Contrà verò Heli patrem fuiſſe legalem Ioſephi juxta antiquam Africani & PP. ſuprà citatorum ſententiam, cenſent Baron. Vaſquez in 3. part. Tolet. in Luc. Maldonat. in Matth. alijque cum D. Thoma qu. 31.

Eligat Lector utram mavult opinionem in re adeò obſcura & controverſa. Poſterior tamen, ut patet, recentioribus communior eſt, & probabilior videtur.

In Arborem Genealogicam Chriſti
Nota,
Iuxta Cornelium à Lapide & alios.

IN arbore hic delineata totius Genealogiæ Chriſti, & cognatorum ejus ſeriem, gradumque intueri licet.

1. Vides in ea B. Virginem per matrem S. Annam avumq; ſuum maternũ Mathan, progenitã ex Salomone, æquè ac progenitus eſt Ioſeph; per patrem verò Heli, ſive Ioachim ortam ex Nathan Salomonis fratre.

2. Ex ea liquet S. Annam fuiſſe ſororem Iacob, & amitam Ioſephi; ideoque B. Virginem per matrem Annam, & Ioſephum per patrem Iacob eundem habere avum Mathan, eoſdemque ceteros proavos uſque ad Salomonem & Davidem: quare Matthæum, dum texit Genealogiam Ioſephi per Iacob & Mathan, texere quoque Genealogiam Mariæ & Chriſti, qui per matrem & aviam S. Annam rectà ex iiſdem progenitoribus oriundus eſt.

3. Cleopham (qui alio nomine Alphæus dicebatur) fratrem fuiſſe S. Ioſeph diſertè docet Hegeſippus, qui ſub tempora Apoſtolorum vixit, apud Euſebium lib. 3. cap. 10. & 16. Cleophæ verò ut patri filios hîc recenſitos attribuunt S. Epiphan. S. Chryſoſt. Hegeſippus, Euſeb. & alij. Vide A Lapide, & infrà cap. 206.

4. Salomen fuiſſe uxorem Zebedæi, ex eoq; genuiſſe Iacobum majorem, & Ioannem Euangeliſtam, docent S. Epiph. Orig. & Theod. De quibus vide & Bellarm. lib. 1. de 7. verbis cap. 8. & Ianſen. cap. 143. qui dicit veteres omnes Græcos ac Latinos prædictis aſſentiri.

5. In eadem arbore vides Eliſabetham fuiſſe conſobrinam B. Virginis ac neptem S. Annæ ex ejus ſorore Sobe: rurſum S. Iacobum minorem, ejuſque fratres fuiſſe conſobrinos Chriſti in primo gradu; Iacobum verò majorem & Ioannem Euangeliſtam, ejus fuiſſe conſobrinos in ſecundo gradu.

6. Nota, Simeonem Iacobi minoris fratrem diverſum eſſe à Simone Cananæo Apoſtolo; nam ille oriundus fuit ex Nazareth, hic ex Cana Galilææ; ille fuit Epiſcopus Ieroſolymæ poſt Jacobum fratrem ſuum, hic Apoſtolus; ille martyr occubuit ſub Traiano 18. Februarij, hic longè anterius 28. Octobris, quando Eccleſia eorum feſta celebrat. Simeon ergo hic Cleophæ filius, ſive Simon (idem enim nomen eſt) non fuit Apoſtolus, ſed duo alij fratres ejus, Iacobus minor, & Iudas Thaddæus. Hi porrò quatuor fratres, Chriſti patrueles, ex more Hebræorum fratres Domini in Euangelio appellantur. Denique Ioſeph hic fuit ex numero 72. diſcipulorum, putaturque is eſſe de quo agitur in Martyrologio 20. Iulij, de quo & Baron. in notis ibidem.

Digitized by Google

ARBOR GENEALOGIÆ COMPENDIARIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI *ex Math et Luc*



EGREDIETVR VIRGA DE RADICE IESSE. ET FLOS DE RADICE EIVS ASCENDET. *Isa. 11.*

HISTORIA EVANGELICA
VITÆ
CHRISTI
IN SEX PARTES DISTINCTA.

I. PARS.

Infantia, adoleſcentia, & iuventus Chriſti Domini;

NImirum acta Chriſti à conceptione uſque ad annum ejus duodecimũ, & deinceps; quo tẽpore delituit, fabrilem artem exercens, uſque ad annum trigeſimum completum, quando à Ioanne baptizatus eſt 6. die Ianuarij.

II. PARS.

Virilis Chriſti ætas per tres menſes;

VIdelicet acta ejus à baptiſmo uſque ad proximum Paſcha; id eſt, ab initio Ianuarij anni trigeſimi primi ætatis Chriſti uſque ad 25. Martij ejuſdem anni.

III. PARS.

Annus primus Prædicationis Chriſti,

COntinens acta ejus à primo Paſchate poſt baptiſmum uſque ad Paſcha ſecundum, videlicet acta à die 25. Martij anni 31. Chriſti, uſque ad finem Martij anni ejus 32.

IV. PARS.

Annus ſecundus Prædicationis Chriſti,

COntinens acta à 2. Paſchate poſt baptiſmum uſque ad 3. nimirum à fine Martij anni 32. Chriſti uſque ad finem Martij anni 33.

V. PARS.

V. PARS.

Annus tertius Prædicationis Chriſti,

COmprehendens acta ejuſdem à 3. Paſchate uſque ad inſtans Paſcha 4. videlicet uſque ad ſuſcitationem Lazari: hoc eſt acta Chriſti à fine Martij anni ejus 33. uſque ad initium Martij anni 34.

VI. PARS.

Annus quartus Prædicationis Chriſti, Paſsionis & Reſurrectionis,

COmplectens acta ejus à ſuſcitatione Lazari uſque ad aſcenſum in cælum.

In ſacri Euangelij contextu

a littera	S. Matthæum	}	deſignat.
b	S. Marcum	}	
c	S. Lucam	}	
d	S. Ioannem	}	

PSALMO 18. V. 6.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum:

Et ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo,

Exultavit ut gigas ad currendam viam:

A ſummo cælo egreſſio eius:

Et occurſus eius uſque ad ſummum eius:

Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

EPinicia hæc magnifica, de Chriſto, à primo ſuo in mundum ingreſſu uſque ad peregrinationis ſuæ metam, tamquam in ſtadio curſum ſuum glorioſè conſummante, intelligunt ſaltem in allegorico ſenſu, SS. Patres tàm Græci, quàm Latini, quibus Eccleſia quoque in divino Officio conſonat. In Chriſto enim verò ſole & luce mundi, veluti tabernaculum ac domicilium ſuum poſuit Deus. Atque ipſe è paterno ſolio *proceſſit ad nos* (ut ait S. Auguſtinus) *veniens in ipſum primum virginalem uterum, ubi ei nupſit humana creatura caro mortalis, ne ſemper eſſet mortalis; & inde velut ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam. Non enim tardavit, ſed cucurrit, clamans dictis, factis, morte, vita, deſcenſu, aſcenſu: clamans ut redeamus ad eum.*

Lib. 4. Confeſſ. cap. 12.

I. PARS.

I. PARS.

HISTORIÆ EUANGELICÆ.

IESV CHRISTI

DOMINI NOSTRI

Nativitas, infantia, adololeſcentia & juventus, nimirum vita ejus abdita, & ferè in arte fabrili tranſacta, uſque ad annum trigeſimum completum, quando à Ioanne baptizatus eſt.

Sancti Euangelij præfatio.

Luc. 1. *v.* 1.

QUONIAM quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt, rerum: ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime * Theophile, ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

CAPUT

* Theophilus *hic fuit vir nobilis & primarius Antiochiæ, qui à S. Petro ad Chriſtum converſus, domum ſuam in Eccleſiam conſecrari voluit, in qua S. Petrus conventus Chriſtianorum agens, primam ſuam cathedram poſuit, ut refert S. Clemens Romanus lib.* 10. *Recogn. cap. ult. Videtur ergo S. Lucas Antiochenus Medicus & pictor ad Theophilum civem ſuum hæc ſcripſiſſe. Ita Baron. Franc. Lucas, A Lapide, Maldon.*

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

1. *S. Ioannes aquilinâ mentis acie Verbi divinitatem contemplatur, deſcribitque prioribus tribus pronunciatis; primò quidem Verbi æternitatem; deinde ejuſdem ac Patris perſonalem diſtinctionem; poſtremò unam eandemque utriuſque eſſentiam.*

2. *Exponit infinitam Verbi potentiam ac ſapientiam, quæ omnia è nihilo condidit & creavit.*

3. *Immenſam ejus bonitatem & miſericordiam denotat: Verbum enim vera eſt, cæleſtis æternaque vita, & lux ſpiritualis, mundum peccatis perditum, jam inde à primo Adami lapſu viviſicans atque illuminans.*

4. *Denique in hunc finem aſſerit, Verbum ipſum divinum humanam induiſſe naturam; ut homines redimeret, ac per gratiam ſuam in Dei filios adoptaret.* Joan. 1. cap. v. 1. & ſeqq.

* IN princi- 1
pio erat
Verbum,

* IN principio &c. *Quaſi dicat, In principio rerum creatarum Verbum non eſt factum, ſed jam erat, quaſi ante omne principium creaturæ ſemper & ab æterno exiſtens. Ita Baſil. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius & alij. Nota S. Ioannem (ut ait S. Hieronymus de Scriptt. Eccleſ.) ſcripſiſſe adverſus* Cerinthum *alioſque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerebant Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: unde compulſus eſt divinam ejus nativitatem edicere hiſce verbis*, In principio erat Verbum. *vid. Longiſſimè ante Mariam & ante omnes res creatas erat Chriſtus, quoad divinam attinet naturam. Sic enim tota æternitate prior, antiquiorque eſt matre ſua ſanctiſſima. Vnde S. Ioannes quater repetit τὸ erat, quod perennitatem innuit, ut obſervant Baſilius, Ambroſius, & Ven. Beda, qui ſic ait :* Ideo quater dicit Euangeliſta, erat, erat, erat, erat; ut intelligeres omnia tempora præveniſſe coæternum Patri Verbum.

* Verbum, & Verbum erat a-
pud Deum, & Deus erat Ver-
2 bum. Hoc erat in principio a-
pud Deum. Omnia per ipſum
facta ſunt: & ſine ipſo factum
eſt nihil, quod factum eſt, * in
ipſo vita erat, & vita erat lux
3 hominum: & lux in tenebris
lucet, & tenebræ eam non
comprehenderunt. Fuit homo
miſſus à Deo, cui nomen erat
Ioannes. Hic venit in teſtimo-
nium, ut teſtimonium perhi-
beret de lumine, ut omnes cre-
derent per illum. * Non erat
ille lux, ſed ut teſtimonium
perhiberet de lumine. Erat lux
vera, quæ illuminat omnem
G ho-

* Verbum : λόγος, *id eſt, ſingulare illud, eximium divinumque Verbum, quod eſt ſecunda Trinitatis perſona. Hæc enim verè ac propriè eſt, diciturque Verbum Patris, uti verè ac propriè eſt Filius. Idemq; ſunt Verbum divinum & Filius Dei, & quoad perſonam, & quoad naturam. Quæ omnia fide certa ſunt, ut probat Suarez lib. 9. de Trin. & ſeqq. Atque ita docent PP. & Scriptura. nam idem, qui hoc loco dicitur Verbum, poſteà dicitur* Caro factum; *& mox vocatur* Vnigenitus à Patre. *Denique Apocal. 19 de ipſo ait idē Ioannes:* Vocatur nomen ejus, Verbum Dei, *utique tamquam omninò proprium & ſingulare. Idcirco (ut ait Cyrill. Alexand. lib. 7. Theſauri cap. 5.)* Euangeliſta nomen Verbi elegit, quia eſt maximè proprium & ſignificativum divinitatis, & proceſſionis proprię ſecūdæ perſonæ. *Exprimitur enim, vel potius adumbratur dictione hac* Verbi, *ineffabilis proceſſio Filij per operationem intellectus, quæ eſt ſpiritualis omninò & impaſſibilis generatio ejus; nō materialis & paſſibilis, qualis eſt filiorum Adæ. Ita docēt Chryſ. Hom. 1. & 3. Theoph. & Euth.*

Quare Verbum hoc divinum non eſt verbum oris, ſed mentis divinæ conceptus. Sicut enim nos cogitando, vel intelligendo formamus nobis conceptum rei cogitatæ, vel intellectæ, qui dicitur verbum mentis: ita Pater æternus intelligendo & comprehendendō ſuam eſſentiam, & omnia, quæ in ea ſunt, formavit, produxit, & genuit hoc Verbum æternum, ſibi adæquatum ac ſimillimum; quod non eſt accidens, ut mentis humanæ verbum, ſed ſubſtantia, & perſona à Patre diſtincta unuſque atque idē naturâ Deus. Hinc Verbum etiam imago dicitur, ac Sapientia Patris, quam enarrare intendit S. Ioannes. Vnde verbis potiſſimùm doctrinæque Chriſti inſiſtit, ut docet S. Chryſoſtomus & alij.

* In ipſo vita erat. *Intellige vitam æternam. Nam talis in ſeipſo eſt; & hominibus peccato mortuis, merito Incarnationis ſuæ, uſque à mundi exordio vitā gratiæ ac gloriæ æternæ offerre nō deſinit. Nec tātùm vita, ſed &* lux *eſt in ſeipſo, & extra ſe, jā inde à primo hominis lapſu tenebras peccati & ignorātiæ pellens. Tādē verò lux illa inviſibilis in carne aſſumpta viſibilis facta eſt, exteriori quoque verbo, ac potētiæ ſuæ operibus homines illuſtrās. Tolet.*

* Non erat ille lux. *Ioannes non erat Meſſias, Doctor, & lux mundi expectata; ſed lucis veræ index, prænuncius atque præcurſor.*

Digitized by Google

hominem venientem in hunc mundum. * In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. * In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; * qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. * Et Verbum caro 4
factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

* In mundo erat &c. *Hunc verſum de Verbo nondum incarnato, magno veteres conſenſu intellexere. q. d. Cùm ipſe eſſet Creator ubique præſens, & omnia gubernans, mundus eum non cognovit neque ex præſentia, neque ex operatione, & rebus creatis.*

* In propria venit, *vid. ratione carnis aſſumptæ. Ita S. Auguſt. Chryſoſt.* Cyrill. *aliiſque PP.*

* Qui non ex ſanguinibus &c. *Filij Dei efficimur, & ſpiritu renaſcimur non per naturalem generationem, ſed per baptiſmum, fidem, gratiam & charitatem.*

* Et Verbum caro factum eſt. *Hæc verba cauſa ſunt prioris ſententiæ. q. d. Evangeliſta: Dedit poteſtatem filios Dei fieri hominibus ex ſanguine & carne & in peccato natis; quia ipſe Dei filius carnem induit, & factus eſt homo.* τὸ, Et, *pro, quia, ponitur Hebræorum more. Ita Chryſoſtomus, Theophylactus, Toletus.*

CAPUT II.

Ioannes Baptiſta concipitur 24 Septemb.

1. *Chriſti præcurſor Ioannes Baptiſta, Zachariæ naſciturus filius, ab Archangelo Gabriele promittitur.*
2. *Zacharias ob incredulitatem elinguis ſurduſque efficitur.*
3. *Ioannes ab Eliſabeth matre ſterili & anu concipitur.*

Luc. I. v. 5.

Fuit * in diebus Herodis, regis Iudææ, ſacerdos 1

* In diebus Herodis, *primi videlicet, infanticidæ, qui dictus fuit Aſcalonita, quia Aſcalone Philiſtæorum civitate natus. Erat ergo alienigena, qui regnum Iudaicum occupabat, quo tempore expectandus erat Meſſias, juxta prophetiam Gen.* 49. Non auferetur ſceptrum de Iuda &c.

5 Ioannes Baptiſta concipitur 24. Septemb.

cerdos quidam nomine * Zacharias, de vice Abia; & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Eliſabeth. Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela, & non erat illis filius, eò quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem, cùm ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundùm conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exijt, ut incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi. * Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi. Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Ioannem: & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ: & multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum: & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ: * ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino
2 plebem perfectam. Et dixit Zacharias

* Zacharias. *Erat hic ſacerdos, qui ſortitione cum collegis, munus obibat in templo; non autem ſummus ſacerdos, qui omnibus præerat. Vbi nota, Davidem diſtribuiſſe ſacerdotum multitudinem in viginti quatuor familias, ſeu claſſes, quæ hîc* Vices *vocantur, 1. Paralip. cap. 24.*

* Apparuit *menſe Auguſto (ait* Toletus:*) expletis enim diebus miniſterij ſui Zacharias è templo rediјt ad uxorem, domumque ſuam, quæ erat in montanis Iudææ. Et ſic Eliſabeth ſequenti menſe, die 24. Septembris concepit Ioannem.*

* Vt convertat &c. *Id eſt, ut ſuâ prædicatione reſtituat, & renovet fidem & devotionem Patrum, Patriarcharum videlicet ac Prophetarum erga venturum Meſſiam, in filijs ac poſteris. Ita S. Hieron. in Malach. cap. 4.*

 ad

ad Angelum: Unde hoc ſciam? egò enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis. Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum: & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, uſque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credideris verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipſe in templo. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quòd viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & * permanſit mutus. Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officij ejus, 3
abijt in domum ſuam: poſt hos autem dies * concepit Eliſabeth uxor ejus, & * occultabat ſe menſibus quinque, dicens: Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

* Permanſit mutus. *Gr.* κωφὸς, *quæ vox propriè ſurdum ac mutum ſignificat. Utramque enim pœnam, tam linguæ, quàm aurium defectus ſubiiſſe Zachariam, conſtat ex hoc eodem cap. v. 62. ubi tamquam cum ſurdo, nutibus cum eo agitur. Ita S. Ambroſius, Theophylactus, Franciſcus Lucas, Tolet. & alij.*

* Concepit Eliſabeth. *Conceptus eſt S. Ioannes in Æquinoctio Autumnali menſe Septemb. ut teſtatur Chryſoſtomus ſerm. dè nat. S. Ioan. tom. 2.*

* Occultabat ſe, *ex pudore videlicet, quòd in ſenili ætate uterum ferret. Occultavit ſe menſibus quinque: menſe verò ſexto, aut circa illud tempus à B. Virgine ſalutata in publicum prodijt. Hanc cauſam occultationis hujus adfert S. Ambroſius.*

CAPUT III.

Chriſtus concipitur 25. Martij, anno mundi 3950. juxta Cornel. à Lapide.

CAPUT III.

1. *S. Gabriel incarnationis Verbi nuncius ad B. Virginem legatur.*
2. *Maria pro pudore, quem Deo vouerat, ſolicita, de modo myſterij interrogat.*
3. *Mox ab Angelo edocta, ſe Deo ut ancillam ſubijcit: extemploque Spiritus ſancti illapſu, in virginali utero* Verbum caro factum eſt, *ut caro fieret Deus, ait S. Ambroſius.* Luc. 1. v. 26.

S. Ambroſ. lib. 1. de virginibus circa initium.

1 * IN menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus
Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui
nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam
viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Da-
vid, & nomen virginis Maria. Et ingreſſus
Angelus ad eam dixit: Ave gratiâ plena:
Dominus tecum: benedicta tu in mulieri-
bus. Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſer-
mone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſa-
lutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria,
inveniſti enim gratiam apud Deum: ecce
concipies in utero, & paries filium, & vo-
cabis nomen ejus IESUM. Hic erit magnus,
& Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi
Dominus Deus ſedem David patris ejus: &
regnabit * in domo Iacob in æternum, &
regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria
2 ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam
virum non cognoſco? Et reſpondens Ange-

* In menſe autem ſexto, *vid. à concepto Ioanne Baptiſta. nã Chriſtum conceptum fuiſſe in æquinoctio Verno, quod tunc erat 25. Martij, aſfirmat S. Auguſtin. lib. 4. de Trin. c. 5. dicens ſic tenere Eccleſiam.*

* in domo Iacob, *id eſt in Eccleſia, primùm ex poſteris Iacob collecta, deinde ex omnibus gentibus per fidem in Chriſtum, Eccleſiæ & regno Chriſti aggregatis.*

Chriſtus concipitur 25. Martij, anno mundi 3950. juxta Cornel. à Lapide.

lus dixit ei: * Spiritus ſanctus ſuperveniet in
te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideo-
que & quod naſcetur ex te Sanctum, vo-
cabitur Filius Dei. Et ecce Eliſabeth co-
gnata tua, & ipſa concepit filium in ſene-
ctute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ
vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile
apud Deum omne verbum. Dixit autem Ma- 3
ria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecun-
dùm verbum tuum. Et * diſceſſit ab illa An-
gelus.

* Spiritus ſanctus &c. *q. d.* O *Maria, virum non cognoſces; ſed Spiritus ſanctus & puriſſimus cælitus illabetur in te: & virtus ac potentia Dei arcana & inviſibilis fœcundabit te, non corporeo, ſed ſpirituali, caſto & ſupernaturali complexu, quo virgo permanens, mater Dei effícieris. Quod opus & maximè arcanum fuit, & ſummæ ſanctitatis ac potentiæ.*

* Diſceſſit. *Angelo recedente continuò Filium Dei carnem ſuſcepiſſe, docent paſsim PP. Auguſtinus, Athanaſius, Gregorius, & alij plures.*

CAPUT IV.

Geſta in urbe Hebron anno conceptionis Chriſti circa finem Martij. Tolet.

1. *Maria montana conſcendens Eliſabetham viſitat.*
2. *Infans Ioannes ad Virginis vocem in utero matris exultat, Salvatorem agnoſcens.*
3. *Virgo laudes ſuas Deo tribuens, ei canticum laudis accinit.* Luc. 1. v. 39.

EXurgens autem Maria in diebus illis 1
abijt in montana cum feſtinatione,* in
civitatem Iuda. Et intravit in domum Za-
chariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Et factum
eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſa-
beth,

* in civitatem Iuda, *1. in Hebron, quæ unica erat urbs ſacerdotum in montanis Iudææ, ut patet Ioſue 21. v. 10. Iter hoc aſperum fuit ac difficile, & facilè quatridui; è Nazareth vid. in Hebron civitatem de tribu ſortis Iuda, ultra Ieruſalem ſitam. Franc. Lucas.*

a beth, * exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth: & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. & beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et ait Maria:

3 Magnificat anima mea Dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula.

* Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam.

Geſta in urbe Hebron anno conceptionis Chriſti, circa finem Martij. Tolet.

* exultavit infans *ſupernaturaliter & cum rationis uſu, præ gaudio nimirum ex Salvatoris, & Matris Dei præſentia. 2. Accepit donum prophetiæ de Chriſto. 3. Accepit gratiam cum virtutibus infuſis, per quam ſanctificatus eſt, & ab originali labe expiatus. Vſum autem rationis in Ioanne ſemper perſeveraſſe docet S. Ambroſ. & cum eo Tolet. & alij.*

* diſperſit ſuperbos &c. *id eſt, cogitationes & voluntates ſuperborum, Pharaonis, & populi ejus irritas & inanes reddidit, univerſum exercitum mari rubro ſubmergendo.*

* Manſit autem Maria.

CAPUT V.

Manſiſſe B. Virginem apud Eliſabetham donec complexa fuiſſet natum filio ſuo præcurſorem, cenſent Origenes, Ambroſius, Beda, Toletus, Maldonatus alijque.

Chriſti præcurſoris ortus in Hebron, menſe 3. à conceptione Chriſti, ſeu 24. Iunij.

CAPUT V.

1. *Præcurſor Domini mirantibus omnibus in lucem editur.*
2. *Octava circumciſionis die nomen ei Ioannes inditur.*
3. *Zacharias uſum linguæ recipit, Deique gloriam decantat.*
4. *Ioannes à prima ætate in deſerto vitam degit.*

Luc. 1. v. 57.

ELiſabeth autem impletum eſt tempus pa- 1
riendi, & peperit filium. Et audierunt
vicini & cognati ejus, quia magnificavit Do-
minus miſericordiam ſuam cum illa, & con-
gratulabantur ei. Et factum eſt in die octavo,
venerunt circumcidere puerum, & vocabant
eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpon-
dens mater ejus, dixit: Nequaquam, ſed vo-
cabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia 2
nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc
nomine. * Innuebant autem patri ejus, quem
vellet vocari eum. Et poſtulans pugillarem
ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen ejus. Et
mirati ſunt univerſi. Apertum eſt autem illi- 3
cò os ejus & lingua ejus, & loquebatur be-
nedicens Deum. Et factus eſt timor ſuper om-
nes vicinos eorum: & ſuper omnia montana
Judææ divulgabantur omnia verba hæc: &
poſuerunt omnes, qui audierant in corde ſuo,
dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim
manus Domini erat cum illo. Et Zacharias
pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto: & pro-
phetavit, dicens:

* Innuebant. *Hinc collige Zachariam non tantùm fuiſſe mutum, ſed etiam ſurdum, ut dictum eſt cap. 2.*

Bene-

Ioannis Baptiſtæ nativitas 24. Iunij.

Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ:

Et erexit * cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui. * Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos:

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari * teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis:

Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi;

In ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum:

H Per

* Cornu ſalutis..i. *Regiam dignitatem, potentiam ac regnum ſalutis: quia venit Chriſtus ad ſalvandum nos, & à jugo peccati, dæmonis, & mortis eripiendum: & ad id præſtandum erexit hoc regnum.* Vbi nota, *omne robur & gloriam animalium cornutorum conſiſtere in cornibus. Vnde in S. Scriptura per Catachreſin cornu ſignificat robur, potentiam, victoriam, gloriam, & conſequenter regnum. Ita Chryſoſt. & Theophylactus. Vt enim cornu eſt duriſſimum & elevatum, ita regia dignitas eſt potens & ſupereminens. Ita Bellarminus in illud Pſ.*131. Illuc producam cornu David.

* Sicut locutus eſt, *ponitur pro, promiſit.* Salutem *vid.* ex inimicis noſtris *ſpiritualibus, dæmone, mundo, carne, peccato, & omnibus, quæ nos infeſtant; nempe ut non prævaleant adverſus nos. Tolet.*

* Teſtamenti. .i. *fœderis ſeu pacti cum iiſdem patribus initi. Pactum hoc intelligitur promiſſio Dei Abrahæ facta, item Iſaaco, & Iacob. Gen.* 12. *v.* 3. *Gen.* 26. *v.* 4. *Gen.* 28. *v.* 14. Benedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ. *Hoc teſtamentum, pactum ac promiſſionem, mox vocat* iuſiurandum. *Syrus clarius habet:* Teſtamenti ſui ſancti & iuriſiurandi. *Teſtamentum enim hoc ſeu pactum, quod cum Abraham inierat Deus, tandem ejus obedientiâ delectatus, humano more, etiam iureiurando firmavit Gen.* 22. *v.* 16. Per memetipſum iuravi &c. *Senſus porrò horum verborum eſt: Vt recordaretur teſtamenti ſui Deus, & recordaretur* iuſiurandum quod iuravit ad Abraham. *Mutatur enim hîc verbi conſtructio Hebræorum more, ut docet Ianſen.*

Ioannis Baptiſtæ nativitas 24. Iunij.

* Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, * Oriens ex alto:

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

* Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in deſertis uſque in diem 4
oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.

* Per viſcera miſericordiæ. *i. Viſcera plena miſericordiâ. Significatur intimus commiſerationis affectus, quo quis ita condolet alienis malis, ac ſi propria eſſent. Deus porrò qui in divinitate miſericors eſt, per Incarnationem miſericordiæ viſcera induit, ac viſitavit nos.*

* Oriens. *vid. idem Deus, qui Oriens à prophetis vocatur. De Chriſto enim dicitur Zachar. 6. v. 12.* Oriens nomen ejus. *Non enim participium, ſed nomen eſſe* Oriens, *conſtat ex Græco, ubi legitur* ἀνατολὴ, *quod propriè ſolis ortum ſignificat.* Ex alto, *jungendum eſt, cum verbo* viſitavit. *Ita Theophylact. his verbis:* Ille viſitavit nos ex alto, qui Oriens dicitur; *viſitavit autem ad illuminandum homines in tenebris ſedentes. Eodem modo hæc exponunt Franciſcus Lucas, Ianſen. & Tolet.*

* Puer autem &c. *Gr.* τὸ δὲ παιδίον, *puerulus. Ex quo oſtendi poſſe videtur, in Ioanne, ab ipſa in utero exultatione permanſiſſe rationis uſum. Aliàs enim ſpiritu, gratiâ & virtute confortari & augeri non poterat. Ita Cajet. Franciſcus Lucas & Tolet. Nicephorus & Cedrenus tradunt Ioannem ferè bimulum à matre Eliſabeth abductum eſſe in deſertum Iudææ, ob Herodis infanticida perſecutionem. Longè enim lateque mirandam Ioannis nativitatem fama divulgaverat, adeò ut Herodem non potuerit latêre. Quod & Origenes & Chryſoſt. innuunt, pluresque interpretes ſequuntur.*

CAPUT VI.

Chriſti Domini noſtri Genealogia ex patriarchis & regibus contexta; ab Abraham videlicet per Davidem, Salomonem, eorumque poſteros uſque ad Salvatorem omnium deſcendens. Matth. I. v. I.

Liber generationis IESU Chriſti, filij David, filij Abraham. Abraham

* Liber generationis IESU Chriſti, *id eſt, Catalogus progenitorum Chriſti ab Abraham, cui prima facta fuit Meſſiæ promiſſio de ſtirpe ſua naſcituri.*

Nota. Matthæus oſtendit qualiter Chriſtus venit ad nos, ideò deſcribit Genealogiam deſcendendo: Lucas verò, qualiter per Chriſtum reducimur in Deum, ideò eam deſcribit aſcendendo, propter quod eam terminat in ipſo Deo. *Ita Liranus.* In deſcendendo (*ait Beda*) humilitas Chriſti deſignatur, in aſcenſione exaltatio noſtra: quia ad hoc humiliatus eſt, ut nos exaltaret.

Digitized by Google

* Abraham genuit Iſaac.
Iſaac autem genuit Iacob.
Iacob autem genuit Iudam, & fratres ejus.
Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.
Phares autem genuit Eſron.
Eſron autem genuit Aram.
Aram autem genuit Aminadab.
Aminadab autem genuit Naaſſon.
Naaſſon autem genuit Salmon.
Salmon autem genuit Booz de Rahab.
Booz autem genuit Obed ex Ruth.
Obed autem genuit Ieſſe.
Ieſſe autem genuit David Regem.
David autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ.
Salomon autem genuit Roboam.
Roboam autem genuit Abiam.
Abias autem genuit Aſa.
Aſa autem genuit Joſaphat.
Ioſaphat autem genuit Ioram.
* Ioram autem genuit Oziam.
Ozias autem genuit Ioatham.
Ioatham autem genuit Achaz.
Achaz autem genuit Ezechiam.
Ezechias autem genuit Manaſſen.
Manaſſes autem genuit Amon.
Amon autem genuit Ioſiam.
Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres

H 2

* Abraham genuit &c. Non parva æſtimes te audire, hanc audiens generationem: eſt enim valde auditu mirabile, quod ineffabilis Deus ex muliere naſci dignatus eſt, & habere progenitores David & Abraham. *Chryſoſt. hom. 1. in Matth.*

* Ioram autem genuit Oziam. *Ozias hic non fuit filius Ioram, ſed abnepos. Interceſſerunt enim inter utrumque tres alij, videlicet Ochozias filius Ioram, Ioas nepos, & Amaſias pronepos, ut patet lib. 4. Reg. cap. 8. v. 26. & lib. 2. Paralip. cap. 24. & 25. Hos autem Matthæus omiſit potiſſimùm, quia fuerunt impij reges, oriundi per Athaliam ex ſanguine Achab & Ieſabelis, quorum poſteritatem deleri voluit Deus 3. Reg. 21. v. 21. Ita S. Hieron. & alij paſſim.*

fratres ejus * in tranſmigratione Babylonis.
Et * poſt tranſmigrationem Babylonis: Iechonias genuit Salathiel.
Salathiel autem genuit Zorobabel.
Zorobabel autem genuit Abiud.
Abiud autem genuit Eliacim.
Eliacim autem genuit Azor.
Azor autem genuit Sadoc.
Sadoc autem genuit Achim.
Achim autem genuit Eliud.
Eliud autem genuit Eleazar.
Eleazar autem genuit Mathan.
Mathan autem genuit Iacob.
Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, * de qua natus eſt IESUS, qui vocatur Chriſtus.
Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David generationes quatuordecim: & à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.

* In tranſmigratione Babylonis. *Hoc loco interſerenda eſt una generatio ſcriptorum vitio omiſſa;* vid. Ieconias autem genuit Iechoniam. *Prior enim propriè dictus eſt Ieconias, ſive Ioakim; poſterior autem prioris filius Iechonias, ſive Ioachim. Ita paſſim Interpretes.*

* Poſt tranſmigrationem &c. Nota, *plures à captivitate Babylonica uſque ad Chriſtum interceſsiſſe generationes, quàm Matthæus hìc enumeret, manifeſtum fit, cum hac conferenti eam, quam Lucas ſcripſit, Genealogiam; in qua à David uſque ad Chriſtum ter quatuordecim generationes numerantur, cùm hæc non niſi bis quatuordecim contineat: ſed Matthæus, cùm in primo ordine ſeu ſtatu ſub Iudicibus ſolum quatuordecim generationes inveniſſet, voluit compendij ac memoriæ causâ, in duobus reliquis ordinibus ſeu ſtatibus; ſub regibus, inquam, ac ducibus, eundem numerum ſervare, liberumque ſibi permiſit, quaſdam generationes, ne eum numerum excederet, omittere. Ita hìc Franciſcus Lucas. Alij aliter.*

* De qua natus eſt IESVS. *Hac phraſi ſignificatur IESVM de Maria natum; non naturali virtute, ſed ſupernaturali vi & operatione Spiritus ſancti. 2. IESVM non eſſe genitum à patre Ioſeph, ſed ex ſola matre virgine procreatum. V. de Genealog. Chriſti in proœmio, cap. 4.*

CAPUT VII.

CAPUT VII.

Geſta Nazarethi anno conceptionis Chriſti.

1. *S. Ioſeph Mariam gravidam animadvertens, de ea deſerenda cogitat, animoque fluctuat.*
2. *Mox eam Spiritus ſancti virtute concepiſſe, Angelico doctus oraculo, ſereniori mente ſponſæ ſanctimoniam veneratur.* Matth. 1. v. 18.

1 CHriſti autem generatio ſic erat: Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Ioſeph,
antequam convenirent, inventa eſt in utero
habens de Spiritu ſancto. Ioſeph autem vir
ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam * tradu-
2 cere, voluit occultè dimittere eam. * Hæc
autem eo cogitante, ecce Angelus Domini
apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus IESUM: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus. Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam. Et non cognovit eam donec peperit filium ſuum primogenitum: & vocauit nomen ejus IESUM.

*Traducere: παραδειγματίσαι. *i. exemplum ſtatuere, publicare, in jus trahere, legis exemplum in eam edere. Num. 5. v. 12. Lex permittit, non præcipit maritis, uxores adulteras accuſare.*

* Hæc autem eo cogitante. *Ex verbis hiſce apparet Ioſeph non omninò decreviſſe Mariam deſerere, ſed anxium hæſiſſe. Cogitabat enim an fortè in itinere in montana vim paſſa eſſet; an ab Angelo, vel divinitus impregnata. Vnde* (*ut habet Arabicus textus*) nolebat eam divulgare. *Ita Cornelius à Lapide.*

 CAPUT VIII.

Chriſtus naſcitur 25. Dec. anno mundi 3950. ut ſuprà, Imperij Auguſti 42.

CAPUT VIII.

1. *Maria partui vicina in Bethlehem iter facit Ioſepho comite, ut edicto Cæſaris pareant.*
2. *Non eſt eis locus in diverſorio; unde in ſtabulum divertunt.*
3. *Virgo Genitrix ſine labe ac labore filium parit, ſuum, Deique Filium; pannis eum involuit, & reclinat in præſepio.* Luc. 2. v. 1.

FActum eſt autem in diebus illis, exijt edi- 1
ctum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur
univerſus orbis. * Hæc deſcriptio prima facta
eſt à præſide Syriæ Cyrino: & ibant omnes ut
profiterentur ſinguli in ſuam civitatem. Aſcen- 2
dit autem & Ioſeph à Galilæa de civitate Na-
zareth, in Iudæam in civitatem David, quæ
vocatur * Bethlehem: eò quòd eſſet de domo
& familia David, ut profiteretur * cum Ma-
ria deſponſata ſibi uxore prægnante. Factum 3
eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies
ut

* Hæc deſcriptio, &c. *Nota, hanc deſcriptionem factam fuiſſe edicto Cæſaris Auguſti, cujus imperij anno à Iulij Cæſaris interfectione quadrageſimo ſecundo natus eſt Chriſtus. Deſcriptus eſt autem* univerſus orbis, *id eſt, major orbis pars, quæ Romanis parebat, in hunc potiſſimùm finem, ut à ſingulis capitibus cenſum ſeu vectigal aliquod exigerent. Ita Ambroſ. Euthym. & Beda. Probabile quoque eſt, medium ſiclum, ſeu duas drachmas (id eſt, medium florenum) in ſingula capita impoſita fuiſſe, ut opinatur Tolet.*

* Bethlehem, *alio nomine Ephrata, (ut dicitur Mich. 5. v. 2.) ultra Ieroſolymam ſita erat, ab eaque diſtabat duarum horarum itinere. A Nazareth verò in Bethlehem iter erat tridui, & amplius. Natus eſt autem Chriſtus in ſpelunca in rupe exciſa, ad orientalem partem Bethlehem, ut ſcribit S. Hieron. Ep. 18. ad Marcellam. Præſepe autem ligneum erat, quod Romæ honoratur in Baſilica S. Mariæ Majoris.* Nota. *Profeſſionis tempore oportebat unumquemque ad ſuæ familiæ locum celebrem ac certum proficiſci. Conſueverant autem Iſraëlitæ cenſum populi agere per tribus, & tribuum familias. Nam ſicut populus in tribus, ita tribus in familias dividebantur. Franciſcus Lucas.*

* cum Maria, *ut ſc. cum Maria profiteretur ſeu deſcriberetur: nam & ipſa erat de familia David. Iure autem antiquo Romanorum etiam fœminæ cenſebantur, adeoque etiam infantes. Eo verò magis cenſenda erat Maria, quod filia eſſet unigenita, agri paterni hæres, ut notant Liranus & alij.*

ut pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diverſorio.

Chriſtus naſcitur 25. Dec. anno mundi 3950. ut ſuprà, Imperij Auguſti 42.

CAPUT IX.

Chriſtus paſtoribus manifeſtatur.

1. *Angelus Chriſtum natum paſtoribus annunciat.*
2. *Militiæ cæleſtis agmina pacem hominibus, Deoque gloriam concinunt.*
3. *Paſtores Chriſtum in præſepio venerantur.*
4. *Maria res geſtas animo expendit & recondit.*

Luc. 2. v. 8.

1 ET paſtores erant in eadem regione vigilantes, & * cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis ſignum: Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præ-
2 ſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in
3 terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum:

* Cuſtodientes vigilias noctis. *Iudæi noctem dividebant in quatuor vigilias ſive cuſtodias, quarum ſingulæ erant trium horarum: ſimiliter diem in quatuor partes æquales, ſive horas dividebant, 1. 3. 6. & 9. quarum quælibet ternas noſtrates horas complectebatur, ut patet in parabola de vocatis ad vineam, & aliis Scripturæ locis. Hæ porrò quatuor horæ ſerviebant loco quatuor partium principalium diei. Ceteroqui dies Iudæis in horas duodecim dividebatur, quarum prima incipiebat oriente, duodecima finiebatur occidente ſole. Ita Franciſcus Lucas.*

Chriſtus paſtoribus manifeſtatur. 8. die circumciditur.

lum: paſtores loquebantur ad invicem: Tranſ-
eamus uſque Bethlehem, & videamus hoc
verbum quod factum eſt, quod Dominus
oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes: &
invenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem
poſitum in præſepio. Videntes autem cogno-
verunt de verbo, quod dictum erat illis de
puero hoc. Et omnes, qui audierunt, * mi-
rati ſunt: & de his, quæ dicta erant à paſto-
ribus ad ipſos. Maria autem conſervabat om- 4
nia verba hæc, conferens in corde ſuo. Et
reverſi ſunt paſtores glorificantes & laudan-
tes Deum, in omnibus, quæ audierant &
viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

* mirati ſunt &c. *Senſus eſt: Mirati ſunt in primis natum eſſe Meſſiam; deinde cetera quæ de eo dicta erant à paſtoribus, vid. Angelorum apparitionem, lucem, voces, concentum.*

CAPUT X.

1. *Infans octavo ab ortu ſuo die circumciditur.*
2. *Nomen ei cælitus acceptum IESVS imponitur.*

Luc. 2. v. 21.

ET * poſtquam conſummati ſunt dies octo 1
* ut circumcideretur puer: vocatum eſt 2
nomen ejus IESVS, quod vocatum eſt ab An-
gelo priuſquam in utero conciperetur.

CAPUT XI.

* poſtquam conſummati &c. *id eſt, cùm dies octavus à nativitate ageretur. Fuit is dies Kalendarum Ianuarij, & quidem 1. hebdomadæ ſeu Dominicus dies, quemadmodum dies nativitatis. Ita enim docet 6. Synodus, quam citat Baronius in notis Martyrolog. 25. Ianuar. lit. c.*

* ut circumcideretur, *nimirum iuxta legem* Geneſ. 17. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, *qua lege Chriſtus infans, utpote ſummus Legiſlator, & omnis culpæ expers, non tenebatur.*

Ab ortu Chriſti die 13. in Bethlehem geſta.

CAPUT XI.

1. *Magi ſtellâ duce Ieroſolymam ingrediuntur.*
2. *Turbatus cum civitate omni Herodes novo Regi inſidias ſtruit.*
3. *Magi ſtellâ reduce & prëeunte Chriſtum in ſtabulo inventum muneribus colunt.*
4. *Per aliam viam in patriam ſolum revertuntur.* Matth. 2. v. 1.

1 CUm ergo natus eſſet IESUS in
* Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, * ecce Magi ab oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare
2 eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Et congregãs omnes principes ſacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite & interrogate diligenter

Mich. 5. 2.

* Bethlehem Iuda. *Hoc enim oppidum erat in tribu Iuda. Altera verò erat Bethlehem in Galilæa, in tribu Zabulon, de qua Ioſue 19. 15.*

* Ecce Magi. *Magi, vox Hebræa eſt, ſignificans ſapientes & Philoſophos. Hos Magos fuiſſe reges, id eſt regulos, ſeu principes, docent plerique PP. quos citat Maldonat. & ſignificatur* Pſ. 71. Reges Tharſis & inſulæ. *Veniſſe autem eos ex Arabia felici, quæ Iudæis ab Oriente eſt, omninò probabile eſt. Ita enim cenſent Iuſtinus, Tertullianus, Cyprianus, Epiphanius pluresque Interpretes. Probatur quoque ex vaticinio Balaam Num.* 24. Orietur ſtella ex Iacob. *quod in Arabia editum fuit. Hinc Magi poſteri vel ſucceſſores hujus Balaam didicerunt magnum regem Iudæis naſciturum. Ita S. Hieron.*

Ab ortu Chriſti die 13. in Bethlehem geſta.

genter de puero: & cùm inveneritis, renunciate
mihi, ut & ego veniens adorem eum. Qui cùm
audiſſent regem, abierunt. Et ecce ſtella, 3
quam viderant in oriente, antecedebat eos,
uſquedum veniens ſtaret ſuprà, ubi erat puer.
Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt gaudio
magno valde. Et * intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, &
myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis ne 4
redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi
ſunt in regionem ſuam.

* Intrantes domum *i. ſtabulum. Hebræi enim quelibet locum, in quo quis degit, domum vocant. Ita nidus avium domus dicitur Pſ. 103. v. 17. Conſtat enim in ſtabulo manſiſſe Chriſtum, & B. Virginem, utpote puerperam uſque ad purificationem. Ita Suarez qu. 36. ſect. 4. Idem docet S. Bonavent. de Vita Chriſti. Imò hæc eſt communior veterum PP. ſententia, quos vide apud Suarem. Rationem addit A Lapide, affluentem per illos dies in Bethlehem aliam & aliam divitum cenſendorum turbam, qui non dabant alium locum pauperi Virgini & Infanti.*

CAPUT XII.

Anni 1. Chriſti die 40. in templo geſta.

1. *Maria primogenitum ſuum in templo offert.*
2. *Mox pauperum hoſtiam ex lege puerperarum Deo conſecrat.*
3. *Simeon juſtus Deum infantem ulnis complectitur.*
4. *IESUS ac Maria Simeonis oraculis, & Annæ præconiis celebrantur.* Luc. 2. v. 22.

ET poſtquam impleti ſunt dies purgationis 1
* ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum
in

* Secundùm legem. *Duplicis legis explendæ causâ Ieroſolymam profecti ſunt. 1. eſt Levit. 12. v. 6. ut mater non prolis gratiâ, ſed pro ſua purificatione offerat agnum in holocauſtum, & turturem vel columbam pro peccato; aut ob inopiam duos turtures, vel duos pullos columbarum, agno videlicet omiſſo. Altera lex eſt Exod. 13. & Num. 18. de primogenito Deo offerendo in memoriam liberationis Iſraëlitarũ, occiſis primogenitis Ægyptiorum. Neutra harum legum comprehendebat Legiſlatorem Chriſtum, aut B. Virginem, quam nullam corporis immunditiem, ſive ante, ſive poſt filii conceptionem paſſam fuiſſe, docent Toletus, aliique Interpretes & PP. Hæc porrò immundities, vel ſuperfluis ſanguinis fluxio in Scriptura peccatum vocatur, eò quòd originalis peccati pœna ſit.*

Anni 1. Chriſti die 40. in templo geſta.

in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut
Exod. 13.2. ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſ-
culinum adaperiens vulvam, ſanctum Domi-
no vocabitur, & ut darent hoſtiam ſecundùm
Levit. 12.8. quod dictum eſt in lege Domini, par turtu-
2 rum, aut duos pullos columbarum. Et ecce
homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon,
& homo iſte juſtus & timoratus, expectans
conſolationem Iſraël, & Spiritus ſanctus erat
in eo. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſan-
cto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs vi-
deret Chriſtum Domini. Et venit in ſpiritu in
templum. Et cùm inducerent puerum IESUM
3 parentes ejus, ut facerent ſecundùm conſue-
tudinem legis * pro eo: & ipſe accepit eum
in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit:

4 Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſe-
cundùm verbum tuum in pace:
5 Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,
Quod paraſti ante faciem omnium popu-
lorum;
Lumen ad revelationem gentium, & glo-
riam plebis tuæ Iſraël

Et erat pater ejus & mater mirantes ſuper his,
quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis * Si-
meon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce
poſitus eſt hic * in ruinam, & in reſurre-
ctionem multorum in Iſraël: & * in ſignum,
cui contradicetur: & tuam ipſius animam per-

* pro eo, *ſc. offerendo, & quinque ſiclis redimendo.*

* Simeon. *Hunc ſacerdotem fuiſſe aſſerunt multi graves & antiqui PP. S. Athanaſ. Epiphan. Cyrillus Hieroſolym.*

* in ruinam, *ſc. indirectè; directè verò in ſalutem omnium.*

* in ſignum *Gr.* σημεῖον *.i. ſignum & portentum, quale fuit Chriſti ortus, doctrina, vita, mors, miracula, quibus oſtendit ſe verum eſſe Meſſiam. Huic ſigno Iudæi, Gentiles & Chriſtiani moribus & vitâ impiâ contradicunt. Ianſen. Alij,* ſignum, *exponunt ſcopum, in quem certatim ſagittarij ſagittas ſuas jaculantur. Ita ſumitur Thren. 3. v. 12.* Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. *Maldonat. & alij.*

Anni 1. Chriſti die 40. in templo geſta.

tranſibit gladius, * ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna propheteſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejunijs & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. Et hæc, ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël. Et ut perfecerunt omnia ſecundùm legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in civitatem ſuam Nazareth.

* Ut revelentur &c. *Refer hæc potiſſimùm ad præcedentia:* Poſitus eſt hic in ruinam &c. *Senſus eſt: ut manifeſtetur, quo quiſque eſſet erga Chriſtum animo, quâ fide, quo affectu; quæque lateret in cordibus malitia. Iudæi enim Meſſiam regiâ & temporali pompâ venturum credentes, IESVM humilem & pauperem ſpreverunt & crucifixerunt. S. Auguſtin. Beda, Ianſen. & alij.*

Annus Chriſti 1. 2. & ſequentes. Fuga in Ægyptum, & reditus poſt 7. annum.

CAPUT XIII.

1. *Angeli monitu, in Ægyptum Chriſtus exul deportatur.*
2. *Herodes innocuorum infantium ſtragem edit miſerandam.*
3. *Chriſtus & parentes ab exilio reduces Nazarethum incolunt.* Matth. 2. v. 13.

ECce Angelus Domini apparuit in ſomnis 13
Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, &
matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto
ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim
ut

Nota, *probabilius eſſe, B. Virginem & S. Ioſephum non è Bethlehem, ſed Nazaretho, quò jam redierant, fugiſſe in Ægyptum. Ita Euthym. Maldon. Cornelius à Lapide, Tirinus. Diſtat autem Nazaretho Ægyptus duodecim ut minimum dierum itinere, ut ait Brocard. Locum verò, in quo commorati ſunt, ajunt fuiſſe inter Heliopolim & Cairum, ſive Babylonem Ægyptiam, ut ſcribit Franciſcus Lucas.*

De tempore quo exilium hoc duravit, non conſtat: plurimi tamen ſeptennij fuiſſe exiſtimant cum Baron. & alijs, ut ſequitur.

Digitized by Google

Annus Chriſti 1. 2. & ſequentes.
Fuga in Ægyptum, & reditus poſt 7. annum.

ut Herodes quærat puerum ad perden-
dum eum. Qui conſurgens, accepit pue-
rum, & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in
Ægyptum: & erat ibi uſque ad obitum
Herodis: ut adimpleretur quod dictum eſt
Oſee 11. 2. à Domino per Prophetam dicentem: Ex
2 Ægypto vocavi filium meum. Tunc He-
rodes videns quoniam illuſus eſſet à Ma-
gis, iratus eſt valdè, & mittens * occidit
omnes pueros, qui erant in Bethlehem,
& in omnibus finibus ejus, à bimatu &
infrà, ſecundùm tempus quod exquiſierat
à Magis. Tunc adimpletum eſt quod di-
Ierem. 31. 15. ctum eſt per Ieremiam Prophetam di-
centem: Vox in Rama audita eſt, plora-
tus & ululatus multus: Rachel plorans fi-
lios ſuos, & noluit conſolari, quia non
3 ſunt. Defuncto autem Herode, ecce An-
gelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph
in Ægypto, dicens: Surge, & accipe
puerum, & matrem ejus, & vade in ter-
ram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quæ-
rebant animam pueri. Qui conſurgens
accepit puerum, & matrem ejus, & ve-
nit in terram Iſraël. Audiens autem quod
Archelaus regnaret in Iudæa pro Hero-
de patre ſuo, timuit illò ire: & admoni-
tus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ:
* Et veniens habitavit in civitate quæ

* Occidit omnes pueros. *Probabilius eſt, infanticidium accidiſſe circa Paſcha labente jam anno ſecundo ab ortu ſtellæ, cùm Chriſtus eſſet circiter quindecim menſium. Ita Euſeb. in Chron. S. Auguſtin. ſerm. 7. de Epiphan. Anſelmus & alij. Vide hæc fuſiùs apud Cornel. à Lapide.*

* Et veniens &c. *Putatur Chriſtus cum parentibus reverſus in Nazareth die 7. Ianuarij poſt ſeptimum ætatis annum. Hac enim die Eccleſia reditum ejus celebrat. Ita Beda, Vſuard. Ado, & alij, ut & Baron. in notis Martyrol. die 7. Ianuar. ac Bellarminus in Chronolog. Vide Baronium ſuprà, & tom. 1. Annal.*

Annus Chriſti 1. 2. & ſequentes.
Fuga in Ægyptum, & reditus poſt 7. annum.

vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam * Nazaræus vocabitur.

* Nazaræus *voçatur Chriſtus non ex voto, ut Sampſon & alij, ſed ex patria Nazareth.*

Nota *hic Matthæum non verba, ſed ſenſum Prophetarum dare, ut ait S. Hieron. Nam reipſa impletum eſt quod prophetæ alijs verbis de eo prædicaverunt, ſc. quòd Chriſtus* Nazir, *id eſt,* Nazaræus, *id eſt,* Sanctus; *ac* Noſcri, *id eſt* Naſaræus *per tſade, id eſt,* floridus *omni virtute & gratiâ, uti reverà erit, ſic & vocabitur. Ita A Lapide. Meſſias enim* Sanctus, germen, flos *ſæpiùs à prophetis appellatur. Sic Iſa.* 11. 1. Et egredietur virga de radice ejus, & flos (*Heb. Neſer*) de radice ejus aſcendet. *Ad quem locum præcipuè Euangeliſtam reſpexiſſe docent S. Hieronymus, & ex eo Franc. Lucas.*

Nota 2. *circa duas præcedentes prophetias, illam Oſee,* Ex Ægypto vocavi filium meum, *impletam eſſe in populo Iſraël ad litteram, allegoricè verò & typicè in Chriſto; & hic ſenſus priore dignior eſt, & magis intentus à Spiritu ſancto. Ita S. Hieron. Chryſoſt. Theophyl. Denique Ieremias his verbis,* Vox in Rama &c. *alludit quidem ad captivitatem Iſraëlitarum, eorumque planctum; ad litteram tamen loquitur de planctu matrum Bethlehemiticarum: toto enim hoc capite agitur de tempore & Eccleſia Chriſti. Ita Theodor. Hugo, Lyran. aliique.*

CAPUT XIV.

Annus Chriſti 12. & ſequentes uſque ad 30. completum.

CAPUT XIV.

1. *Puer duodennis ſe à parentibus ſubducit, & anxiè quæritur.*
2. *Poſt triduum in templo reperitur medios inter doctores, ſapientia ejus jam nunc elucentibus radijs ſtupefactos.*
3. *Redit Nazarethum & parentibus ſubditus eſt.*
4. *Ætate ac ſapientiâ proficit, ad annum uſque* 30. *Nazarethi deliteſcens.* Luc. 2. v. 40.

Nota. *Abditam vitam egit Chriſtus, & fabrilem Nazarethi artē exercuit (Marc. 6. v. 3.) ad annum uſque trigeſimum, ex communi veterum PP. D. Thomæ & aliorum ſententia.*

PUer autem * creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientiâ: & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolemni Paſchæ. Et cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, * conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer IESVS in Ieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. Exiſti-

* Creſcebat, *puta, ab infantia uſque ad annum* 12. *quo tempore nondum hominibus ſapientiæ ac gratiæ ſuæ ſpecimen dederat, quod mox in medio doctorum daturus eſt. Infrà autem rurſus dicit S. Lucas:* Et IESVS proficiebat. *quod intelligendum eſt, ab anno* 12. *uſque ad* 30. *Indies enim per ætatis incrementa, majoribus ſapientiæ & ſanctitatis operibus, non modò apud Deum, ut anteà, ſed etiam apud homines clareſcebat, donec tandem à baptiſmo ſe mundi Salvatorem manifeſtare cœpit. Ita ſol etiamſi ſemper plenus lumine, clarior tamen in meridie hominum oculis apparet. Sic utrumque locum exponunt Origenes, Theophylactus & alij.*

* Conſummatiſq; diebus *.i. ſeptem diebus Azymorum tranſactis redierunt Nazarethū verſus, tridui itinere Ieroſolymâ diſtans.* Notat *hìc Beda, conſuetudinē fuiſſe, ut viri viris, feminæ feminis ſociarentur; pueri verò tam his quàm illis conjungi poſſent. Noluit ergo in hac profectione Maria negare filio, quam paſſim filijs ſuis aliæ matres concedebant libertatem: & hanc fortaſſe ob cauſam integro die à Chriſto abfuit: quod non ulli incuriæ, ſed amori potiùs adſcribendum eſt, & reverentiæ erga filium talem, quem etiam ut Deum reverebatur. Ita ferè Tolet.* Nota 2. *Mandatum viris fuiſſe, tribus anni ſolemnitatibus ad templum aſcendendi, vid. in Paſchate, Pentecoſte, & in feſto Tabernaculorum, ut dicitur Exod.* 23. 14. *& Deut.* 16. 16. *B. Virgo igitur licet lege non teneretur, tamen ex devotione junxit ſe marito ſecumque duxit filium ad templum. Beda, Maldonat. & alij.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 12. & ſequentes uſque ad 30. completum.

Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu,
venerunt iter diei, & requirebant eum inter
cognatos, & notos. Et non invenientes, re-
greſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum. Et 2
factum eſt, poſt triduum invenerunt illum
in templo ſedentem in medio doctorum, au-
dientem illos & interrogantem eos. Stupebant
autem omnes, qui eum audiebant, ſuper pru-
dentia & reſponſis ejus. Et videntes admira-
ti ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid
feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego do-
lentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid
eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in
his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?
Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locu-
tus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & venit 3
Nazareth: & * erat ſubditus illis. Et mater
ejus conſervabat omnia verba hæc in corde
ſuo. Et IESVS proficiebat ſapientia, & æta- 4
te, & gratia apud Deum & homines.

* Erat ſubditus illis. *Præter hæc tria verba nihil deinceps uſque ad annum Chriſti trigeſimum de geſtis ejus referunt Evangeliſtæ: toto enim hoc tempore fabrum agens, & parentibus ſubditus mirabile dedit mundo humilitatis & obedientiæ exemplum.*

VITÆ

VITÆ DOCTRINÆQVE CHRISTI

PARS II.

Virilis Chriſti ætas per 3. menſes, videlicet acta ejus à baptiſmo uſque ad proximum Paſcha, ſeu primum annum prædicationis ejus: ideſt ab initio Ianuarij anni 31. Chriſti uſque ad 25. diem Martij ejuſdem anni.

Digitized by Google

Prædicatio Ioannis in Bethabara trans Iordan. ab initio Ianuarij.

CAPUT XV.

1. *Ioannes in deſerto Iudææ verbo & exemplo pœnitentiam prædicat.*
2. *Veſtis ejus è camelorum pilis contexta; zona pelli-cea; eſca locuſtæ ſunt, & mel ſylveſtre.*
3. *Omnes undique ad eum confluunt; peccata confitentur, baptizantur.* Matth. 3. v. 1. Marc. 1. v. 1. Luc. 3. v. 1.

Nota. *Poſtquam habitaſſet Ioannes triginta jam annos & ſex menſes apud Iordanem, haud procul à Iericho, in interiori Iudææ deſerto; cùm primùm Dei vocem audivit, ſine mora, abdita illa loca & latebras relinquens, venit in patentiora deſerti loca, indéque totam regionem Iordani circumjacentem prædicans atque baptizans obivit. Videtur tamen Bethabaram potiſſimùm delegiſſe ad baptizandum, ut dicitur Ioan. 1. v. 28.*

b * INitium Euangelij IESU Chriſti, fi- 1
lij Dei. Sicut ſcriptũ eſt in Iſaia Pro- Malac. 3. 1. Iſa. 40. 3.
pheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

* Anno autem quintodecimo Imperij Tiberij cæſaris, * procurante Pontio Pilato

* Initium Euangelij &c. *Per Euangelium ſignificatur Euangelica prædicatio à Ioanne incboata, & per Chriſtum perficienda. Senſus eſt: Euangelica prædicatio Chriſti tale habuit initium, quale prædixit Iſaias, (cui conſonat & Malachias;) nimirum prædicationem Ioannis Baptiſtæ ejuſque de Chriſto teſtimonium. Solus autem nominatur hic Iſaias, quia clarius illius eſt de Ioanne oraculum, quàm Malachiæ. Ita porrò hunc S. Marci textum diſponunt Franciſcus Lucas, & Cornelius à Lapide.*

* Procurante &c. Nota. *Herode magno ſive Aſcalonitâ anno regni ſui 37. à vermibus corroſo & mortuo, ut refert Ioſephus lib. 17. Antiq. cap. 8. & Euſeb. lib. 1. Hiſt. cap. 8. Auguſtus tribus filijs ejus inter ſe de ſucceſſione contendentibus, videlicet Archelao, Herodi Antipæ, Philippo, & Lyſaniæ externo terram promiſſionis in totidem tetrarchias diviſerat; unde hi quatuor tetrarchæ dicti, id eſt, principes quartæ, aut certæ alicujus regni portionis. Archelao verò Iudææ tetrarchâ ob tyrannidem expulſo, Iudæam (id eſt duas tribus; Iudæ ſcilicet & Beniamin) adiecit ad Syriæ provinciam; ejuſque procuratorem ſive præſidem Quirinũ, vel, ut Lucas vocat, Cyrinũ conſtituit. Huic autẽ poſt alios plures ſucceſſit Pontius Pilatus præſes ſive Iudex & Princeps Iudææ. Græcè enim pro voce,* procurãte, *eſt* [illegible]

Digitized by Google

Annus Chriſti 31.
Prædicatio Ioannis in Bethabara trans Iordan. ab initio Ianuarij.

Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha, * ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha: factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto. Et venit in omnem regionem Iordanis, [b] baptizans & prædicans [a] in deſerto Iudææ, [b] baptiſmum pœnitentiæ * in remiſſionem peccatorum, [a] & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Hic eſt enim, qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus. [c] Omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas: & videbit omnis caro ſa-
2 lutare Dei. [a] Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat
3 locuſtæ, & mel ſylveſtre. Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.

* Sub principibus &c. Nota. *Annas hic dicitur quoque princeps ſacerdotum cum Caipha, non quod duo ſimul fuerint ſummi ſacerdotes; ſed quia Annas præerat magno concilio Sanhedrin, ſeu 72. ſeniorum. Principes verò ſacerdotum inferiores erant 24. quorũ ſummus Pontifex erat ſolus Caiphas. Ita Baron. anno Chriſti 31. vide caput 185. infrà.*

* In remiſſionem peccatorum. *Ioannis baptiſmus erat in aqua ſola, neque habebat vim peccata expiandi: præparabat tamen Ioannes, & excitabat homines tùm baptizando, tùm concionando, ad pœnitentiam & adventum Meſſiæ, ejuſque baptiſmum, qui daturus erat gratiam & Spiritum ſanctum.*

CAPUT XVI.

1. *Ioannes ad populi turbam concionatur, & Phariſæos potiſſimùm ac Sadducæos ſeveriùs increpat.* Matth. 3. 7. Luc. 3. 7.

2. *Plebeij, publicani & milites ad Ioannis monita reſipiſcunt, eumq́ de via ſalutis interrogant.* Luc. 3. v. 10.

a V Idens autem multos Phariſæorum & 1
Sadducæorum venientes ad baptiſmum
ſuum, dixit eis [&] c ad turbas, quæ exibant
ut baptizarentur ab ipſo: a * Progenies vipe-
rarum, quis demonſtravit vobis fugere à ven-
tura ira? Facite ergo fructum dignum pœni-
tentiæ. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem
habemus Abraham. dico enim vobis, quo-
niam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſci-
tare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radi-
cem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor,
quæ non facit fructum bonum, excidetur, &
in ignem mittetur. c Et interrogabant eum 2.
* turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Reſ-
pondens autem dicebat illis: Qui habet duas
tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas,
ſimiliter faciat. Venerunt autem & publicani,
ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Ma-
giſter, quid faciemus? At ille dixit ad eos: * Ni-
hil amplius, quàm quod conſtitutum eſt vo-
bis, faciatis. Interrogabant autem eum & mi-
lites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait
illis: Neminem concutiatis, * neque calum-
niam faciatis: & contēti eſtote ſtipendijs veſtris.

CAPUT XVII.

Annus Chriſti 31.
Geſta in Bethabara trans Iordanum initio Ianuarij.

Nota. *Ioannes, & tribus pòſt menſibus Chriſtus, non præproperè, ſed maturâ & juſtâ ætate prædicare cœperunt, vid. anno ætatis 31. Ioannes enim ſex tantùm menſibus ante Chriſtum natus erat.*

* Progenies viperarum. *Tales erant Phariſæi & Sadducæi, qui peccatis, exemploq́; ſuo velut veneno ſimplices turbas inficiebant; in quo hereditario quodam ſcelere patres & majores ſuos imitabantur. 2. Serpentiũ inſtar Chriſti, ac prophetarũ ſanguinem ſitiebant.*

c Turbę. *Ioannes quidem ad turbas dixit, ut ait hic S. Lucas, ſed præcipuè arguebat Phariſæos & Sadducæos turbæ immixtos: nihilominus turba & plebs Ioannis ſe monitis ſubmiſit; Phariſæi verò & Ioannis præcepta & conſilium Dei ſpreverunt; ut dicitur Luc. 7. v. 30.*

* Nihil amplius &c. *.i. in exactione vectigalium nihil amplius accipite, quàm quod à Magiſtratu præſcriptum.*

* Neque calumniam &c. *.i. neminem falsò deferatis. Prohibet, ne ab eis calumniando prædam requirant, quibus militando prodeſſe debuerant, ait Beda.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 31. initio Ian. Acta in Bethabara trans Iordanem.

CAPUT XVII.

1\. *Ioannes ante Chriſti baptiſmum, primum de eo teſtimonium profert.*

2\. *Primo Meſſiæ, præſentique adventui, alterum quoque futurum adjungit, & magnum judicij diem.* Matth. 3. 11. Marc. 1. 7. Luc. 3. 15.

1 [c] EXiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus: reſpondit Ioannes, dicens omnibus: [a] Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare, [&] [b] procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus: [a] ipſe vos baptizabit in * Spiritu ſanctò, &
2 igni. * Cujus ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. [c] Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

* Spiritu ſancto & igni. *S. Baſilius in cap. 4. Iſa. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 10. & Tolet. in c. 3. Lucæ intelligunt hîc ignem gehennæ, qui paulò pòſt dicitur* ignis inextinguibilis. *S. Hieronymus verò & alij ignem purgatorij; alij tremendum Dei judicium; alij tribulationes juſtorum interpretantur. Verùm rectiùs hîc Spiritus ſanctus accipiendus eſt, qui inſtar ignis fideles à peccatis expurgat, illuminat, accendit, ſurſum ad cælum rapit, ac roborat ut omnia adverſa ſuperent; denique eos intimè ſibi unit, & quaſi ignis in ſe transformat. Ita Corn. à Lapide, qui citat hîc S. Chryſoſt. & Euthymium.*

* Cujus ventilabrum &c. *Ioannes hîc à primo Chriſti adventu tranſit ad ſecundum non gratiæ, (qualis eſt primus) ſed judicij adventum. Tunc enim propriè permundabit aream ſuam.* Ventilabrum *enim metaphoricè eſt judicium;* area *eſt Eccleſia;* triticum *iuſtos,* palea *verò peccatores deſignat. Et priùs quidem prædicavit Ioannes Chriſtum Salvatorem, & Spiritus ſancti, divinique ignis largitorem, quod ad primum ejus adventum pertinet; nunc verò & Iudicem ſupremum prædicat, quod ad ſecundum.*

Annus Chriſti 31.
Acta in Bethabara trans Iordanem 6. die Ianuarij.

CAPUT XVIII.

1. *Ioannes non ſine detrectatione Chriſtum venerabundus baptizat.*
2. *Cælum aperitur, & Spiritus ſanctus in columbæ figura ſupra baptizatum deſcendit.*
3. *Patris cæleſtis voce Chriſtus Dei filius declaratur.*
Matth. 3. 13. Marc. 1. 9. Luc. 3. 21.

Nota. 1. *Chriſtum hîc non inſtituiſſe, ſed deſignaſſe tantummodò Baptiſmi Sacramentum, ejuſque materiam; illud verò paulò pòſt, dum cœpit prædicare publicè, inſtituiſſe, ut docet Suarez & alij plures.*

Nota 2. *Chriſtum à Ioanne baptizatū fuiſſe anno ætatis 31. per tredecim dies inchoato, 6. Ianuarij, ut habet Eccleſiæ & PP. traditio. Ita Baron. in Apparatu, & alij. Vide Proœm. cap. 3.*

[b] ET factum eſt: in diebus illis venit IESUS à Nazareth Galilææ, [a] in Jordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondens autem IESUS, dixit ei: Sine modò: ſic enim decet nos implere * omnem juſtitiam. * Tunc dimiſit eum: [b] & baptizatus eſt à Ioanne in Iordane. [a] Baptizatus autem IESUS, confeſtim aſcendit de aqua. [c] Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & IESU baptizato, & orante, [a] ecce aperti ſunt ei cæli: [c] & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum: [&] [b] * vidit cælos apertos, & Spiritum tanquam co-

1

2

* Omnem juſtitiam .i. *humilitatem (ait Gloſſa) quâ ſe omnibus ſubijcit.*

* Tunc dimiſit eum .i. *Hoc audito ceſſit Ioannes Chriſto baptiſmum petenti, eumque baptizavit. De quo S. Bernard. ſerm. 1. de Epiphania:* Acquievit *(ait)* Ioannes & obedivit; baptizavit Agnum Dei, & aquas lavit: nos abluti ſumus, non ille; quia nobis lavandis aquæ cognoſcuntur ablutæ.

Ioannem poſt baptiſmum Chriſti, ſæpiùs ab eo viſitatum fuiſſe, patet ex ſeqq.

* Vidit. *Vidit & IESVS, & Ioannes, hoc ipſum teſtante Ioanne Baptiſta:* Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. *1. Ioan. 32.*

Annus Chriſti 31.
Acta in Bethabara trans Iordanem 6. die Ianuarij.

columbam deſcendentem, & manentem in
3 ipſo. * Et ecce vox de cælis, dicens: * Hic
eſt Filius meus dilectus, in quo mihi com-
placui.

* Hic eſt &c. *Veroſimilius eſt dictum fuiſſe,* Tu es Filius meus dilectus; *ut habent Marcus & Lucas. Sed ut ſignificaret Matthæus, Deum Patrem voluiſſe Ioannem ejus rei certiorem factum, retulit eandem omninò ſententiam ſub* 3. *perſona,* Hic eſt Filius meus. *Ita Franciſcus Lucas; qui addit, magnum omninò fuiſſe Ioannem, cui ſe baptizandum credit Filius; ſe videndum inviſibilis exhibet Spiritus; ſuum de cælo Filium commendat Pater.*

Nota *denique, omnia, quæ Chriſto à Ioanne baptizato acciderunt viſibiliter, fidelibus Baptiſmi Sacramento luſtratis contingere inviſibiliter.*

CAPUT XIX.

Annus Chriſti 31.

Altera Chriſti Genealogia ſurſum gradiens, ab Heli vid. id eſt Eliachim, ſive Ioachim, avo Chriſti, per Nathan, Davidem, Abraham, ceteroſque ejus progenitores, uſque ad Adam protoplaſtum; imò uſque ad Deum, unicum Chriſti Patrem, rerumque omnium principium ac finem. Luc. 3. v. 23.

ET ipſe IESUS * erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioſeph, * qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Ioſeph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Reſa,

Nota. *A nativitate uſque ad baptiſmũ Chriſtus vulgò habitus fuit filius Ioſeph, donec ſeipſum verbo ac ſignis manifeſtare cœpit. Idcirco Lucas diſtulit narrationem Genealogiæ uſque ad hoc tempus, quaſi jam mundo, novo modo naſceretur per fidem & agnitionẽ ſui veram. Ita Tolet.*

* Erat incipiens &c. *i. Iam incipiebat eſſe annorũ triginta plus minus. Græcè legitur,* Erat quaſi triginta annorum incipiens, *id eſt, cùm inciperet fungi Salvatoris officio, & prædicare. Vide de hoc loco Proœmium cap.* 3.

* Qui fuit Heli. τὸ *qui, referri poteſt ad Ioſeph, qui fuit gener Heli ſive Ioachim; vel potiùs ad IESUM, qui fuit ejuſdem Ioachimi nepos. Vide hæc pleniùs declarata in Proœmio cap.* 4.

Reſa, * qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,* qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleël, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

* Qui fuit Zorobabel &c. Nota *hic generationes illas, & perſonas omnes, quas numerat Matthæus à Salomone uſque ad Iacob, & Lucas à Nathan uſque ad Heli, eſſe diverſas, ut conſtat ex numero generationum, & ex magna nominum diverſitate, & ex PP. interpretatione. Atque ita licet in nominibus interdum conveniant, non oportet perſonas eſſe eaſdem. Quocirca* Zorobabel *hic &* Salathiel *apud Lucam non ſunt ijdem quos Matthæus recenſuit, ut rectè docuit Auguſtinus lib. 5. Quæſt. in Deuter. qu. 46. Ita Suar. 3. p. q. 27. a. 1. diſp. 2. ſect. 3.*

* Qui fuit Cainan. *Hunc Cainan omittit Moyſes Gen. 11. v. 12. Addunt verò eundem Septuaginta, & ex ijs Lucas hic. Problema ergo eſt an Cainan hic Chriſti Genealogiæ inſerendus ſit cum Septuaginta & Luca, an verò omittendus cum Moyſe. Retinendum eſſe cenſent prædictum Cainan Euſebius, Auguſtinus, Nazianzenus, Hugo, Dionyſius, Toletus, A Lapide, Franciſcus Lucas & alij. Omittendum tamen putant alij auctores non pauci.*

CAPUT XX.

Annus Chriſti 31.
Geſta in deſerto Quarentanæ menſe Ianuar. & Februario.

CAPUT XX.

1. *In deſerto Quarentanæ per dies quadraginta jejunat.*
2. *Humani generis hoſtis ipſum quoque Deum-hominem iterum ac tertiò illaqueare tentat; & primùm quidem ad gulam; tùm ad vanam ſui oſtentationem; pòſt ad avaritiam, ambitionem, idololatriam provocat.*
3. *Victo, fugatoque inſidiatore perfidò, Angeli debitum Domino ſuo miniſtertum præſtant.* Matth. 4. 1. Marc. 1. 12. Luc. 4. 1.

1 [c] IESVS autem plenus Spiritu ſanctoregreſ-
ſus eſt à Iordane: & agebatur à Spiritu
[*] in deſertum diebus quadraginta:[b] & tenta-
batur à Satana: eratque cum beſtijs:[c] & nihil
manducavit in diebus illis.[a] Et cùm jejunaſſet
quadraginta diebus, & quadraginta noctibus,
2 [c] conſummatis illis, [a] poſteà eſurijt. Et [*] ac-
cedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic
ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens
dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane vivit
homo, ſed in omni verbo, quod procedit de

Nota. *Chriſtus eodem die 6. Ianuarij, quo baptizatus fuit, abijt in deſertum, & inchoavit jejunium 7. ejuſdem menſis; finijt verò 40. die, qui fuit 15. Februarij. Ita Cornel. à Lapide & alij.*

[*] In deſertum. *Deſertum hoc Iudææ proximum, octo horarum itinere Ieroſolymâ diſtat; & pòſt dictum fuit Quarentanæ. Huc* agebatur *Chriſtus à Spiritu ſancto, ait S. Lucas. Matthæus dicit:* ductus eſt. *Marcus ait:* Statim Spiritus expulit eum in deſertum. *Quibus verbis non vis Chriſto illata, ſed Spiritus ſancti efficacia ſignificatur; cujus impulſu, promptiſſimè ſubduxit ſe à baptiſmo in deſertum.*

[*] Accedens tentator. *Hunc fuiſſe ipſum inferorum principem docet S. Auguſtinus lib. 9. de civit. cap. 21. quem ſequuntur Interpretes. Audiverat malignus ſpiritus teſtimonium Ioannis de Chriſto vocemque cæleſtem,* Hic eſt filius meus; *ambiguus tamen de divinitate ejus, quem videbat eſurientem, acceſſit animo explorandi, num verus eſſet Dei Filius; ſimulque ſi non eſſet Deus, inducendi eum ad gulæ peccatum, cibos ante tempus, aut indebito modo appetendo. Ita S. Hilarius can. 3. in Matth. S. Ambroſius hic, & alij. Porrò omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit, ut ait S. Gregor. hom. 16. in Evang.*

Nota, *jejunio finito 15. Februarij Chriſtum rediſſe in Galilæam, & quindecim dies manſiſſe Nazarethi. Ita Epiphan. hæreſ. 51.*

Annus Chriſti 31.
Geſta in deſerto Quarentanæ menſe Ianuar. & Februario.

ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſan-
ctam civitatem [e] Ieruſalem, [a] & ſtatuit eum
ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: Si Fi-
lius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt
enim, [c] quòd Angelis ſuis mandavit de te, ut
conſervent te: & quia in manibus tollent te,
ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.
[a] Ait illi IESUS: Rurſum ſcriptum eſt: Non
tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſ-
ſumpſit eum diabolus in montem excelſum
valde: * & oſtendit illi omnia regna mundi &
gloriam eorum, [c] in momento temporis: &
ait illi: [a] Hæc omnia tibi dabo, [c] poteſtatem
hanc univerſam, & gloriam illorum: quia
mihi tradita ſunt; & cui volo, do illa. Tu
ergo [a] ſi cadens adoraveris me, [c] erunt tua
omnia. [a] Tunc dicit ei IESVS: Vade Satana: 3
Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum
adorabis, & illi ſoli ſervies. [c] Et conſummata
omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, uſ-
que ad tempus. [a] Et ecce Angeli acceſſerunt,
& miniſtrabant ei.

* Oſtendit &c. *vid. oculis exterioribus Chriſti exhibuit regna orbis præcipua, perductis ſpeciebus rerum viſibilium ad loca propinqua oculis Chriſti. Ita Theophylact. & Tolet. Exhibuit igitur ſpiritus mendax non vera, ſed fucata, & quaſi in aëre adumbrata regna; idque* momento temporis, *(ut ait S. Lucas) quippe non diuturna, ſed momentanea bona: mala verò his admixta; curas ærumnaſque abſcondit.*

CAPUT XXI.

Annus Chriſti 31.
Geſta in Bethabara trans Iordanem 1. die Martij. A Lapide & Tirinus.

1. *Phariſæi ad Ioannem miſſi, num ipſe ſit Meſſias, ſciſcitantur.*
2. *Ioannes ſui contemptor, munus ſuum, ſeſeque deprimit; IESVM verò Meſſiam & Salvatorem prædicando extollit.* Ioan. 1. 15.

IOannes teſtimonium perhibet de ipſo, & 1
clamat, dicens: Hic erat quem dixi:
Qui

* Qui poſt me venturus eſt, ante me factus
eſt: quia prior me erat. Et * de plenitudine
ejus nos omnes accepimus, & * gratiam pro
gratia. quia * lex per Moyſen data eſt, gra-
tia & veritas per IESUM Chriſtum facta eſt.
* Deum nemo vidit umquam: unigenitus fi-
lius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.
* Et hoc eſt teſtimonium Ioannis, quando
miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes &
Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu
quis es? Et confeſſus eſt, & non negavit: &
2 confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus. Et
interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu?
Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſ-
pondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut
reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid
dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis in de-
ſerto: Dirigite viam Domini, ſicut dixit
L 2 Iſaias

Annus Chriſti 31.
Geſta in Bethabara trans Iordanem 1. die Martij. A Lapide & Tirinus.

* Qui poſt me &c. *.i. Chriſtus qui poſt meam prædicationem apparebit, gloriâ & ſplendore mihi præferetur.* Quia prior me erat *.i. major, præſtantior & antiquior, utpote Deus & homo. Ita paſſim Interpp.*

* De plenitudine ejus &c. *vid. de gratiæ & veritatis ejus plenitudine, de qua Ioannes v. 14. hujus 1. cap.* Ubi nota, *verius eſſe, hæc & ſeqq. verba eſſe Ioannis Euangeliſtæ, confirmantis præcedentia verba Baptiſtæ. Ita Chryſoſt. Cyrill. Euthym. & alij.*

* Gratiam pro gratia. *.i. Per gratiam Chriſti, qui omnium gratiarum & bonorum fons eſt, nos gratiam accepimus. Vatablus, Franciſcus Lucas & alij.*

* Lex per Moyſen. *Moyſes legem tantùm dare potuit, quæ doceret & juberet mandata Dei, ſed gratiam ad illa implenda conferre nequivit. Chriſto ergo opus fuit, qui gratiam ad legem implendam præſtaret, & arcana cæleſtia panderet.*

* Deum nemo vidit. *Dat causam cur non Moyſes, ſed ſolus Chriſtus perfectam de Deo & rebus divinis veritatem nos docuerit, quia ipſe ſolus vidit Deum. q. d. Hæc quæ ego de Deo, de Verbo, deque ejus divinitate, creatione, vita, luce &c. dixi, adeò ſublimia ſunt, ut cùm Deum nemo mortalium viderit, præter Dei filium unigenitũ, hinc nemo, nec Moyſes quidem, ſed ſolus Dei filius incarnatus hæc perfecte enarrare potuerit. Ita PP. paſſim, & ex ijs à Lapide, & alij, qui ex hoc loco docent, Moyſen non vidiſſe Dei eſſentiam.*

* Hoc eſt teſtimonium. Nota, *probabiliter hoc Ioannis teſtimonium non eſſe diverſum ab ijs quæ hic ante Iudæorum legationem referuntur ab Euangeliſta, ut ſentit Theophylact. & alij.*

Annus Chriſti 31. Geſta in Bethabara trans Iordanem 1. die Martij. à Lapide & Firmus.

Iſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant, erant 24
ex Phariſæis. Et interrogaverunt eum, & 25
dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Hæc * in Bethania facta ſunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

* In Bethania. *Vnus idemque locus trans Iordanem erat Bethania & Bethabara, ut notat Toletus. Alia verò erat Bethania Marthæ & Lazari prope Ieroſolymam.*

Nota *hîc, ceteros Euangeliſtas ea, quæ ante baptiſmum Chriſti geſta ſunt, & quæ Ioannes ante baptiſmum ejus teſtimonia perhibuit, enarrare. At Ioannes Euangeliſta à teſtimonio Ioannis poſt baptiſmum, exorditur; & quæ Chriſtus ab eo tempore uſque ad carcerem Ioannis geſſit, atque ab alijs Euangeliſtis omittuntur, deſcribit. Ita* Tolet. in Ioan. 1. *annot.* 48.

Annus Chriſti. 31. Geſta in Bethabara trans Iordanem 2. die Martij.

CAPUT XXII.

1. *Ioannes Chriſtum ad ſe venientem digito demonſtrans, Agnum Dei proclamat, ac mundi Liberatorem.*
2. *Eum Spiritus ſancti indicio à ſe cognitum fatetur.*
3. *Denique eum Filium Dei eſſe teſtatur.* Ioan. 1. v. 29.

ALtera die vidit IESUM venientem ad 1
ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia

Annus Chriſti 31.
Geſta in Bethabara trans Iordanem 2. die Martij.

quia prior me erat: & * ego neſciebam eum,
ſed ut manifeſtetur in Iſraël, propterea veni
ego in aqua baptizans. Et teſtimonium per-
2 hibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum
deſcendentem quaſi columbam de cælo, &
manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum:
ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi
dixit: Super quem videris Spiritum deſcen-
dentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui
3 baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi: & te-
ſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.

* Ego neſciebam eum. *quaſi dicat: Ne putetis me amicitiæ aut cognationis cum Chriſto cauſâ, hæc dicere: ego quando miſſus fui ad baptizandum, numquam videram eum. Sciebat quidem Ioannes Chriſtum eſſe inter homines; ſed nondum de facie & determinatè eum noverat: ut primùm verò eum vidit, ex Dei afflatu Meſſiam eum eſſe cognovit, & mundo manifeſtavit. Ita Tolet. Cornelius à Lapide & alij.*

CAPUT XXIII.

Annus Chriſti 31.
Geſta in Bethabara, & in itinere in Galilæam 3. die Martij, & ſequentibus.
1. Chriſti in Galilæam profectio 5. Martij.

1. *Poſtridie iterum Baptiſta IESVM Agnum Dei, victimamque in mundi redemptionem à Deo deſtinatam, præſentem indicat.*

2. *Hoc audito & promulgato, quinque Ioannis diſcipuli, Andreas, Petrus, Philippus, Nathanaël, & alius non nominatus, Chriſtum Meſſiam agnoſcere ac ſequi cœperunt.* Ioan. 1. 35.

1 * ALtera die iterum ſtabat Ioannes, &
diſcipuli ejus duo. Et reſpiciens IE-
SVM ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.
Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem,
2 & ſecuti ſunt IESUM. Converſus autem IE-
SUS, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis:

* Altera die *.i. poſtridie, 3. Martij. Refert enim Ioannes tria teſtimonia tribus continuis diebus à Præcurſore Baptiſta de IESV reddita. Ita Franc. Lucas, Tolet. & paſſim Interpretes per hoſce dies conſequentes, Chriſti acta recenſent, uti colligi poteſt ex ipſo Euangelij textu.*

Geſta in Bethabara, & in itinere in Galilæam, 3. die Martij, & ſequentibus.
1. Chriſti in Galilæam profectio 5. Martij.

Quid quæritis? Qui dicunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magiſter) * ubi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi * decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. * Invenit hic primùm fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Invenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus.) Et adduxit eum ad IESVM. Intuitus autem eum IESUS, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. * In craſtinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei IESUS: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethſaida, civitate Andreæ & Petri. Invenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: Quem ſcripſit * Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus IESUM filium Ioſeph à Nazareth. Et dixit ei Nathanaël: * A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. * Vidit IESUS Nathanaël venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Dicit ei Nathanaël: Unde me noſti? Reſpondit JESVS, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te. Reſpondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraël. Reſpondit IESVS, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te

* Vbi habitas? *Intelligendum eſt de hoſpitio Chriſti, habitationem enim propriam non habuit, ut dicit Matth. 8. v. 20.*

* Decima *ſc. ab ortu ſolis. Iam ſol ad occaſum properabat, inquit Chryſoſt.*

* Invenit &c. *poſtero vid. die 4. Martij Simon ad Chriſtum adducitur.*

* In craſtinum, *vid. 5. Martij Philippus à Chriſto vocatur, quo die contigit* prima Chriſti in Galilæam profectio.

* Moyſes. *Vide infrà cap. 44. in fine.*

* A Nazareth &c. *Rogat hoc Nathanaël, quia ex tam exili & contemptibili oppido non videbatur Meſſias oriundus.*

* Vidit JESVS Nathanaël, *nimirum 6. die Martij Nathanaël ad Chriſtum accedit. Hic à Philippo multo quæſitus ſtudio (ut ait Cyrillus) inventus videtur in Cana Galilææ, loco ejus natali, ut patet Ioan. 21. v. 2. Ita Franc. Lucas.*

te ſub ficu, credis: majus his videbis. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis.

CAPUT XXIV.

Annus Chriſti 31. Geſta in Cana Galilææ 7. Martij.

1. *Tertiâ à Philippi vocatione die, & à Chriſti in Galilæam profectione, in Cana Galilææ oppido nuptiæ celebrantur.*
2. *IESVS & Maria eas ſuâ præſentiâ cohoneſtant, unâ cum diſcipulis quinque, de quibus ſuprà.*
3. *Maria deprecante, IESVS aquam in vinum convertit.* Ioan. 2. v. 1.

1 ET * die tertia nuptiæ factæ ſunt in * Ca-
2 na Galilææ: & erat mater IESV ibi. Vocatus eſt autem & IESVS, & diſcipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater IESV ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei IESUS: * Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum

* Die tertia .i. 7. *Martij, quæ fuit 3. à profectione Chriſti in Galilæam, & Philippi vocatione.*

* Cana Galilææ. *Hæc ita appellatur ad diſtinctionem alterius Canæ, quæ eſt propè Sidonem. Hæc verò, teſte Adrichom. Galilææ oppidum eſt trium horarum itinere Nazaretho diſtans. Vnde facile fuit, B. Virginem eò venire.*

* Quid mihi, & tibi eſt mulier? *Chriſtus hic tamquam Deus loquitur, ea enim ratione quâ Deus erat, miracula faciebat; & ſpecie quidem reprehenſionis (quæ verè hic nulla fuit, eò quòd in Matre ejus nulla eſſet culpa) oſtendit ſe non tamquam hominem ſeu mulieris filium, ſed tamquam Deum miracula facturum; quâ ratione nihil cum matre haberet commune. Hoc enim notant hæc verba,* Quid mihi, & tibi eſt mulier? *Et hæc eſt prima & communis veterum PP. aliorumque recentiorum interpretatio, quo ſenſu, non Matris, ſed circumſtantium causâ docet Chriſtus in operibus theandricis ſeu divinis ſe nec matrem, nec ullum agnoſcere ſuperiorem; nec in illis rebus quidquam tribuendum affectibus, vel rationibus humanis.*

Alius horum verborum ſenſus mitior & valdè probabilis (ut ait Toletus) hic eſt: Quid ad nos pertinet, quod vinum deficiat? Ita Iuſtinus Mart. reſp. 136. ad quæſt. gent. Epiphan. Euthym. & alij.

Annus Chriſti 31.
Geſta in Cana Galilææ 7. Martij.

dum venit hora mea. Dicit mater ejus miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundùm purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ * metretas binas vel ternas. Dicit eis IESVS: Implete hydryas aquâ. Et impleverunt eas
uſque ad ſummum. Et dicit eis IESVS: Hau- 3
rite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: * vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt: tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. Hoc fecit initium ſignorum IESVS in Cana Galilææ: & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus. Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater ejus, & * fratres ejus, & diſcipuli ejus: & ibi manſerunt non multis diebus.

* Metretas. *Harum ſingulæ continebant* 72. *ſextarios, & ſinguli ſextarij* 18. *uncias. Quâ ratione juxta menſuram noſtram hydria duarum metretarum capiebat circiter* 24. *quartarios, Flandricè,* potten. *Ita Ianſen.*

* Vocat ſponſum. *Hunc ſponſum fuiſſe ipſum Evangeliſtam Ioannem putant graves auctores, ſecuti Bedam. Verùm Ioannem ſemper fuiſſe virginem, nec unquam duxiſſe uxorem, ſcribunt S. Ignatius, Hieron. Auguſtin. Epiphanius aliique. Igitur verior eſt ſententia, ſponſum hunc non fuiſſe Ioannem, ſed familiarem aliquem, aut cognatum Chriſti. Ita Tolet. A Lapide, & Franc. Lucas.*

* Fratres *Chriſti vocantur patrueles ejus, vid. filij Cleophæ, fratris S. Ioſephi. Vide ſup. Arbor. Genealog. Chriſti.*

VITÆ

VITÆ
DOCTRINÆQVE
CHRISTI
PARS III.

Annus primus prædicationis Chriſti, ſive acta à primo Paſchate poſt baptiſmum uſque ad Paſcha ſecundum; vid. à 25. Martij anni 31. vitæ Chriſti, uſque ad finem Martij anni 32.

Annus Chriſti 31.
Prędicationis 1.
Geſta Ieroſolymis in Paſchate, menſe Martio.

Nota *hic inchoari annos prædicationis Chriſti à Paſchate, ſive die 25. Martij; anni verò ætatis Chriſti numerantur à 25. Decembris præcedente. Vnde hi anni ſemper tribus menſibus finiuntur ante annos prædicationis.*

* In templo. *Chriſtus circa primum hoc Paſcha, initio prædicationis ſuæ vendentes è templo ejecit, ut hoc pacto torpentes ac ſopitos Iudæorum animos ad attentionem excitaret. Per* templum *autem hîc intellige atrium templi extimum, quod vocabatur atrium profanum, & atrium gentium, amplitudine ſtadiorum quatuor (ut quidam tradunt;) in quo Chriſtus ſæpè docuit. In atrio hoc animalia ſacrificanda erant frequentiſſima hiſce paſchalibus, ſive azymorum diebus. Refert enim Ioſephus lib. 7. de bello cap. 17. in uno feſto die Paſchatis numerata ducenta quinquaginta ſex millia hoſtiarum oblatarum, & quingentas. Cùm ergo hoc tempore ingens hominum multitudo conflueret, ut hoſtias ſibi Paſchales compararent, quæ hoc loco exponebantur tanto numero à venditoribus; admirandam omninò ac divinam oſtendit Chriſtus in hoc facto auctoritatem atque potentiam.*

CAPUT XXV.

1. *Vendentium turbam juxtà cum venali pecore Chriſtus è templi atrio expellit.*
2. *Prædicit templum corporis ſui à Iudæis deſtruendum.*
3. *Multi credunt in eum, quibus ipſe ſe non credit.*

Ioan. 2. 13.

PRopè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit 1
IESVS Ieroſolymam: & invenit * in tem-
plo vendentes, boves & oves, & columbas, &
* numularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi
flagellum de funiculis, omnes eiecit de tem-
plo, oves quoque, & boves, & numulario-
rum effudit æs, & menſas ſubvertit. Et his,
qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta
hinc, & nolite facere domum Patris mei do-
mum negotiationis. Recordati ſunt verò diſci-
puli ejus quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ Pſ.
comedit me. Reſponderunt ergo Iudæi, & 68. 10.
dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis quia
hæc facis? Reſpondit IESVS, & dixit eis:
Solvite templum hoc, & in tribus diebus ex- 2
citabo

* Numularios. *Sic dicebantur qui minutâ monetâ majorem permutabant cum fœnore & uſura.*

Annus Christi 31. Prędicationis 1. Geſta Ieroſolymis in Paſchate, menſe Martio.

citabo illud. Dixerunt ergo Judæi: * Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt ſcripturæ, & ſermoni quem dixit IESVS.
3 Cùm autem eſſet Ieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat. Ipſe autem IESVS non credebat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.

* Quadraginta & ſex annis &c. Nota. *Templum à Zorobabele extructum fuit annis quindecim. Deinde per plures annos auctum & ornatum fuit à Machabæis. Denique ex parte, omnes computati de novo ædificatum, atque aſſiduè illuſtratum fuit ab Herode. Qui anni facilè conficient 46. annos. Ita Cornel. à Lapide.*

CAPUT XXVI.

Annus Christi 31. Prędicationis 1. Geſta Ieroſolymis menſe Martio, in Paſchate.

1. *Nicodemus noctu Chriſtum convenit, miſſumque divinitus Magiſtrum confitetur.*
2. *Chriſtus ei novæ per Baptiſmum generationis atque Incarnationis myſterium explicat.*
3. *Se mundi Salvatorem, ſerpentis in modum, olim in deſerto erecti, in cruce exaltandum prædicit.* Ioan. 3. v. 1.

1 ERat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum. Hic venit ad IESVM nocte, & dixit ei: * Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.

* Rabbi, ſcimus &c. Exiſtimabat *Nicodemus, hanc ſuã confeſſionem ſufficere, ut diſcipulus Chriſti eſſet. Hinc à Chriſto docetur, majora ad hoc requiri, & ad ſalutem neceſſaria eſſe.*

eo. Reſpondit IESVS, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, * niſi quis renatus fuerit denuò, non 2
poteſt videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire & renaſci? Reſpondit IESVS: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris, quia dixi tibi: oportet vos renaſci denuò. * Spiritus ubi vult ſpirat, & vocē ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit IESVS, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. * Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? Et * nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo. Et ſicut Moyſes exaltavit ſer- 3
pentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus

* Niſi quis renatus fuerit. *Per baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, & ex filijs Adæ peccatoris, filij Dei, & hæredes regni cæleſtis efficimur. Sed Nicodemus ſpiritualia hæc nondum percipiebat.*

* Spiritus ubi vult, ſpirat &c. *i. ventus naturali inclinatione fertur ac ſpirat: & ſonum ejus percipimus, neſcimus tamen determinatè unde veniat: ita ſpiritualem generationem percipere non poſſumus, niſi Spiritus ſancti afflatu. Ita Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius.*

Multi tamen PP. non de vento, ſed de Spiritu ſancto hæc omnia exponunt. Vide Toletum.

* Si terrena &c. *Per terrena intellige generationem ſpiritualem, quæ fit per baptiſmum; per* cæleſtia, *æternam Filij Dei generationem, cujus intuitu omnis noſtra generatio terrena eſt. Ita prædicti auctores, Cyrill. & alij.*

* Nemo aſcendit &c. *i. Nemo fuit in cælo, qui poſſit manifeſtare quæ illic ſunt, præter me.*

Annus Christi 31. Prędicationis 1. Geſta Ieroſolymæ menſe Martio in Paſchate.

Deus dilexit mundum,ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum,ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. * Qui credit in eum,non judicatur: * qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei. * Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui malè agit,odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus,quia in Deo facta ſunt.

* Qui credit in eum, *fide ſc. vivâ & operante*,non judicatur .*i. non eſt obnoxius condemnationi.*

* Qui autem non credit, jam judicatus eſt. *Ipſa enim infidelitas condemnat incredulum, hoc eſt, æternis pœnis reddit obnoxium, eò quòd hoc à ſe repulerit, per quod licebat aſſequi vitam æternam. Nam proprio quodam modo infidelis, dicitur jam judicatus, quia manifeſtam habet in ſe condemnationis cauſam, adeò ut in futuro judicio non ſit opus aliquâ diſcuſsione, & quia id repellit per quod ſolum ſalus obtineri poteſt. Ita Ianſenius.*

* Hoc eſt autem judicium .*i. hæc eſt condemnationis cauſa, quia homines luci prætulerunt tenebras.*

CAPUT XXVII.

Annus Christi 31. Prędicationis 1. Acta in fine Martij per Iudæam. Geſta Chriſti à menſe Aprili uſque ad finem anni prætermiſſa ſunt ab Euangeliſtis. Tirinus in Chronico, & alij.

1. *Chriſtus in Iudæa per diſcipulos baptizat.*
2. *Quæritur uter prævaleat, Ioannis, an Chriſti baptiſmus.*
3. *Ioannes longè ſibi præferens Chriſtum, eum ſponſum appellat; ſe verò amicum, & quaſi paranymphum ſponſi, qui omnes ad ejus fidem adducat: ſe terrenum indicat, Chriſtum verò de cælo eſſe, Deíque Filium. Vnde ſequitur, Baptiſmum quoque ejus longè digniſſimum eſſe.* Ioan. 3. 22.

1 POſt hæc venit IESVS & diſcipuli ejus in terram Iudæam: & illic demorabatur cum

 eis,

Annus Chriſti 31. Prędicationis 1. Acta in fine Martij per Iudæam.

* Baptizabat. *Chriſtus non per ſe, ſed per diſcipulos ſuos baptizabat, ut dicitur Ioan. 4. v. 2. Hic autem diſcipulorum baptiſmus non erat inſtar Ioannis baptiſmi; ſed in aqua & Spiritu per gratiam, & in nomine Chriſti collatus. Ita S. Auguſt. tract. 5. & 13. in Ioannem, & Tol.*

* Ænnon *locus eſt juxta Iordanem & oppidum Salim. Hic enim jam relictâ Bethabarâ, Ioannes baptizabat.*

eis, & * baptizabat. Erat autem & Ioannes
baptizans in * Ænnon, juxta Salim: quia a-
quæ multæ erant illic, & veniebant, & ba-
tizabantur. Nondum enim miſſus fuerat Ioan-
nes in carcerem. Facta eſt autem quæſtio ex
diſcipulis Ioannis cum Iudæis * de Purifica-
tione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt 2
ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem,
cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic bap-
tizat, & omnes veniunt ad eum. Reſpondit
Ioannes, & dixit: Non poteſt homo accipere
quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo. Ipſi 3
vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixe-
rim: Non ſum ego Chriſtus: ſed quia miſſus
ſum ante illum. * Qui habet ſponſam, ſpon-
ſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & au-
dit eum, gaudio gaudet propter vocem ſpon-
ſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.
Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui
deſurſum venit, ſuper omnes eſt. * Qui eſt
de terra, de terra eſt, & de terra loquitur.
Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt. Et quod
vidit, & audivit, hoc teſtatur: & teſtimonium
ejus nemo accipit. Qui accepit ejus teſtimo-
nium, * ſignavit quia Deus verax eſt. Quem
enim

Non procul inde degebat Chriſtus, ac diſcipuli baptizabant, non tamen in eodem fonte cum Ioanne, (ut ait S. Cyrillus) qui jam non in Iordane baptizabat, ſed in alijs aquis cis Iordanem in Ænnon.

* De Purificatione *.i. de baptiſmo, Chriſti ſc. & Ioannis; uter præferendus.*

* Qui habet ſponſam &c. *q. d. Chriſtus, qui per incarnationem deſpondit ſibi Eccleſiam, ſponſus eſt: ego verò tantùm ſum miniſter ejus, & paranymphus, gaudens de ſponſi honore, meoque miniſterio, dum video plurimos ad illum confluere, meumque munus impleri.*

* Qui eſt de terra &c. *Ioannes ſe terrenum vocat, ſi cum Chriſto conferatur.*

* Signavit quia Deus verax eſt, *credendo videlicet in Chriſtum. Fides enim eſt quaſi ſigillum, quo ſignamus dicta Dei. nam credendo profitemur & confirmamus illa eſſe vera ac divina, ſicut rex ſigillo litteras ſuas confirmat. Ita à Lapide, & alij.*

enim miſit Deus, verba Dei loquitur: * non enim ad menſuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

Annus Chriſti 31. Prædicationis I. Acta in fine Martij per Iudæam.

* Non enim ad menſuram. *Non parcè, ſed abũdantiſſimè dat Deus ſpiritum & gratiam donaque Filio ſuo, ut ea largè hominibus communicet, & tamquam caput Eccleſiæ in membra diſpertiat. Ita Ianſen. & Franc. Lucas.*

CAPUT XXVIII.

Annus Chriſti 31. Prædicationis I. Geſta in finibus Iudææ ſub Decembris exitum. A Lapide.

1. *Ioannes ob exprobratas Herodi Antipæ flagitioſas nuptias, ab eodem vinctus in arcem Macheruntinam compingitur.*
2. *Herodias Ioanni inſidiatur.* Matth. 14. 3. Marc. 6. 17. Luc. 3. 19.

1 [c] * HErodes autem tetrarcha cùm corriperetur ab illo de * Herodiade uxore fratris ſui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, adjecit & hoc ſuper omnia: [b] Miſit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum * in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioan-

Nota. *Quid Chriſtus particulatim geſſerit per Iudææ regionem, à Paſchate uſque ad finem Decembris, per novem circiter menſes, Euangeliſtæ non meminerunt, ut ſuprà. S. Thomas & Liranus dicunt eum miraculis edendis, & prædicando occupatum fuiſſe, dum interim Apoſtoli ejus nomine baptizarent.*

* Herodes. *Fuit hic Herodes Antipas, Herodis magni ſive Aſcalonitæ filius, Tetrarcha Galilææ & Perææ, quam Iordanis à Iudæa dividebat. Hic fratre ſuo Philippo vivo atque invito duxerat uxorem ejus, ideóque triplici ſe crimine fœdaverat, vid. adulterio, inceſtu, & raptu. quod diſertè aſſerit Ioſephus lib.* 18. *antiq. cap.* 7.

* Herodias. *Hæc erat filia Ariſtobuli fratris Herodis. Duxit igitur ſuam ex fratre neptem. Ioſephus.*

* In carcere. *In caſtro Macherunte ſito in confinibus Arabiæ Petrææ, vergentibus ad Peræa regionem. Ita Ioſephus ſuprà, Franc. Lucas, & alij. v. infrà cap.* 76.

Annus Chriſti 31. Prędicationis 1. Geſta in finibus Iudææ ſub Decembris exitum. A Lapide.

Ioannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem inſidiabatur 2 illi: & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum: & * cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. • Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut prophetam eum habebant.

* Cuſtodiebat eum *.i. conſervabat, ac tuebatur contra inſidias Herodiadis.*

Nota, *quæ hîc narrantur, acta fuiſſe ſub Decembrem, quo menſe exeunte finitur annus Chriſti* 31. *Annus verò prædicationis adhuc durat uſque ad Paſcha ſequens, eò quòd à Paſchate præcedenti ſumpſerit exordium, ut ſuprà dictum. Idem in annis ſequentibus obſervandum eſt.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 1. Acta in Samaria juxta Sichar, vel Sichem, menſe Ianuario. 2. in Galilæam profectio.

CAPUT XXIX.

1. *Chriſtus Euangelij prædicationem in Galilæam transfert.* Matth. 4. 12. Marc. 1. 14. Luc. 4. 14. Ioan. 4. 1.
2. *In itinere cum Samaritana colloquitur, & aquam ei vivam, id eſt Spiritus ſancti gratiam munificè offert.*
3. *Deum in ſpiritu adorandum docet: & ſe Meſſiam eſſe confitetur.*
4. *Cibum ſuum aſſerit obedientiam Patri, circa meſſem & ſalutem animarum, debitam.*
5. *Samaritanos plurimos ad fidem convertit.* Ioan. 4. 5.

Nota. *Abitum Chriſti è Iudæa, & hanc hiſtoriam contigiſſe Ianuario menſe, conſtat ex verbis Chriſti infrà:* Adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit. *Meſſis enim in Palæſtina menſe Maio eſt, ut colligitur Exod.* 34. *& Levit.* 33. *Ita Ianſen. aliique paſſim.*

a CUm autem audiſſet IESVS quòd Ioannes traditus eſſet; [&] d quia audierunt * Phariſæi quòd IESVS plures diſcipulos 1

* Phariſæi. *Hi Ioannem accuſaverant apud Herodem, & Chriſtum oderant. Franciſcus Lucas & alij.*

ſos facit, & baptizat, quàm Ioannes (quam-
quam IESVS non baptizaret, ſed diſcipuli
ejus) reliquit Iudæam, & abijt iterum [c] in
virtute Spiritus in Galilæam. [d] Oportebat au-
tem eum tranſire per Samariam. Venit ergo
in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar:
juxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio
ſuo. Erat autem ibi fons Iacob. IESVS ergo
fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.
2 Hora erat quaſi ſexta. Venit mulier de Sama-
ria haurire aquam. Dicit ei IESVS: Da mihi
bibere. (diſcipuli enim ejus abierant in civi-
tatem ut cibos emerent.) Dicit ergo ei mulier
illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cùm ſis,
bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samari-
tana? non enim coütuntur Iudæi Samaritanis.
Reſpondit IESUS, & dixit ei: * Si ſcires do-
num Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: * Da
mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & de-
diſſet tibi * aquam vivam. Dicit ei mulier:
Domine neque in quo haurias habes, & pu-
teus altus eſt: unde ergo habes aquam vivam?
Numquid tu major es patre noſtro Iacob, qui
dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit, &
filij ejus, & pecora ejus. Reſpondit IESVS,

* Si ſcires donū Dei &c. *.i. Si ſcires, donum illud ſupremum, videlicet filium proprium à Deo datum; & inſuper ſi agnoſceres me eſſe illud donum, Deique Filium; profectò tu potiùs à me peteres: & ego non negarem, ut tu negaſti mihi; ſed darem tibi aquam meliorem & cæleſtem. Ita Toletus.*

* Da mihi bibere. Ille qui bibere quærebat, fidem mulieris ſitiebat, *ait S. Auguſtinus.*

* Aquam vivam. *Sic Chriſtus vocat Spiritum ſanctum, ejuſque gratiam. S. Cyrill. aliijque PP. Dicitur enim* aqua 1. *quia animam à peccatis purgat.* 2. *Quia eam virtutibus fœcundam facit.* 3. *Quia æſtum concupiſcentiæ refrigerat.* 4. *Quia ſitim rerum temporalium ſedat. Dicitur verò* aqua viva, *quia per gratiam ſuam Spiritus ſanctus nos inhabitat & vivificat, efficitque ut anima ſemper ad bonum moveatur, ſemperque altius ad perfectionem aſcendat. V. Toletum.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 1. Geſta juxta Sichem menſe Ianuario.

* Sitiet iterum. *Tropologice S. Auguſtin.* Aqua in puteo (*ait*) eſt voluptas ſæculi, in profũditate tenebroſâ, quam hauriunt homines hydriâ cupiditatũ. Hę enim faciunt hominem ſemper ſitire; quia cupiditas eſt inſatiabilis.

& dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, * ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, * fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei IESVS: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei IESVS: Benè dixiſti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuiſti; & nunc quem habes, non eſt tuus vir: hoc verè dixiſti. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. Patres noſtri * in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet. Di- 3
cit

* Fiet in eo fons &c. *Sicut enim ſitire numquam poſſet, qui fontem in viſceribus haberet, ita ſaturum eſſe oportet bonorum omnium, cui adeſt Spiritus ſanctus.*

* In monte hoc, *vid. in monte Garizim, qui mons eſt prope Sichem, in quo templum erat Samaritanorum, in eoque ſacrificandum eſſe contendebant contra Iudæos, qui locum adorationis ſive ſacrificij, templum Ieroſolymitanum eſſe affirmabant. Hac porrò controverſia continua & permoleſta erat inter eos, uter eſſet locus ille quem elegiſſet Deus, templúmne Ieroſolymitanum, an Garizitanum. De hac ergo quærit mulier à Chriſto tamquam à propheta.*

Reſpondet Chriſtus, & prædicit 1. *ex utroque templo cultum Dei, atque adorationem ſive ſacrificium auferendum, & ſucceſſurum pro eo cultum multò perfectiorem. Tam enim vetera Iudæorum ſacrificia, Chriſto veniente ceſſarunt, quàm falſa Samaritanorum, qui idola ſimul cum uno veroque Deo colebant, ſublata ſunt.*

2. *Prædicit Chriſtus, in nova lege Chriſtianos non tam ut ſervos, quàm ut filios Dei adoptivos, Patrem adoraturos* in ſpiritu & veritate, *id eſt, ſpirituali & vero ſolidoque cultu fidei, ſpei, charitatis, aliarumque virtutum; non verò falsâ religione, ut adorabant Samaritani; neque ut Iudæi, qui verum quidem Deum colebant, ſed ferè tantùm per ſigna & cæremonias exteriores, interiori mentis devotione & ſpiritu vacui. Ita S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12. Toletus, Ianſenius, & à Lapide.*

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta ad Sichem, menſe Ianuario.

cit ei IESVS: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit, (qui dicitur Chriſtus.) cùm ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. Dicit ei IESVS: Ego ſum, qui loquor tecum. Et continuò venerunt diſcipuli ejus: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abijt in civitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: Numquid ipſe eſt Chriſtus? Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum. Intereà rogabant eum diſcipuli, dicentes:
4 Rabbi manduca. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis IESVS: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus. Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia * albæ ſunt

* Albæ ſunt jam ad meſſem. *Senſus eſt: Meſſis hæc mea, quæ opus eſt Patris mei, ecce nunc adeſt. Metaphoricè enim hac locutione ſignificat Samaritanorum jam nunc venientium propinquam converſionem ad fidem: imò univerſarum quoque gentium converſionem hic deſignaſſe Chriſtum, affirmat Ianſenius.*

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta ad Sichem, menſe Ianuario.

ſunt jam ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit. * In hoc enim eſt verbum verum: quia alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit. * Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis: alij laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis. Ex civitate autem illa
5
* multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Cùm veniſſent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et manſit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum propter ſermonem ejus. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator mundi.

* In hoc enim eſt verbum verum. *Id eſt: Hac ratione, dictum illud, ſeu proverbium, quod in ore multorum eſt, veritatem obtinet, nempe,* Alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit.

* Ego miſi vos &c. *Patriarchæ enim & Prophetæ, qui prima fidei initia plantarunt, & populos ex infidelitate converterunt, fuerunt ut ſeminatores: at Apoſtoli miſſi ad converſionem horum ad Chriſtum recipiendum, & in eum credendum, ut meſſores, qui metunt aliorum ſemina. In eo autem verum non eſt prædictum adagium, quòd vnus ſæpenumerò laborat, alter fructu gaudet; quia in hac animarum meſſe uterque fructu gaudet. Ita Irenæ. lib. 4. cap. 40. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 16. quos ſequitur Tolet. hoc loco.*

* Multi crediderunt &c. *Mulier enim hæc apoſtolico munere fungens, univerſum populum ad Chriſtum trahebat (ut ait Chryſoſt.) unde & martyrij palmam obtinuit. De hac quippe Photina nomine agit Martyrologium Romanum & Caſſinenſe, ac Baronius in Notis die 20 Martij, ubi dicitur caput ejus in baſilica S. Pauli Romæ à Caſſinenſibus monachis aſſervari.*

CAPUT XXX.

Digitized by Google

Annus Chriſti 3?. Prædicationis 1. Geſta in Cana, vel juxta eam ſub initium Februarij. A Lapide.

CAPUT XXX.

1. *Chriſtus ad Galilæos accedit, Nazaretho relicto.* Matth. 4. 13. Ioan. 4. 43.
2. *In Cana filium Reguli ſanat.*
3. *Regulus cum omni domo ſua fidem Chriſti amplectitur.* Ioan. 4. 46.

1 [d] POſt duos autem dies exijt inde: & abijt in Galilæam, [a] * relictâ civitate Nazareth. [d] Ipſe enim IESVS teſtimonium perhibuit, quia Propheta in ſua patria honorem non habet. Cùm ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidiſſent, quæ fecerat Ieroſolymis in die feſto: & ipſi enim venerant ad diem feſtum. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum.
2 Et erat quidam * regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiſſet quia IESVS adveniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus: incipiebat enim mori. Dixit ergo IESVS ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, * non creditis. Dicit ad

 eum

* Relictâ civitate Nazareth. *Cùm vid. Nazareth tranſeundum eſſet, relicta Nazareth & Nazarethanis, per reliqua Galilææ oppida & vicos pergebat in Capharnaum, totius Galilææ metropolim, imò universæ Iudææ emporium. Fuit hæc primaria Chriſti ſedes ac ſtatio in Galilæa, ut in tam frequenti populo multos ad ſe converteret; cùm Nazareth exiguum eſſet oppidum, & Nazarethani Chriſtum, ut civem ſuum, ac fabri filium contemnerent.*

Nota. *Licet jam vinctus teneretur Ioannes Baptiſta Meſſiæ præco, non ideo tamen receſſit Chriſtus è Iudæa in Galilæam formidinis causâ, quaſi mortem timens, ſed ut Phariſæorum leniret invidiam (ut ait Chryſoſtomus:) ab his enim Ioannes delatus apud Herodem conjectus erat in carcerem; quod ſignificatur Matth. 4. v. 12. vbi dicitur Herodi* traditus, *vid. à Phariſæis, qui & Chriſto inſidiabantur.*

* Regulus. *Hunc Iudæum fuiſſe opinantur Ianſenius, Maldonat. & alij.*

* Non creditis. *Minus in illum credidit, quem non putavit poſſe ſalutem dare, niſi præſens eſſet & corpore. Ita S. Greg. hom. 28. in Euang. Longum porrò iter à Chriſto exigebat Regulus; nempe ut ſecum pergeret è Cana in Capharnaum, quod erat iter 14. leucarum ſive horarum, ut patet ex Tabulis Geograph.*

Annus Chriſti 32.
Prędicationis 1.
Geſta in Cana, vel juxta eam ſub initium Februarij.
A Lapide.

eum regulus: Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. Dicit ei IESVS: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni, quem dixit ei IESVS, & ibat. Iam autem eo deſcendente ſervi occurrerunt ei, & nuntiaverunt, dicentes, quia filius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quia 3
illa hora erat, in qua dixit ei IESVS: Filius tuus vivit: & credidit ipſe, & domus ejus tota. Hoc iterum ſecundum ſignum fecit IESVS, cùm veniſſet à Iudæa in Galilæam.

Annus Chriſti 32.
Prędicationis 1.
Geſta Capharnai menſe Februario.

CAPUT XXXI.

1. *Chriſtus Capharnaum incolit, celebre Galilææ emporium, & opportunam prædicationi ſuæ ſtationem.*
2. *Inde excurrens palàm regnum Dei appropinquans, fidem, ac pœnitentiam prædicat.* Matth. 4. 13. Marc. 1. 14. Luc. 4. 14.

* Venit & habitavit * in Capharnaum 1
maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim: ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium, populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione umbræ

Iſa. 9. 1.

* In Capharnaum. *Incipit hîc ſolemnis Chriſti prædicatio in hac urbe, quæ ſita erat ad ripam maris Galilææ, & (ut ſuprà dictum) emporium erat frequentiſſimum, quò maxima negotiantium confluebat multitudo: unde elegit eam Chriſtus ad habitandum, tùm propter hominum frequentiam, tùm propter mores eorum corruptiſſimos. Hinc & civitas Chriſti dicta fuit. Sicut enim nobilitavit Bethlehem nativitate ſuâ, Nazareth educatione, Ægyptum fugâ, Ieruſalem paſſione; ſic Capharnaum decoravit ſuâ habitatione, prædicatione & miraculis. Ita Cornel. à Lapide.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 1. Geſta Capharnai menſe Februario.

2 bræ mortis, lux orta eſt eis. Exinde cœpit JESVS prædicare [b] Euangelium regni Dei, [a] & dicere : [b] Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio. [c] Et fama exijt per univerſam regionem de illo. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

CAPUT XXXII.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta ad mare Galilææ, menſe Februario.

1. *Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, à vili piſcatorum officio ad pretioſam animarum piſcationem evocantur.*
2. *Continuò relictis omnibus Chriſtum ſequuntur.* Matth. 4. 18. Marc. 1. 16.

1 [a] AMbulans autem IESVS juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: * Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò re-
2 lictis retibus ſecuti ſunt eum. [b] Et progreſſus inde puſillum [a] vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: [b] & ſtatim vocavit illos. [a] Illi autem ſtatim * relictis retibus, [b] & relicto patre ſuo Zebedæo in navi cum mercenarijs, ſecuti ſunt eum.

CAPUT XXXIII.

* Venite poſt me. *Nota hanc unicam propriè fuiſſe horum Apoſtolorum vocationem, quam referunt Matthæus & Marcus hic. Priùs quidem vocati ſunt ad agnitionem & fidem Chriſti, ut eſt Ioan. 1. 37. Deinde poſt hanc ſuam è navi vocationem, miraculo piſcium confirmati ſunt in Chriſti ſequela, quod refert Lucas cap. 5. ut paulò poſt ſequitur. Ita Vincent. Regius lib. 3. Dilucidat. cap. 12. Vide infrà cap. 36.*

* Relictis retibus. *Reliquerunt quidem piſcandi profeſſionem, & rerum ſuarum dominium, non tamen omninò uſum: ſubinde enim ad piſcationem redierunt.*

Annus Chriſti 32.
Prędicationis 1.
Geſta Capharnai menſe Martio ineunte. A Lapide in Chronotaxi.

CAPUT XXXIII.

1. *Sabbato in ſynagoga Capharnai energumenum liberat.*
2. *Omnis populus doctrinæ ejus ſublimitatem, ſermonis potentiam, & in malignos ſpiritus imperium admiratur.* Marc. 1. 21. Luc. 4. 31.

1 [b] ET * ingrediuntur Capharnaum, [c] civitatem Galilææ: [b] & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat eos. Et ſtupebant ſuper doctrina ejus: erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ. [c] Et in Synagoga erat homo habens * dæmonium immundum, & exclamavit voce magna, dicens: Sine, quid nobis, & tibi IESU Nazarene? Veniſti perdere nos? * ſcio te quis ſis, Sanctus Dei. [b] Et * comminatus eſt ei IESUS, dicens: Obmuteſce, & exi de homine. [c] Et cùm proieciſſet illum dæmonium in medium, [b] * diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna, exijt ab eo, [c] nihilque illum nocuit.
2 Et factus eſt pavor in omnibus, [b] & mirati ſunt omnes, ita ut conquirerent inter ſe, dicentes: Quidnam eſt hoc? Quænam doctrina hæc nova? quia in poteſtate [c] & virtute, [b] etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et proceſſit rumor ejus ſtatim in omnem regionem Galilææ.

* Ingrediuntur Capharnaum, *Chriſtus nimirum & quatuor diſcipuli jam vocati.*

* Dæmonium immundum. *Dæmones dicuntur ſpiritus immundi, quia ſuâ culpâ divinam gratiam & puritatem amiſerunt, & gaudent rebus immundis, ſuiſque & hominum peccatis.*

* Scio te quis ſis. *Vide cap. ſequens.*

* Comminatus eſt ei. *S. Lucas dicit*: Increpavit illum.

* Diſcerpens eum. *Probabile eſt, non corpus, ſed veſtimenta hominis à dæmone fuiſſe diſcerpta. ſequitur enim, nihil ei illatum nocumenti. Tolet.*

CAPUT XXXIV.

Annus Chriſti 32.
Prędicationis 1.
Geſta Capharnai menſe Martio.

CAPUT XXXIV.

1. *Capharnai ſocrum Simonis, febribus æſtuantem imperando curat.*

2. *Veſperi omnem languidorum turbam, & dæmoniacos plurimos domum obſidentes impoſitis manibus ſanat.*

3. *Dæmones Chriſtum agnoſcunt, & Filium Dei eſſe teſtantur.* Matth. 8. 14. Marc. 1. 29. Luc. 4. 38.

1 [b] ET * protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Ioanne. Decumbebat autem ſocrus Simonis, [&] [c] tenebatur magnis febribus. [a] Et cùm veniſſet IESUS * in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem & febricitantem: [c] & rogaverunt illum pro ea: [b] & accedens [c] & ſtans ſuper illam imperavit febri: [&] [b] elevavit eam apprehensâ manu ejus: & continuò dimiſit eam febris, * &
2 miniſtravit eis. Veſpere autem facto, cùm occidiſſet ſol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes: & erat omnis civitas congregata ad januam. Et curavit multos qui vexabantur varijs languoribus, & dæmonia multa eijciebat [a] verbo: & omnes malè habentes curavit, [c] ſingulis manus imponens: [a] ut adimpleretur quod dictum eſt per
Is. Iſaiam prophetam, dicentem: Ipſe infirmita-
53. 4. tes noſtras accepit: & ægrotationes noſtras

O porta-

* Protinus. *Contigit hoc miraculum eodem ſabbato, quo præcedens. Capharnai autem contigiſſe, inſinuant Marcus & Lucas.*

* In domum Petri. *Domus hæc videtur fuiſſe ipſius ſocrus Petri in urbe Capharnaum, apud quam divertere ſolebat Petrus. Patria verò Petri erat Bethſaida, vicina Capharnao. ab ea enim tantùm diſtabat itinere ſeſquihora. Ita*

à Lapide.

* Et miniſtravit eis. *Lucas dicit*; Continuò ſurgens miniſtrabat illis.

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta Capharnai menſe Martio.

portavit.[c] Exibant autem dæmonia à multis, 5
clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei:
& increpans non ſinebat ea loqui, quia * ſcie-
bant ipſum eſſe Chriſtum.

* Sciebant ipſum eſſe Chriſtum. *Poſt tot, tantaque miracula ſciebant dæmones Chriſtum eſſe Meſſiam, ac Dei Filium. malitiâ tamen & odio Chriſti excæcati, ſubinde dubitarunt. Hac enim ratione non conſiderantes regnum ſuum, Chriſti nece evertendum, eum per Iudæos crucifixerunt. Ita SS. PP. & Interpretes. Vide Tolet. in Luc.* 4. *qui citat Nazianzenum orat.* 42. *Irenæum lib.* 4. *cap.* 14. *Ambroſ. lib.* 3. *de fide cap.* 7. *& Gregorium lib.* 3. *Moral. cap.* 11.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 1. Geſta per Galilæam menſe Martio.

CAPUT XXXV.

1. *Poſtridie primâ luce, orationis causâ deſertum petit.*
2. *A Petro ac tribus diſcipulis, populique turba invenitur.* Marc. 1. 35. Luc. 4. 42.
3. *Exinde univerſam peragrans Galilæam, prædicans, ægroſque ſanans, per Syriam omnem innoteſcit & famâ celebratur.* Matth. 4. 23.

* Diliculò. *Lucas ait*: Factâ autem die, *videlicet poſtridie.*

[b] ET * diluculò valde ſurgens, egreſſus 1
abijt in deſertum locum, ibique orabat.
Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum il-
lo erant. Et cùm inveniſſent eum, dixerunt 2
ei: Quia omnes quærunt te. Et ait illis: Ea-
mus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi
prædicem: ad hoc enim veni.[c] Et turbæ re-
quirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum:
& detinebant illum ne diſcederet ab eis. Qui-
bus ille ait: Quia & alijs civitatibus oportet
me euangelizare regnum Dei: quia ideò miſ-
ſus ſum.[a] Et circuibat IESVS totam Gali- 3
læam

Digitized by Google

Annus Chriſti 32. Prædicationis 1. 1. IESV per Galilæam circuitio menſe Martio.

læam, docens * in ſynagogis, & prædicans Euangelium regni: & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abijt opinio ejus in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos: & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

* In ſynagogis. *Nota, frequentes fuiſſe apud Iudæos ſynagogas in ſingulis oppidis ac civitatibus, ad quas omnibus ſabbatis feſtiſque diebus, ocioſus ab operibus ſervilibus populus confluere ſolebat, tùm lectionis & ſacræ exhortationis audiendæ, tùm orationis cauſâ. Chriſtus igitur nunc Galilæam obiens, uti poſteà Iudæam, licet omni loco, & qualibet occaſione populum doceret; ſabbatis tamen aſſiduè ſynagogas frequentabat, quò noverat populum univerſum convenire, ut patet ex præcedentibus, & Luc. 4. 16. uti & ex Chriſti verbis, Ioannis* 18. 20. Ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò omnes Iudæi conveniunt. *Hic ſacras exponebat Scripturas, Euangelium prædicabat, doctrinamque ſuam miraculis confirmabat; neque hiſce divinis operibus ſabbatum violabat; nec, dum jubebat ſanatos à ſe, grabatum tollere, aut ſimilia, quæ fiebant ad miraculorum probationem Deique gloriam. Hæc enim in ſabbatis licitè & laudabiliter fiebant.*

CAPUT XXXVI.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 1. menſe Martio. Geſta per Galilæam, ad mare.

1. *Docet è Petri navicula populum in littore collectum.*
2. *Petrus, Ioannes, & Iacobus poſt inanem totius noctis piſcationem, miraculo capturæ piſcium expaveſcunt; & in propoſito Chriſtum ſequendi roborantur.* Luc. 5. 1.

1 * FActum eſt autem, cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipſe

* Factum eſt autem &c. Nota, *hanc hiſtoriam diſtinctam eſſe ab ea quam ſuprà referunt Matth. c.* 4. 18. *& Marc. c.* 1. 16. *ut docet Toletus, qui hanc ſententiam vocat antiquam, communem ac probabiliorem: quod vel ex ipſa ſerie Euangeliſtarum oſtenditur. Nam vocatio apud Matthæum & Marcum facta eſt in principio prædicationis Chriſti; at verò quod narrat Lucas, contigit quando eò prædicatio proceſſerat, ut undique turbæ confluerent, & irruerent in Chriſtum. Ita Tolet. apud quem vide alias rationes, qui & pro hac aſſertione citat Sedul. Tatianum, Ambr. Greg. culpatque recentiores hæc tria capita confundentes. Idem fusè docet Vincent. Regius in Euang. l.* 3. *c.* 12. *p.* 736.

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. menſe Martio. Geſta per Galilæam, ad mare.

ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth. Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant & lavabant retia. Aſcendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de navicula turbas. Ut ceſſavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſocijs, qui erant in alia 2
navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium, quam ceperant: ſimiliter autem Iacobum & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem IESVS: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. Et ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

CAPUT XXXVII.

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta in Galilæa menſe Martio.

CAPUT XXXVII.

1. *Tres à Chriſto reprehenduntur, quos à ſancto ejus contubernio terrenarum rerum affectus variè remorabatur.* Matth. 8. 18. Luc. 9. 57.

1 VIdens autem IESVS turbas multas circum ſe, juſſit ire * trans fretum. ᶜ Factum eſt autem: ambulantibus illis in via, ᵃ accedens unus Scriba, ait illi: Magiſter, ſequar te quocumque jeris. Et dicit ei IESVS: * Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet. ᶜ Ait autem ad * alterum: Se-
2 quere me. ille autem dixit: Domine, permitte mihi primùm ire, & ſepelire patrem meum. ᵃ IESVS autem ait illi: Sequere me, & * dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos: ᶜ tu au-
3 tem vade, & annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te Domine, ſed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi ſunt. Ait ad illum IESVS: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.

* Trans fretum. *vid. in oppoſitum littus maris Galilææ, ubi erat regio Geraſenorum.*

* Vulpes foveas habent. *q.d. Tu cupis me ſequi, arbitrans me commodè & lautè vivere, ſed longè aberras: ego nec hoſpitiolū proprium habeo, in quo requieſcam. Perpende, an cum hac vitæ conditione cupias me ſequi. Tolet.*

* Alterum. *Hunc* de diſcipulis ejus *fuiſſe, ait Matthæus, puta de ijs, qui non ad perpetuam Chriſti ſequelam vocati erant.*

* Dimitte mortuos &c. *Id eſt: Sine ut mortui peccatis mortuorum curam gerant, eoſque ſepulturæ mandent. Sic ad Epheſ.* 2. *v.*1. *peccatores mortui dicuntur:* Cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris. Notant *hîc Chryſoſtom. Ambroſ. & Hilar. pronomen,* ſuos, *quaſi dicere voluerit Chriſtus, mortuis Deo relinquendam ſepulturam eorum, qui & ipſi mortui ſunt Deo, & fide carent. Non prohibet Chriſtus mortuorum ſepulturam, ſed innuit omnia vocationi Dei poſthabenda. Ita Ianſen. & alij.*

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta in mari Galilææ menſe Martio.

CAPUT XXXVIII.

1. *Ad Geraſenos navigantibus tempeſtas oboritur.*
2. *Chriſtus in puppi navis, quietem capit.*
3. *Diſcipulos modicæ fidei, fiduciæque commonet.*
4. *Imperanti Domino venti & mare obtemperant, & conquieſcunt.* Matth. 8. 23. Marc. 4. 35. Luc. 8. 22.

[b] * IN illa die, cùm ſerò eſſet factum, [a] aſcen- 1
dente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum
diſcipuli ejus: [c] & ait ad illos: Transfretemus
trans ſtagnum. [b] Et dimittentes turbam, * aſ-
ſumunt eum ita ut erat in navi: & aliæ naves
erant cum illo. [c] Et navigantibus illis obdor-
mivit. [a] Et ecce motus magnus factus eſt in
mari, [b] & facta eſt procella magna venti, &
* fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur
navis: [c] & periclitabantur. [b] Et erat ipſe in 2
puppi * ſuper cervical dormiens. [a] Et acceſ-
ſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt
eum, dicentes [b] illi: Magiſter, non ad te per-
tinet, quia perimus? [a] Domine, ſalva nos,
perimus. Et dicit eis IESVS: * Quid timidi
eſtis modicæ fidei? [b] Et exurgens [c] * incre- 3
pavit ventum & tempeſtatem aquæ, [&]
com-

* In illa die. *Lucas ait:* In una die-rum.

* Aſſumũt eum ita ut erat. *Hoc eſt citra ullum è navi, in qua erat, egreſſum, aſſumunt Chriſtum in altum mare. Ita Franciſc. Lucas.*

* Fluctus mittebat in navim. *Tropologicè, navis eſt Eccleſia in mediis tentationum fluctibus, ut docent S. Chryſoſt. & Interpp. Dormit autem Chriſtus (inquit Gloſſa) cùm negligentiùs agimus, & ideò tempeſtas; ſi verò fides reſurgit, imperat ventis & fluctibus.*

* Super cervical. ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον. *Ligneum putant cervical fuiſſe, Euthymius & Theophylactus in puppi fabricatum.*

* Quid timidi eſtis &c. *Matthæus dicit Chriſtum his verbis diſcipulos monuiſſe antequam mari imperaret: Marcus verò & Lucas poſt mare ſedatum hæc Chriſti monita recenſent. frequenter enim ſuos de fidei defectu arguebat.*

* Increpavit ventum. *Matthæus dicit:* Imperavit ventis & mari. *Chriſtus enim imperavit mari, minis additis, & quaſi objurgans elementum furens. Quæ omnia ſignificat eadem vox Græca* ἐπετίμησε. *hæc enim ſola reperitur apud tres Euangeliſtas.*

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta in mari Galilææ menſe Martio.

[b] comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace,
4 obmuteſce. Et ceſſavit ventus: & facta eſt
tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi
eſtis? necdum habetis fidem? [c] ubi eſt fides
veſtra? [a] Porrò homines mirati ſunt, [b] & ti-
muerunt timore magno, & dicebant ad alte-
rutrum: [a] Qualis eſt hic, [c] quia & ventis &
& mari imperat, & obediunt ei?

CAPUT XXXIX.

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta apud Geraſenos menſe Martio.

1. *In regione Geraſenorum duos dæmoniacos præter modum ſævientes liberat.*
2. *Dæmonum legionem in porcos abire permittit; quos maligni ſpiritus ſecum in mare præcipites agunt.*
3. *Rogantibus incolis inde diſcedit, eò rurſum, unde venerat, transfretando.* Matth. 8. 28. Marc. 5. 1. Luc. 8. 26.

1 [a] ET cùm veniſſet trans fretum in regio-
nem * Geraſenorum, [c] quæ eſt con-
tra Galilæam, [a] occurrerunt ei duo habentes
dæmonia, de monumentis exeuntes, ſævi ni-
mis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam il-
lam. Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid
nobis, & tibi, IESV Fili Dei? Veniſti huc * ante
tempus torquere nos? Erat autem non longè
ab illis grex multorum porcorum paſcens. Dæ-
2 mones autem rogabant eum, dicentes: Si eji-
cis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.
Et

* Geraſenorum *Gr.* γεργεσηνῶν, *Gergeſinorum. Syr.* Gadarenorũ. Gergeſa *civitas erat trans mare Galilææ juncta mõti Galaad. hæc eſſe nunc dicitur* Geraſa. *Ita S. Hieron. de locis Heb.* Gadara *verò altera fuit urbs ejuſdem regionis metropolis. Hinc eadem regio nunc ab hac, nunc ab illa urbe dicta eſt. Videntur autem eam incoluiſſe gentiles, mixti tamen eis fuiſſe Iudæi. Ita Franc. Lucas.*

* Ante tempus *.i. ante diem judicij. Tolet.*

Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis. Et
ecce tota civitas exijt obviàm IESV: & viſo 3
eo rogabant, ut tranſiret à finibus eorum.

De altero horum duorum magis ferociente plura referunt Marcus & Lucas, ut ſequitur.

[b] EXeunti ei de navi, ſtatim occurrit de 1
monumento * homo in ſpiritu immundo [c] jam temporibus multis, & veſtimento non induebatur: [b] & neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare: quoniam ſæpè compedibus & catenis vinctus dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet; [c] & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deſerta, [b] & nemo poterat eum domare. & ſemper die ac nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus. Videns autem IESVM à longè, cucurrit, & * adoravit eum: & clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi, JESV Fili Dei altiſſimi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: * Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. Et deprecabatur eum multùm, ne ſe expelleret extra regionem. [c] Et rogabant illum, ne imperaret, * ut in abyſſum irent.

* Homo in ſpiritu immũdo, *ſc. exiſtens, id eſt, in quo erat ſpiritus immundus, (quomodo Syrus explicat.) quia enim hi miſeri homines toti à maligno ſpiritu occupantur, & reguntur, dicuntur eſſe in ſpiritu immundo. S. Lucas ſimpliciter dicit*: Qui habebat dæmonium.

* Adoravit. *Lucas dicit*: Procidit ante illum.

* Legio mihi nomen eſt. *Legio continebat non (ut multi putant) 6666. milites, ſed 12250. ait Ianſenius, & alij. Non videtur autem hoc nomine ſignificari hîc plena legionis numerus; quod ipſius maligni ſpiritus verba innuunt,* quia multi ſumus. *Ita Ianſen. & Franc. Lucas.*

* In abyſſum *.i. in infernum, ſic dictum, quia in profundiſſimo terræ loco ſitus eſt.*

2 irent. [b] Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, paſcens. Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes: * Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et conceſſit eis ſtatim IESVS. Et exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari. Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in agros, [c] & in villas. [b] Et egreſſi ſunt videre quid eſſet factum: & veniunt ad IESVM: [c] & invenerunt hominem ſedentem, à quo dæmonia exierant, veſtitum, ac ſana mente ad pedes ejus, & timuerunt; [b] & narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum eſſet ei, qui
3 dæmonium habuerat, & de porcis. [c] Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Geraſenorum, ut diſcederet [b] de finibus eorum, [c] quia magno timore tenebantur. [b] Cumque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo: & non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui. [c] Et abiit per univerſam civitatem, [&] [b] cœpit prædicare * in Decapoli quanta ſibi feciſſet IESVS: & omnes mirabantur. Et cùm tranſcendiſſet IESVS in navi rurſum * trans fretum, convenit turba multa ad eum: [c] erant enim omnes expectantes eum. [b] Et erat circa mare.

* Mitte nos in porcos. *Nota, potuiſſe Iudæos porcos alere, eoſque gentibus vendere. Poterant & larido uti ad ungenda plauſtra. A Lapide, & alij Interpp.*

* In Decapoli. *Hæc regio eſt ad mare Galilææ, ſic dicta à decem civitatibus quas continebat. Hæ ſunt; Tiberias, Cepher, Aſor, Cedes, Cæſarea Philippi, Capharnaũ, Iotapata, Bethſaida; Corozaim, Bethſan, ſive Scytopolis. Ita Brocard. & Adrich.*

* Trans fretum. *Ex regione Geraſenorum, in adverſa Galilææ littora, ad Occidentem ſita transfretavit Chriſtus, nimirum ubi erant Capharnaum, Magdalum, Genezareth, Tiberias, aliáque oppida.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta Capharnai, menſe Martio.

CAPUT XL.

1. *Capharnai in Chriſti hoſpitio, paralyticus per tectum tegulis nudatum ad pedes ejus ſubmittitur.*
2. *Chriſtus ei peccata condonat: & Phariſæos hanc ſuam poteſtatem maligno animo judicantes redarguit.*
3. *Paralyticum ſanatum jubet grabatum ſuum tollere.*

Matth. 9. 1. Marc. 2. 1. Luc. 5. 17.

[b] ET iterum intravit [a] in civitatem ſuam 1
[b] Capharnaum * poſt dies. [c] Et factum
eſt in una dierum, & ipſe ſedebat docens:
[b] & auditum eſt quod in domo eſſet, & con-
venerunt multi, ita * ut non caperet neque
ad januam. [c] Et erant Phariſæi ſedentes, &
legis Doctores, qui venerant ex omni caſtel-
lo Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem: & vir-
tus Domini erat ad ſanandum eos. Et ecce vi-
ri portantes in lecto hominem [b] paralyticum,
qui à quatuor portabatur: [c] & quærebant eum
inferre, & ponere ante eum. Et non invenien-
tes quâ parte illum inferrent præ turba, aſ-
cenderunt ſupra tectum, [&] [b] nudaverunt te-
ctum ubi erat: & patefacientes ſubmiſerunt
grabatum, in quo paralyticus jacebat, [c] in
medium ante IESVM. Quorum fidem ut vi-
dit, [a] dixit paralytico: * Confide fili, * remit- 2
tuntur tibi peccata tua. [c] Et cœperunt cogi-
tare Scribæ & Phariſæi, dicentes [a] intra ſe:
[c] Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis
poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Ut
cognovit autem IESVS [b] ſpiritu ſuo [c] cogi-
tationes

Nota. *Tres paralyticos Chriſtus ſanaſſe legitur, & primum quidem Capharnai, de quo hoc capite; ſecundum verò Ieroſolymæ ad Probaticam, de quo cap. 44. infrà; tertium item Capharnai decumbentē Centurionis ſervum, de quo cap. 56.*

* Poſt dies .i. *poſt paucos dies.*

* Ut non caperet &c. .i. *ut non caperet eos domus, ne ad januam quidem, puta, veſtibulum & vicina loca.*

* Confide fili. *His verbis excitat Chriſtus & præparat animum paralytici ad pœnitentiam, ſine qua non poterat veniam conſequi.*

* Remittuntur tibi peccata tua. *Ob peccata enim paralyſi affligebatur, ut docet Hieronymus & alij. Curaturus quippe, priùs dimittit peccata, ut oſtenderet eum ob culpam pati, ait Beda.*

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta Capharnai, menſe Martio.

tationes eorum, reſpondens dixit ad illos: ᵃ Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? * Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: ᵇ Surge, tolle graba-
3 tum tuum, & ambula? Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) dico tibi: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. ᶜ Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abijt in domum ſuam, magnificans Deum. Et ſtupor apprehendit omnes, ᵃ & glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus: ᶜ & repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie [&] ᵇ quia numquam ſic vidimus.

* Quid eſt facilius dicere &c. *Senſus eſt: Facilius & minus periculoſum eſt dicere*, Remittūtur tibi peccata, *quàm dicere*, Surge, & ambula. *Nam qui prius dicit, mendacij argui non poteſt, ſive reverà dimittat peccata, ſive non: qui autem dicit paralytico:* Surge, & ambula: *ſe, & famam ſuam falſitatis periculo exponit. Si enim paralyticus non ſurgat, impoſturæ ac mendacij ab omnibus arguetur. Licet autem minus in ſe opus ſit ſanatio paralytici, quàm remiſſio peccati, tamen validè ex illo probat hoc; ſcilicet ex ſanatione probat ſe habere poteſtatem remittendi peccata, quia vel unum miraculum, quale eſt ſubita ſanatio paralytici, certum eſt argumentum veritatis, ſi ad illam probandam edatur & fiat. Ita Corn. à Lapide.*

CAPUT XLI.

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta prope Capharnaum. menſe Martio.

1. *Chriſtus Matthæum, ſeu Levi publicanum è Capharnai telonio, potenti verbo evocat.*
2. *Epulum ei grande parat Matthæus: & Chriſtus cum peccatoribus convivatur.*
3. *Iudæis quærentibus, cur diſcipuli ejus non jejunarent, reſpondet, indulgendum eis paululùm, adhuc vivente ſponſo; poſt cujus mortem ipſi quoque inediam & crucem laturi ſint; infirmos etenim tyrones tam citò gravandos non eſſe; legem quoque novam veteri non miſcendam.* Matth. 9. 9. Marc. 2. 14. Luc. 5. 27.

ᵇ ET ingreſſus eſt rurſus ad mare: omniſ- 1
que turba veniebat ad eum, & doce-

Prædicationis 1. Geſta prope Capharnaum menſe Martio.

bat eos. ᵃ Et cùm tranſiret inde IESVS, vidit ᶜ publicanum, ᵃ ſedentem in telonio, * Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. ᶜ Et relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua. ᵃ Et factum eſt, diſcumbente eo in domo, ecce * multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum IESV, & diſcipulis ejus: ᵇ erant enim multi, qui & ſequebantur eum. Et Scribæ & Phariſæi
2
videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, ᶜ murmurabant [&] ᵇ dicebant diſcipulis ejus: * Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magiſter veſter? ᵃ At IESVS audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. * Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ᶜ ad pœnitentiam. ᵇ Et erant diſcipuli Ioannis, & Pha-
3
riſæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: ᶜ Quare diſcipuli Ioannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt, [&] ᵃ non jejunant? ᵇ Et ait illis IESVS: * Numquid poſſunt filij nuptiarum,

Oſee 6. v. 6.

* Matthæum, *alio nomine* Levi, *uti vocatur à Marco & Luca. Porrò Marcus addit nomen patris ejus, vocatque* Levi Alphæi, *qui fuit diverſus à Iacobi minoris patre, dicto quoque Alphæo. V. Genealog. in proœmio.*

* Multi publicani. *Lucas:* Et erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illo erant diſcumbentes.

* Quare cum publicanis &c. *Lucas addit, dictum quoque à Phariſæis:* Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

* Euntes autem diſcite &c. *Hoc dicto Chriſtus rejicit à ſe Phariſæos, qui toti ſacrificijs & externo Dei cultui dediti, miſericordiam & beneficentiam erga proximos negligebant; jubetque eos expendere illum Oſee locum c. 6 v. 6.* Miſericordiam volo & non ſacrificiũ. *Non enim rectè ſacrificiũ offertur ab eo, cujus animus à miſericordia alienus eſt.*

* Numquid poſſunt &c *Matthæus dicit:* Numquid poſſunt filij ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? *Vbi*, lugere, *ponitur pro jejunare; in luctu enim jejunabant.*

rum, quamdiu ſponſus cum illis eſt, jejunare? Quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſſunt jejunare. Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt in illis diebus. [c] Dicebat autem & ſimilitudinem ad illos: Quia * nemo commiſſuram à novo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commiſſura à novo. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, & ipſum effundetur & utres peribunt, ſed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur. Et nemo bibens vetus, ſtatim vult novum, dicit enim: Vetus melius eſt.

Prędicationis 2.
Geſta prope Capharnaum menſe Martio.

* Nemo cō-miſſuram &c. *Matthæus habet:* Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis (*id eſt novi, recentis & impexi*) in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à veſtimẽto, & peior fit ſciſſura. *Marcus:* Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri: alioquin aufert ſupplementum novum à veteri, & major ſciſſura fit.

Hæc & ſequentes ſimilitudines afferuntur à Chriſto, ut probet ſe prudenter facere, dum non cogit diſcipulos ſuos jejunare, quod Phariſæi vituperaverant. Itaque certum eſt, (ut ait Maldon.) diſcipulos [illegible] *veſtimẽto, utribuſque veteribus; genus autẽ vivendi auſterum & aſperum panno adhuc rudi, vinoque novo comparari, atque hanc eſſe ſententiam: Quemadmodum veſtimento veteri non adjicitur aſſumentum ex panno rudi, quia ſi adjiciatur, veterem veſtem magis diſrumpit: neque vinum novum mittitur in utres veteres, quia ſi mittatur, utres jam attriti vetuſtate, violentiâ vini rumpuntur: ita non convenit, ut diſcipulis faciliori vivendi rationi aſſuetis, genus vitæ difficilius, prorſuſque diſſimile ſubitò præſcribatur, ne difficultati ſuccumbant, & à benè incepto vitæ inſtituto deſiſtant. Ita Euthymius, Theophylactus, Ianſenius, Maldonatus & alij.*

Nota *porrò quoſdam Interpretes hîc intelligere, additamentum ipſum panni rudis, veteri veſtimento aſſutum, partes ipſius adhuc integras lædere ac lacerare, ut Maldonatus & Franciſcus Lucas: alios verò interpretari, ut is, qui veſtem reſarcit, offenſus inconcinnâ diſſimilis panni connectione, auferat partem aſſutam: quâ ratione perdit ſimul fruſtum novo panno ablatum, & ſciſſuram veterem ampliorem facit. Hoc enim videntur Matthæus & Marcus innuere. Et ſic interpretantur Ianſenius & Vinc. Regius.*

Nota 2. *Chriſtum diſcipulos ſuos comparare veſtibus uſu detritis, non quaſi ipſi longo uſu fatigati eſſent, qui novitij tyrones erant; ſed quia debiles erant, & minus robuſti, neque adhuc ad graviora virtutum exercitia aſſuefacti. Proinde expectandum quoad Spiritu ſancto, vetuſtate atque infirmitate depoſitâ, innoventur, ut majoribus oneribus & cruci portandæ pares ſint.*

Annus Chriſti 32.
Prędicationis 1.
Geſta in itinere, & in urbe Capharnao, menſe Martio.

CAPUT XLII.

1. *A Iaïro, pro ſalute filiæ, animam agentis, rogatus Chriſtus Capharnaum pergit.*
2. *In itinere mulierem à ſanguinis fluxu liberat.*
3. *Iaïri filiam jam defunctam vitæ redonat.*

Matth. 9. 18. Marc. 5. 22. Luc. 8. 41.

[a] HÆc illo loquente ad eos, [c] ecce venit vir, 1
cui nomen * Iaïrus, & ipſe * princeps
ſynagogæ erat, & cecidit ad pedes JESV, [a] & adorabat eum, [c] rogãs eum, ut intraret in domum ejus, quia unica filia erat ei, ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur: [b] & deprecabatur eum multum, dicens: [a] Domine, [b] filia mea in extremis eſt, [aut] [a] modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Et ſurgens IESVS, ſequebatur eum, & diſcipuli ejus. [b] Et ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. [a] Et ecce * mulier, quæ ſangui- 2
nis fluxum patiebatur duodecim annis: [b] & fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis: & erogaverat omnia ſua; [c] nec ab ullo potuit curari, [b] nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat: cùm audiſſet de IESV, venit in turba retrò, [a] & tetigit fimbriã veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe: ſi tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero. [b] Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus: & ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga. Et ſtatim IESVS in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, converſus ad turbam, ajebat: Quis tetigit veſtimenta mea? [c] Negantibus autem omnibus, dixit Petrus,

* Iaïrus. *Hic princeps, ſeu præfectus ſynagogæ Capharnai, occurrit Chriſto in littore maris Galilææ, oratque pro ſalute filiæ, quam morti proximam reliquerat, & conjiciebat tempore itineris ſui jam fortè defunctam eſſe. Ita S. Auguſtinus.*

* Princeps ſynagogę. *Matthæus dicit:* Quidam de archiſynagogis.

* Mulier, quæ ſanguinis &c. *Hæc cùm morbo fœdo & pudendo laboraret, ex lege immunda erat, nec poterat ſe turbæ populi miſcere, multò minus veſtimentum Chriſti tangere: unde timens ac tremens aperuit ei facti ſui veritatem. Erat porrò hæc mulier ex Cæſarea Philippi, in qua urbe poſteà ſtatuam Chriſto erexit miraculis claram, ut refert Euſebius oculatus teſtis lib. 7. hiſt. cap. 14.*

Digitized by Google

trus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te
comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?
Et dixit IESVS: Tetigit me aliquis. nam ego
novi virtutem de me exijſſe. [b] Et circumſpiciebat
videre eam, quę hoc fecerat. [c] Videns autem
mulier, quia non latuit, [b] timens & tremens,
ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, [c] & procidit
ante pedes ejus, [b] & dixit ei omnem veritatem:
[c] & ob quam cauſam tetigiſſet eum, indicavit
coram omni populo, & quemadmodum cōfeſtim
ſanata ſit. At ipſe dixit ei: [a] Confide filia,
fides tua te ſalvam fecit, [b] vade in pace, & eſto
ſana à plaga tua. [a] Et ſalua facta eſt mulier ex illa
hora. [c] Adhuc illo loquente * venit quidam ad
principem Synagogę, dicens ei: Quia mortua eſt
filia tua: [b] quid ultrà vexas Magiſtrū? [c] noli vexare
illum. IESVS autem, audito hoc verbo, reſpondit
patri puellæ: Noli timere, crede tantùm,
& ſalua erit. [b] Et non admiſit quemquam ſe ſequi,
niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrē
Iacobi. Et veniunt * in domum archiſynagogi.
[c] Flebant autem omnes, & plangebant illam.
[b] Et videt [a] * tibicines & turbam tumultuantem,
[b] & flentes & ejulantes multùm. Et ingreſſus, ait
illis: Quid turbamini, & ploratis? [c] nolite flere.
[a] Recedite: * non eſt enim mortua puella, ſed
dormit. Et deridebant eum, [c] ſcientes quod
mortua eſſet. [b] Ipſe verò, ejectis omnibus, aſſumit
patrem & matrem puellæ, & qui ſecum
3 erant, & ingreditur ubi puella erat jacens. Et
tenens manum puellæ, [c] clamavit dicens: [b] Talitha

Annus Chriſti 32.
Prędicationis 1.
Geſta in itinere, & in urbe Capharnao, menſe Martio.

* Venit quidam. *Marcus dicit*: Veniunt ab archiſynagogo, *nuncij videlicet à domo archiſynagogi miſſi, uti explicat Syrus.*

* In domum archiſynagog. *quæ ſcilicet erat in urbe Capharnai.*

* Tibicines: *Hi enim adhibebantur ad luctum apud Iudæos, more à gentilibus accepto.*

* Non eſt enim mortua; *nempe ut vos putatis, ſive ut maneat in morte: ſomnus eſt, non mors. dormit enim ad breve tempus; & quam lugetis mortuam, ſtatim videbitis redivivam.*

Annus Chriſti 32. Prędicationis 1. Geſta in itinere, & in urbe Capharnao, menſe Martio.

litha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge. [c] Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuò, [b] & ambulabat: [c] & juſſit illi dari manducare. [b] Et obſtupuerunt ſtupore magno [c] parentes ejus. [b] Et præcepit illis vehementer, ut nemo id ſciret. [a] Et exijt fama hæc in univerſam terram illam.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 1. Geſta Capharnai menſe Martio.

CAPUT XLIII.

1. *Cæci duo, fidei virtute, oculorum uſum recipiant.*
2. *Mutus à dæmonio liberatus, lingua quoque vinculo ſolvitur.*
3. *Phariſæi Chriſto convitiantur.* Matth. 9. 27.

* Secuti ſunt eum. *Statim è domo principe abeuntem Chriſtum duo cæci ſecuti ſunt.*

* Fili David. *Magna fuit horum cæcorum fides: hac enim voce Chriſtum Meſſiam Davidi promiſſum profitentur.*

1 ET tranſeunte inde IESV, * ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, * Fili David. Cùm autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et dicit eis IESVS: Creditis quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum: & comminatus eſt illis IESVS, dicens: Videte ne quis ſciat. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.
2 Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et ejecto dæmonio, locutus eſt mutus: & miratæ
3 ſunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit ſic in Iſraël. Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

VITÆ

VITÆ DOCTRINÆQVE CHRISTI

PARS IV.

Annus 32. vitæ ejus, & prædicationis 2. complectens acta à ſecundo Paſchate poſt baptiſmum, uſque ad tertium; nimirum à fine Martij anni 32. Chriſti, uſque ad finem Martij anni trigeſimi-tertij.

Q CAPUT XLIV.

Digitized by Google

Annus Christi 32. Prædicationis 2. Geſta Ieroſolymis menſe Martio in Paſchate.

CAPUT XLIV.

1. *In Paſchate die ſabbati, paralyticum ſanat, ad Probaticam piſcinam per annos triginta octo decumbentem.*
2. *Calumniantibus Iudæis de ſabbato violato, reſpondet; ſe (cùm Patri ſuo Deo æqualis ſit) unà cum Patre etiam ſabbatis operari.*
3. *Docet ſe à Patre univerſorum Iudicem conſtitutum: ac proinde ſe à nemine judicandum eſſe.*
4. *Quatuor teſtimonijs ſe Meſsiam eſſe confirmat.*

Ioan. 5. v. 1.

PARS I. CAPITIS.

POſt hæc erat feſtus dies Iudæorum, & aſcendit IESVS Ieroſolymam. Eſt autem Ieroſolymis * Probatica piſcina, quæ cognominabatur Hebraicè * Bethſaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam: & movebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infir-

* Probatica piſcina. *.i. Ovina, vel pecuaria piſcina à Græco* προβάτιον, *quod non tantùm ovem, ſed omne ferè quadrupedũ genus deſignat, ut ait Franc. Lucas. Sic autem dicebatur hæc piſcina, 1. quia erat prope portam gregis, quæ erat juxta templum, & per quam introducebantur greges ovium immolandarum in templo. 2. Quia ad hanc piſcinam oves quotidie immolandæ congregabantur, & abluebantur. Multi quoque opinantur aquas in uſum ſacrificiorum, mixtumque ſanguinem victimarum è templo per canales in hanc piſcinam defluxiſſe. Vis porrò ſanandi in aqua hac fuit miraculoſa. Vnde fuit celeberrima hæc piſcina typus baptiſmi. Sanguine enim victimarum rubens ſignificabat vim baptiſmi, qui emundat animam, ſanguinis Chriſti virtute, ut docent S. Chryſoſtomus & Ambroſius. Ita & Toletus pluresque alij.*

* Bethſaida, *Græci* Betheſda *legunt .i. domus effuſionis vel miſericordiæ.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta Ieroſolymis, menſe Martio in Paſchate.

infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Hunc cùm vidiſſet IESVS jacentem, & cognoviſſet quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpondet ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit. Dicit ei IESVS: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. IESVS enim declinavit à turba conſtituta in loco. Poſteà invenit eum IESVS in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nuntiavit Iudæis, quia IESVS eſſet, qui fecit eum ſanum.

Altera pars Capitis.

Chriſtus reſpondet Iudæorum calumnijs; ſabbatum à ſe, omnium Domino, non violari &c. ut ſuprà, num. 2. 3. & 4. in argumento.

2 PRoptereà perſequebantur Iudæi IESVM, quia hæc faciebat in ſabbato. IESVS au-

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta Ieroſolymis, menſe Martio in Paſchate.

tem reſpondit eis: * Pater meus uſque modò
operatur, & ego operor. Propterea ergo ma-
gis quærebant eum Iudæi interficere: quia
non ſolùm ſolvebat ſabbatum, ſed & patrem
ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.
Reſpondit IESUS, & dixit eis: Amen, amen
dico vobis: Non poteſt Filius à ſe facere quid-
quam, niſi quod viderit Patrem facientem:
quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius
ſimiliter facit. Pater enim diligit Filium, &
omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit: & * majo-
ra his demonſtrabit ei opera, ut vos miremi-
ni. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vi-
vificat: ſic & Filius, quos vult, vivificat. Ne- 3
que enim Pater judicat quemquam: ſed omne
judicium dedit Filio, ut omnes honorificent
Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non
honorificat Filium, non honorificat Patrem,
qui miſit illum. Amen, amen dico vobis, quia
qui verbum meum audit, & credit ei, qui mi-
ſit me, habet vitam æternam, & * in judi-
cium non venit, ſed tranſijt à morte in vi-
tam. Amen, amen dico vobis, quia venit ho-
ra, & nunc eſt, * quando mortui audient vo-
cem Filij Dei: & qui audierint, vivent. Sicut
enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic de-
dit & Filio habere vitam in ſemetipſo: & po-
teſtatem

* Pater meus &c. *Oſtendit Chriſtus ſe ſabbatum non violare, ſeque Deo Patri ſuo æqualem eſſe, operando ſcilicet unà cum Patre à mũdi principio, per omnia etiam ſabbata, opera eadem, mundum gubernando, conſervando, ſanando. Eadem enim eſt actio Patris & Filij circa creaturas.*

* Majora his demonſtrabit. i. *Pater majora opera, & quæ magis teſtentur divinam potentiam,* demõſtrabit ei. i. *per Filium coram vobis & omnibus ſpectanda edet. Tale opus eſt mortuos è monumentis excitare, ac vitæ reſtituere, ut mox ſequitur.*

* In judicium non venit. i. *In ultimo die non ſubibit damnationis judicium. Ita exponit S. Auguſtin.*

* Quando mortui &c. *De Lazaro ad vitam revocando potiſſimùm hic loqui videtur. Franciſcus Lucas, Toletus & alij.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta Ieroſolymis menſe Martio in Paſchate.

teſtatem dedit ei judicium facere, * quia Filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia * venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei: & procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicij. Non poſſum ego à meipſo facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum juſtum eſt: quia non quæro voluntatem meam,
4 ſed voluntatem ejus, qui miſit me. * Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt, qui teſtimonium, perhibet de me: & ſcio quia verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me.
5 Vos miſiſtis ad Ioannem: & teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine teſtimonium accipio: * ſed hæc dico, ut vos ſalvi ſitis. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce ejus. Ego autem habeo teſtimonium majus Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me: & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium

* Quia Filius hominis eſt. *Iudiciū enim ſenſibile eſſe debet, quod non poteſt exerceri niſi ab homine. Ianſenius.*

* Venit hora, in qua omnes &c. *Intelligendum de die noviſſimo, qui appropinquat.*

* Si ego teſtimoniū &c. *.i. Si ego ut homo teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt fide dignum. Huic dicto non adverſatur quod Chriſtus dicit* Ioan. 8. v. 14. Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum. *Ibi enim loquitur ut Deus, hic ut homo.* Nota *hic ſubdi quatuor teſtimonia, quibus Chriſtus ſe Meſſiam probat; primum ſcilicet Ioannis Baptiſtæ, deinde tribus alijs majoribus teſtimonijs quàm Ioannis; operum vid. quæ faciebat,* Patris, *& Scripturarum.*

* Sed hæc dico &c. *Senſus hujus loci eſt: Ioannis teſtimonium non ob id vobis profero, quòd, quantum ad me pertinet, ego opus habeam commendari Ioannis teſtimonio, cùm omni humano teſtimonio ſuperior ſim; ſed ideo, ut vos, qui ob infirmitatem veſtram Ioanni magis, quàm mihi attendiſtis, ſalvi ſitis. Ita Ianſenius & Toletus.* Nota *hic agi de teſtimonio Chriſti præſentis, quo ait Chriſtus, quantum ad ſe pertinebat, ſe non indiguiſſe: Apoſtoli verò poſt ejus in cælum aſcenſum teſtimonium de eo reddiderunt.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta Ieroſolymis menſe Martio in Paſchate.

nium perhibuit de me: neque vocem ejus umquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis: & verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem miſit ille, huic vos non creditis. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: * ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem: eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille * ſcripſit: Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

* Si alius venerit &c. *Id eſt, ſi venerit Pſeudopropheta, vel Pſeudochriſtus Talis maximè erit ipſe Antichriſtus, quem pro Meſſia recipient Iudæi. Hunc enim hîc à Chriſto ſignificari, docent S. Hieronymus, Chryſoſtomus & alij paſſim.*

* Scripſit, *paſſim vid. in Pentateucho. Reſpexit autem potiſſimùm ad illum Deuteronomij locum cap.* 18. *v.* 18. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum &c. *qui expendendus & conferendus eſt cum illo Geneſ.* 49. *v.* 10. Non auferetur ſceptrum de Iuda &c.

CAPUT XLV.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in reditu in Galilæam ſub initium Maij, circa Pentecoſten, ut infrà.

1. *In itinere Galilæam verſus, diſcipulos famelicos, ſpicas in ſabbato vellentes Phariſæi frivolè carpunt.*
2. *Chriſtus malevolos confutat; ſuoſque defendit.*

Matth. 12. 1. Marc. 2. 23. Luc. 6. 1.

1 [b] ET factum eſt iterum [c] in * Sabbato ſecundo, primo, cùm tranſiret per

* In ſabbato ſecundo, primo. *id eſt ſabbato duplici, ſive bis primo, aut bis ſolemni, hoc eſt die ſeptimo hebdomadæ concurrente cum alio die feſto. Ita Franc. Lucas. Aut potiùs (ut Corn. à Lapide)* ſabbatum primò primum *dicebatur id quod in feſta paſchalia incidebat;* ſecundò primum *verò, quod in hebdomadâ Pentecoſtes, quæ 6. Maij celebrabatur, circa quod tempus hæc geſta ſunt. Ita ille.*

Prædicationis 2.
Geſta in reditu in Galilæam ſub initium Maij, circa Pentecoſten, ut infrà.

per ſata, b diſcipuli ejus a eſurientes b cœperunt progredi, & vellere ſpicas, c & manducabant confricantes manibus. a Phariſæi autem videntes, dixerunt ei: * Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet fa-
2 cere ſabbatis. At ille dixit eis: b Numquam legiſtis quid fecerit David, quando neceſſitatem habuit, & eſurijt ipſe, & qui cum eo erant? quomodo introivit in domum Dei, * ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducavit, quos non licebat manducare, niſi ſacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant? a Aut non legiſtis in lege, quia ſabbatis ſacerdotes in templo * Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt? Dico autem vobis, quia templo major eſt hîc. Si autem ſciretis, quid eſt: * Miſericordiam volo, & non ſacrificium: numquam condemnaſſetis innocentes. b Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum. Itaque Dominus eſt Filius hominis, etiam ſabbati.

1. Reg. 21.

Levit. 24. 8.

Oſee 6.

* Ecce diſcipuli tui &c. *Lucas ait, etiam diſcipulis hoc ipſum obiectū fuiſſe*: Quid facitis, quod non licet in ſabbatis? *Chriſtus ergo & ſuo et diſcipulorum nomine reſpondit.*

* Sub Abiathar. *Contigit hoc propriè ſub Achimelech, qui erat pater Abiathar: dicitur tamen ſub Abiathar contigiſſe, quia hic patris ſenis munia frequenter obibat; eratque patri brevi morituro in pontificatu ſucceſſurus. 2. Liquet ex Scriptura tam patrem quàm filium fuiſſe binomiini, & utrumque nunc vocari Abiathar, nunc Achimelech, ut patet* 2. *Reg.* 8. 17. *& alibi.*

* Sabbatum violant, *ſc. materialiter tantùm. Vnde &* ſine crimine ſunt.

* Miſericordiam volo. *Vide ſuprà cap.* 41.

CAPUT XLVI.

Digitized by Google

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in Galilæa menſe Majo.

CAPUT XLVI.

1. *Docet non violari ſabbatum benefactis.*
2. *Igitur in ſabbato manum aridam, vivam validamque præſtat.*
3. *Phariſæi in necem Domini conſpirant.*
4. *Ipſe interim omnibus benefacit, hoſtium cedens furori, vtpotè contentionis oſor, ubique placidus ac benignus.* Matth. 12. 9. Marc. 3. 1. Luc. 6. 6.

c FActum eſt autem & * in alio ſabbato, vt intraret in ſynagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida. Obſervabant autem Scribæ, & Phariſæi, ſi in ſabbato curaret: ut invenirent unde accuſarent eum. Ipſe verò ſciebat cogitationes eorum. [a] Et interrogabant eum, dicentes: Si licet ſabbatis curare? vt accuſarent eum. [c] Et ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medium. Et ſurgens ſtetit. Ait autem ad illos IESVS: Interrogo vos, ſi licet ſabbatis benefacere, an malè? * animam ſalvam facere, an perdere? [b] At illi tacebant. [a] Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem vnam, & ſi ceciderit hæc ſabbatis in foveam, nónne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior eſt homo ove? Itaque licet ſabbatis benefacere. [b] Et circumſpiciens eos * cum ira, 1

* In alio ſabbato. *Hoc eſt ſabbato proximè ſequenti præcedens ſabbatũ, quo de more Chriſtus ingreſſus eſt in aliquam ſynagogam Galilææ.*

* Animam ſalvam facere &c. *.i. vitam alicujus conſervare, an occidere, videlicet non ſervando, cùm poſſis.*

* Cum ira, cõtriſtatus &c. *Hinc patet in Chriſto fuiſſe veram iram, triſtitiam ceteraſque paſſiones & affectus qui ſunt in aliis hominibus; ſed omninò domitas, & rationi ſubditas. 2. Ira in hominibus naſcitur ex amore ſui; in Chriſto verò naſcebatur ex amore Dei, cujus offenſam ſummè deteſtabatur. 3. Erat in Chriſto ira zelo & cõmiſeratione condita. ſicut enim peccatis iraſcebatur, ita hominibus peccantibus condolebat, ut patet hîc ex Gr.* συλλυπούμενος, *id eſt, condolens cæcitati* cordis eorum. *Denique quidquid in ira & affectibus humanis vitioſum ac turbulentum eſt, à Chriſto longiſſimè abſuit. Neque hæc ira rationi obtemperans, manſuetudini adverſabatur. Vide* D. *Thom. qu. 15. art. 9.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in Galilæa menſe Majo.

ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis
2 eorum, dicit homini: Extende manum
tuam. Et extendit:[a] & reſtituta eſt ſani-
3 tati ſicut altera. [c] Ipſi autem repleti ſunt
inſipientiâ, & colloquebantur ad invicem,
quidnam facerent IESV. [b] Exeuntes au-
tem Phariſæi, ſtatim cum Herodianis con-
ſilium faciebant adverſus eum, quomodo
eum perderent. [a] IESVS autem ſciens,
[b] cum diſcipulis ſuis ſeceſſit * ad mare: &
4 multa turba à Galilæa & Iudæa ſecuta eſt
eũ, & ab Ieroſolymis, & ab Idumęa, & trans
Iordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem,
multitudo magna, audientes quæ facie-
bat, venerunt ad eum. Et dixit diſcipulis
ſuis, ut navicula ſibi deſerviret propter
turbam, ne comprimerent eum. multos
enim curabat, ita ut irruerent in eum, ut
illum tangerent quotquot habebant pla-
gas. [a] Et curavit eos omnes, & præcepit
eis, ne manifeſtum eum facerent. * Ut
adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam
Iſa 42. 1. Prophetam, dicentem: Ecce puer meus,
quem elegi; dilectus meus, in quo benè
complacuit animæ meæ. Ponam ſpiritum
meum ſuper eum, & judicium gentibus
nuntiabit. Non contendet, neque clama-
bit, neque audiet aliquis in plateis vocem
ejus: * arundinem quaſſatam non con-
fringet, & linum fumigans non extin-
R guet,

* Ad mare. *Puta ad loca mari Galilææ vicina.*

* Ut adimpleretur &c. *Hoc eſt, ita factum eſt ut adimpleretur: nempe dum cederet Chriſtus furori adverſariorum, dum plebi afflictæ benefaceret, dum mundi gloriam & ſtrepitum fugeret, completum eſt vaticinium. Franciſcus Lucas.*

* Arundinem quaſſatam &c. *Nota hîc geminum proverbium idem ſignificans, ſcilicet Chriſtum infirmos in fide nòn contentiosè oppreſſurum, ſed ſuâ manſuetudine potius magis roboraturum. SS. Hilarius & Hieronymus.*

guet, * donec ejiciat ad victoriam judicium: & in nomine ejus gentes ſperabunt. b Et ſpiritus immundi cùm illum videbant, procidebant ei: & clamabant, dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum.

* Donec ejiciat ad victoriam judicium .i. *donec efferat judicium, ſeu legis Euangelicæ prædicationem eouſque, ut victoriâ potiatur, ac toto orbe dominetur. Franc. Lucas.* Nota, *duas ob cauſas hanc de Chriſto prophetiam à Matthæo proferri; 1. ad oſtendendam Chriſti humilitatem, quâ ubique opera ſua admiranda celari voluit, uti hoc capite & hominibus & dæmonibus mandat. 2. Ad probandam ejuſdem manſuetudinem, qui cum Phariſæis contendere noluerit, quin potius indignationi eorum cedens ad mare Galilææ receſſerit.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ ſub medium Maij. A Lapide.

CAPUT XLVII.

1. *Poſt noctem in oratione traductam, ex omnibus diſcipulis convocatis, duodecim eligit Apoſtolos; quibus poteſtatem facit prædicandi, morbos curandi &c.* Matth. 5. 1. Marc. 3. 13. Luc. 6. 12.
2. *Ægros quoſlibet omnium regionum, tactu ſanat.* Luc. 6. 17.

a Videns autem IESVS turbas c in illis diebus, exijt * in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos: a & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus: c & elegit duodecim ex ipſis, b ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis poteſtatem curandi infirmita-

* In montem. *Aliqui putant in monte Thabor hæc contigiſſe. Verùm Brocardus, Bredenbachius & Adrichomius, hunc diverſum ſtatuunt, quem montem Chriſti vocant, tribus tantùm milliaribus Capharnao diſtantem. Hic, cùm eſſet excelſus & amœnus, & cæleſti philoſophiæ conveniens, à Chriſto orationis causâ frequentatus fuit: in eoque etiamnum lapis oſtenditur, in quo Chriſtus prædicans ſedit, uti & loca, in quibus Apoſtoli ſediſſe memorantur, ut ſcribit Adrichomius. Sicut ergo Capharnaum urbs Chriſti; ita hic mons Capharnao vicinus, mons Chriſti dictus fuit. Idem ſentit Vinc. Regius lib. 4. cap. 4.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ ſub medium Maij. A Lapide.

nitates, & ejiciendi dæmonia: [c] quos & Apoſtolos nominavit; Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, [b] & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui, [c] Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, * Iacobum Alphæi, & Simonem [b] Cananæum, [c] qui vocatur Zelotes, & * Iudam Iacobi, & Iudam
2 Iſcariotem, qui fuit proditor. Et deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

* Iacobum Alphæi, *ſcilicet filium.* Alphęus *hic alio nomine Cleophas vocabatur, ut dicitur in ſupplemento Chron. L. Dextri. De hoc eodem vide ſuprà Arb. Geneal.*

* Iudam Iacobi, *ſcilicet fratrem. Hunc trinomium fuiſſe putat S. Hieronymus. Vocatur enim à Matthæo & Marco Thaddaus; ubi Græca & Syra legunt:* Lebbæus cognominatus Thaddæus.

Nota *hic, fuiſſe inter Apoſtolos tria fratrum paria, vid. Petrum & Andream, Iacobum Majorem & Ioannem, Iacobum Minorem Iudamque Thaddæum. Vide ut ſuprà, tabulam Geneal. ſub finem capitis. Procemij.*

CAPUT XLVIII.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

Pars prima ſermonis Domini,

Octo continens beatitudines, quaſi totidem formulas, in quibus vera ſita eſt felicitas, tutaque in cœlum via, quam vulgus hominum ignorat.

Matth. 5. 2. Luc. 6. 20.

[c] ET ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos, [a] & aperiens os ſuum docebat

Nota. *Sermonem hunc habuit Chriſtus coram maxima populi multitudine in montis hujus planitie. Dixit autem partim ad diſcipulos, eiſque propria; partim ad populi turbam, omnibus communia. Eſt igitur hic ſermo totius vitæ Chriſtianæ regula, atque Euangelicæ perfectionis ſumma.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

cebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu: 1
quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati 2
mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram. * Bea- 3
ti qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.
* Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam: quo- 4
niam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes: 5
quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.
Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum vi- 6
debunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vo- 7
cabuntur. * Beati qui perſecutionem patiun- 8
tur propter juſtitiam: quoniam ipſorum eſt
regnum cælorum. * Beati eſtis, cùm male-
dixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, &
dixerint omne malum adverſum vos, men-
tientes, propter me: [&] c cùm vos oderint
homines, & cùm ſeparaverint vos, & expro-
braverint, & ejecerint nomen veſtrum tam-
quam malum, propter Filium hominis. Gau-
dete in illa die, & exultate: a quoniam mer-
ces veſtra copioſa eſt in cælis. ſic enim per-
ſecuti ſunt prophetas, qui fuerunt ante vos.
c Verumtamen væ vobis divitibus: quia habe-
tis conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſa-
turati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis, qui ri-
detis nunc: quia lugebitis & flebitis. Væ cùm
benedixerint vobis homines: ſecundùm hæc
enim faciebant Pſeudoprophetis patres eo-
rum.

* Beati qui lugent. *S. Lucas dicit*: Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

* Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. *Lucas ſimpliciter dicit*: Beati qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini.

* Beati eſtis cùm maledixerint &c. *Hæc potiſſimùm dicta ſunt ad Apoſtolos, qui mittebantur ad prædicandum inter opprobria & perſecutiones. Sunt porrò hæ beatitudines viæ, quæ ad patriam ducunt; totidemque ad æternam felicitatem gradus, Chriſto cogniti ac cælum ambientibus, quamvis mundi amatoribus totidem paradoxa ſint.*

CAPUT XLIX.

Annus Domini 32. Prædicationis 2. Acta in monte Galilææ menſe Majo.

CAPUT XLIX.

Pars ſecunda ſermonis Domini.

1. *Diſcipulos ſuos vult eſſe quaſi terræ ſalem, ac mundi lucem; qui terrenorum hominum inſipidos mores ſapientiâ ſuâ condiant, quique ignorantiæ & peccatorum tenebras doctrinæ ſuæ fulgore diſſipent.*
2. *Scribarum juſtitiam corrigit Chriſtus, ac Decalogum perfectè exponit, dum non tantùm externa flagitia, ſed animi quoque depravatos motus, & cupiditates vetat.* Matth. 5. 13.

1 * VOs eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanuerit, * in quo ſalietur? ad nihilum valet ultrà, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita: * neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. * Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus
2 vocabitur in regno cælorum. Dico enim vobis,

* Vos eſtis ſal terræ. *Sal enim ſapientiæ Apoſtolicæ ſymbolum eſt, quia naturæ ignea eſt (ut ait Plinius) adurens & ſiccans, conſumens & purificans.*

* In quo ſalietur? *i. quanam re condiri & inſtaurari poterit natura ſalis? q. d. non eſt, unde ſali evanido reſtitui poſſit vis deperdita. A Lapide.*

* Neque accendũt &c. *v. cap.* 61. *&* 63.

* Qui ergo ſolverit &c. *i. Qui violaverit vel minimum Decalogi mandatum*, minimus erit *.i. non habebit locum in regno cælorũ; vel (ut S. Chryſ.)* minimus *.i. nullus erit.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Acta in monte Galilææ menſe Majo.

bis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, * raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. * Eſto conſentiens adverſario tuo
citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat Cap. 119.
te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen, amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulieren ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. * Quod ſi oculus Cap. 98.
tuus

* Audiſtis quia dictum eſt &c. *Chriſtus hîc Decalogum exponit juxta perfectionem, quam Scribæ non ſunt aſſecuti. Ita docet S. Auguſtin. lib. 19. contra Fauſtum, aliíque PP. Dicit ergo, non tantùm homicidium, ſed & iram interiorẽ, & verba contumelioſa pro gravitate à Deo punienda. Quod fiet eâ ſeveritate, quâ Iudices Iudæorum graviora crimina vindicabant. Alludit autem ad duplex Hebræorum tribunal. 1. Erat minorum delictorum: & pœnarum. 2. Dicebatur Sanedrim, Gr.* συνέδριον, *quod erat magnum 72. ſeniorum concilium; eratque gravium cauſarum, criminum ac ſuppliciorum.*

* Raca. *Vox eſt Chaldæa, ſive Syra, ſignificans hominem inanem, pauperem, vilem. Ita Franciſcus Lucas. Alij putant interjectionem eſſe, & ſignum animi irati.*

* Eſto conſentiens &c. *Eſt parabola, cujus ſenſus eſt: Compone & tranſige cum eo quem læſiſti, ne poſt hanc vitam tradaris Deo Iudici, qui pœnas à te exiget pro ſummo juſtitiæ ſuæ rigore. Vide ſimilem ſententiam infrà cap.* 119.

* Quod ſi oculus tuus &c. *i. Quidquid ita diligis, ut pro dextro tuo oculo habeas (inquit S. Auguſtin.) ſi fuerit tibi peccandi occaſio, remove à te, & abſcide, more chirurgorum, membra toti corpori noxia reſecantium. V. infrà cap.* 98. Nota *porrò hæc ſpectare ad præcedens mandatum, atque ad oculorum & manuum continentiam.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum eſt autem: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei * libellum repudij. Ego
v. c. 131. autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari: * & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, * non jurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Ieroſolymam, quia civitas eſt magni regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.

* Libellum repudij. *Probabilius eſt, Deum in lege veteri cum Iudæis diſpenſaſſe, ut per libellum repudij, ſolveretur matrimonium, ita ut repudians aliam ducere, & repudiata alteri poſſet nubere. Verùm in lege nova Chriſtus, ſublato repudij libello, permittit conjugibus tantummodò thori divortium, non matrimonij; idque non niſi ob legitimas cauſas, vid. ob fornicationem ſive adulterium, quod directè matrimonio repugnat, ejuſque fidem violat. Intelligenda tamen hic ſunt & alia graviora crimina. Ita paſſim Interpp. v. infrà cap. 130.*

* Et qui dimiſſam duxerit, adulterat. *Intellige; qui dimiſſam quacumque ex cauſa duxerit, mœchatur, ſive adulterat: manet enim prius matrimonium, niſi alterius conjugis morte ſolvendum. Vide prædicto cap. 130.*

* Non jurare omninò, *vid. niſi cogat neceſſitas, ut quantum in te eſt, non appetas juſiurandum. Ita S. Auguſtin. de Mendacio cap. 15.*

CAPUT L.

Digitized by Google

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

CAPUT L.

Pars tertia ſermonis Domini.

Alia mandata Euangelica, & monita perfectionis, circa vindictam, mutuum, & proximi dilectionem. Matth. 5. 38. Luc. 6. 27.

* Oculum pro oculo &c. *Hæc talionis lex, Exod. 21. 24. & pœna à magiſtratu illata, juſta erant, dum aberat vindictæ cupiditas. Hanc enim vetat Chriſtus, non autem reſiſtere malo injuriæ, dum ratio poſtulat.*

* Si quis te percuſſerit &c. *Hoc, & tria alia quæ ſequuntur, cõſilia potiùs ſunt, quàm præcepti. Præcepti tamen eſt, alteram potiùs maxillam præbere, ſive alteram accipere injuriam, quàm acceptam ulciſci.*

ᵃ AUdiſtis quia dictum eſt: * Oculum pro 1
oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed * ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. & quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia
duo. Qui petit à te, da ei: & volenti mutua- 2
ri à te, ne avertaris. ᶜ Et qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. Et * prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.
ᵃ Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum 3
tuum, & * odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: ᶜ benedicite maledicentibus vobis, ᵃ & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: ut ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, ᶜ quæ vobis eſt gratia? ᵃ quam mercedem

* Prout vultis &c. *Eandem ſententiam repetit Chriſtus Matth. 7. v. 12. ut hîc ſequitur cap. 53.*

* Odio habebis inimicum. *Hæc pars nuſquam in Scriptura reperitur, ſed à Scribis addita fuit divinæ legi, & populo tradita. Franciſcus Lucas.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt? nam & peccatores diligentes ſe diligunt. Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt? Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt; quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt. Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere; quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filij Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

* Eſtote ergo miſericordes &c. *Adde quod Matthæus dicit*: Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.

CAPUT LI.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

Pars quarta ſermonis Domini.

De eleëmoſyna, oratione, & jejunio.

1. *Eleëmoſynam faciendam ſine oſtentatione & faſtu.*
2. *Orandum in abſcondito, & juxta formulam à Chriſto datam.*
3. *In jejunio, inanem gloriam vitandam eſſe.* Matth. 6. 1.

1 ATtendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Cùm ergo facis eleëmoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut hono-

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleëmoſynam, * neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: ut ſit eleëmoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in
abſcondito, reddet tibi. Et cùm oratis, non a
eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. O-
rantes autem, nolite multum loqui, ſicut Eth- b
nici. putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra. * Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec Pater veſter dimittet vobis
peccata veſtra. Cùm autem jejunatis, nolite 3.
fieri

* Neſciat ſiniſtra tua &c. *Eſt hyperbolica locutio. q.d. adeò nos debere juſtitiæ noſtræ teſtes effugere, ut, ſi ſiniſtra manus noſtra oculos haberet, videre tamen non poſſet, quid dextera boni faceret.*

* Panem noſtrum ſuperſubſtantialem. *Petimus hic quotidiana ſubſidia corporis & animæ, ut plerique* DD. *exponunt; præſertim panem illum cæleſtem, quo alimur ad vitam æternam. Gr.* τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. *quo ſignificatur omne alimentum ſubſtantiæ noſtræ conveniens. Eadem vox apud Lucam cap.* 11. *vertitur* quotidianum. *quia natura noſtra quotidie refici debet, & alimento congruente ſuſtentari. Ita Leſſ. de Iuſtit. l.* 2. *c.* 37. *dub.* 4.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

fieri ſicut hypocritæ triſtes. * exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

* Extermi- nant .i. *immutant & vitiant nativum faciei colorem fictâ macie & pallore.*

CAPUT LII.

Pars quinta ſermonis Domini.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

1. *In cælo theſaurizandum eſſe.*
2. *Cordis oculum mundandum.*
3. *Immodicas temporalium rerum curas abjiciendas.* Matth. 6. 19.

1 * NOlite theſaurizare vobis theſauros in terra: ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim eſt theſaurus
2 tuus, ibi eſt & cor tuum. * Lucerna cor-
v.c. 61. & 63. poris tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus

 fuerit

* Nolite theſaurizare &c. *Docet Chriſtus non eſſe theſaurizandum in terra. 1. Ne theſauri, id eſt res amatæ, corruptioni & rapinis obnoxiæ ſint. 2. Ne cor, id eſt animus & cogitatio in terra verſentur. 3. Ne oculo mentis pravis cupiditatibus obſcurato, reliquæ etiam actiones noſtræ vitientur, & pervertantur. Quod declarat lucernæ parabola.*

* Lucerna corporis tui &c. *q. d. Quemadmodum oculus, ſi purus eſt, illuminat regitque corpus; ſin verò idem oculus pravis humoribus obnubiletur, obtenebratur totum corpus, & in tenebris errat: ſic pariter ſi mens hominis ſit pura, illuminabit totam animam, omneſque ejus actiones, ut ritè rectèque fiant. Mente verò pravo affectu & cupiditate imbutâ, tota quoque anima omneſque ejus operationes pravitate inficientur. Ita Corn. à Lapide.*

2. *Poteſt quoque per oculum accipi intentio mentis. ita enim S. Gregorius, S. Auguſtinus & alij. Intentio enim bona ex actionibus indifferentibus facit bonas; mala verò totum opus deſtruit. V. cap. 61.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidũ
erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam,
totũ corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo
lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ te-
nebræ quantæ erunt? Nemo poteſt duobus
dominis ſervire: aut enim unũ odio habe-
bit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit,
& alterum contemnet. Non poteſtis Deo c. 128.
ſervire & * mammonæ. Ideò dico vobis, ne 3
ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manduce-
tis, neque corpori veſtro quid induami-
ni. Nónne anima plus eſt quàm eſca: &
corpus plus quàm veſtimentum? Reſpi-
cite volatilia cæli, quoniam non ſerunt,
neque metunt, neque congregant in hor-
rea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa.
Nónne vos magis pluris eſtis illis? Quis
autem veſtrûm cogitans poteſt adjicere ad
ſtaturam ſuam cubitum unum? Et de ve-
ſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate
lilia agri quomodo creſcunt: non laborant,
neque nent. Dico autem vobis, quo-
niam nec Salomon in omni gloria ſua coo-
pertus eſt ſicut unum ex iſtis. Si autem
fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in
clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quan-
to magis vos modicæ fidei? Nolite ergo
ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabi-
mus, aut quid bibemus, aut quo operie-
mur? hæc enim omnia gentes inquirunt.
Scit enim Pater veſter, quia his omni-
bus indigetis. Quærite ergo primùm re-
gnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc om-
nia adjicientur vobis. Nolite ergo ſolici-
ti

* Mammonæ .i. *divitijs. Vide cap.* 128.

Digitized by Google

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

ti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibiipſi. Sufficit enim diei malitia ſua.

CAPUT LIII.

Pars ſexta ſermonis Domini.

1. *Docet Chriſtus, non temerè judicandum eſſe.*
2. *Largè donandum, ut larga ſit remuneratio.*
3. *Non inconſideratè doctrinam Euangelicam ſeminandam.*
4. *Orationem in primis neceſſariam eſſe.*

Matth. 7. 1. Luc. 6. 37.

1 ᶜNOlite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. * In quo enim judicio judicaveritis,
2 judicabimini. ᶜ Dimittite, & dimittemini: date & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. * Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & ſimilitudinem: * Numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foveam cadunt? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter ejus. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? Aut quo modo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine ejiciam

* Eadem quippe menſura &c. *Hoc proverbium referendum eſt ad omnia, quæ præcedunt, tam ad judicia, condemnationes, dimiſſiones, quàm ad donationes. Franciſcus Lucas.*

* Numquid poteſt cæcus &c. *Pergit Chriſtus in doctrina de non judicando ſeu condemnando proximo, (quod vitium Phariſæis & Scribis familiare erat) docetque eos, qui alios arroganter judicare & arguere præſumunt, moreſque eorum corrigere, dum ipſi iiſdem vitiis, aut majoribus inquinati ſunt; cæcorum more alios deducentium, ſimul cum aliis in foveam, & periculum perditionis incurrere: non enim poſſunt diſcipulos ſuos ſemetipſis peritiores reddere; quod hoc loco ſignificat:* Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. *Ita Theophylactus & Janſenius.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 32
Prædicationis 2.
Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

* Nolite dare ſanctum &c. *Docent hic Interpretes, Euangeliſtas non ſervare ordinem dictorum à Chriſto. rurſum enim hic doctrina Apoſtolis tradita reſumitur, quâ monentur, ne* ſanctum *&* margaritas *.i. doctrinam Euangelicam, & Sacramenta impertiant hominibus indignis, perverſis & obſtinatis.*

ciam feſtucam de oculo tuo: ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perſpicies ut
educas feſtucam de oculo fratris tui. * * Noli- 3
te dare ſanctum canibus: neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant
vos. Petite, & dabitur vobis: quærite, & in- 4
venietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur. Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quantò magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ.

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

CAPUT LIV.

Pars ſeptima ſermonis Domini.

1. *Anguſtam portam, arctamque ad cælum viam eſſe proclamat.*
2. *Prudentiâ opus eſſe, ne à falſis doctoribus de virtutis ſemita abducamur.*
3. *Bonis operibus fidem & orationem ſtabiliendam.*

Matth. 7. 13. Luc. 6. 43.

* INtrate per anguſtam portam: quia lata 1
porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam.

Quàm

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ
ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inveniunt
2 eam! Attendite à falſis prophetis, qui veniunt
ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus au-
tem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum co-
gnoſcetis eos. * Numquid colligunt de ſpinis
3 uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona
fructus bonos facit: mala autem arbor malos
fructus facit. Non poteſt arbor bona malos
fructus facere: neque arbor mala bonos fru-
ctus facere. [c]Unaquæque enim arbor de fru-
ctu ſuo cognoſcitur. [a]Omnis arbor, quæ non
facit fructum bonũ, excidetur, & in ignem mit-
tetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis
eos. [c]Bonus homo de bono theſauro cordis
ſui profert bonum: & malus homo de malo
theſauro profert malum. Ex abundantia enim
cordis os loquitur. Quid autem vocatis me
Domine, Domine: & non facitis quæ dico?
[a]Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domi-
ne, intrabit in regnum cælorum: ſed qui fa-
cit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt,
ipſe intrabit in regnum cælorum. Multi di-
cent mihi * in illa die: Domine, Domine, nónne
in nomine tuo prophetavimus, & in nomine
tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo vir-
tutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis:
Quia numquam novi vos: diſcedite à me, qui
operamini iniquitatem. * Omnis ergo qui au-
dit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabi-
tur viro ſapienti, [c]ædificanti domum, qui fo-
dit

* Numquid colligunt &c. *S. Lucas dicit:* Neque enim de ſpinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam.

* In illa die. *Intellige, in die judicij.*

* Omnis ergo qui audit &c. *Epilogus hic eſt ſermonis Domini, quo Chriſtus concludit, non ſufficere ad ſalutem, ſolam fidem operibus vacuam, quæ inſtar arenæ eſt; ſed bona opera fidei adjuncta firmiſſimum eſſe ſalutis noſtræ fundamentum nullis tentationibus labefactandum.*

Annus Domini 32. Prædicationis 2. Geſta in monte Galilææ menſe Majo.

dit in altum, & poſuit fundamentum ſuper petram. inundatione autem facta, ª deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam * ſuper arenam: & deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Et factum eſt: * cùm conſummaſſet IESUS verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.

* Super arenam. *S. Lucas dicit*: Super terram ſine fundamento.

* Cùm conſummaſſet. *Lucas cap. 7. v. 5. dicit*: Cùm autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in agro Capharnai menſe Majo.

CAPUT LV.

1. *Chriſtus leproſum in agro Capharnai tactu manus, imperioque ſanat.*
2. *Mittit eum ad ſacerdotum principem, ut legi pareat, munuſque offerat.*
3. *Leproſus longè lateque miraculum, & Chriſti nomen divulgat.* Matth. 8. 1. Marc. 1. 40. Luc. 5. 12.

Nota, *bis referri ab Euangeliſtis, lepram à Chriſto mundatam, vid. hîc, & Luc. 17. ut infrà cap. 103.*

1 ª CUm autem deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. ᶜ Et factum eſt, cùm eſſet * in una civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns IESVM, ᵇ genu flexo, ᶜ procidens in faciem, ª adorabat eum, dicens: Domi-

* In una civitatum .*i. prope Capharnaum, ſive in agro ei vicino, ut ait Abulenſis, & colligitur ex Matthæi* 8. *v.* 5. *Leproſi enim arcebantur à civitatibus, caſtellis, & caſtris juxta mandatum Levit.* 13. 46. *& Num.* 5. 2.

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta in agro Capharnai menſe Majo.

Domine, ſi vis, potes me mundare. b IESVS autem miſertus ejus, extendit manum ſuam: & tangens eum, ait illi: Volo: Mundare. Et cùm dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt. Et * comminatus eſt ei, ſtatimque ejecit illum: & dicit ei: Vide nemini dixe-
2 ris: ſed vade, oſtende te * principi ſacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit
3 Moyſes * in teſtimonium illis. At ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem, ita ut jam non poſſet manifeſtè introire in civitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet. c Perambulabat autem magis ſermo de illo: b & conveniebant ad eum undique c turbæ multæ, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis. Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.

* Comminatus eſt ei .i. *gravibus verbis præcepit ei, ne cui diceret.* Statimque ejecit illum .i. *ablegavit à ſe, ne quis obſervaret miraculum ab ipſo factum, inſigni exemplo popularis gloriæ declinandæ. Ita Franc. Lucas.*

* Principi ſacerdotum. *Gr.* ἱερεῖ *.i. ſacerdoti. Veriſimile eſt, lepræ judicium fuiſſe penes unum è 24. primoribus ſacerdotibus, qui viciſſim per hebdomadas ſingulas præerant ſacerdotibus, ſacrificijs ac templi ritibus, ex ordinatione Davidis, ut 1. Paral. 24. v. 3 & ſeqq. Ita A Lapide.*

* In teſtimonium illis, *ſcilicet contra ſacerdotes & Iudæos illos, qui me prævaricationis legis accuſant; ut videant me non ſolvere legem, ſed adimplere, tibique præcipere, ut legis præcepta obſerves. Ita Tolet. Alij intelligunt hic teſtimonium ſanitatis, & lepræ ſanatæ. Vide infrà cap. 103.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta Capharnai menſe Majo.

CAPUT LVI.

1. *Centurio ſe Chriſti præſentiâ indignum æſtimans, eum per ſeniores, & amicos pro ſervo paralytico deprecatur.*
2. *Abſentis Domini verbo famulum ſanandum credit.*
3. *Chriſtus fidem ejus prædicat, & ſervum jubet eſſe incolumem.* Matth. 8. 5. Luc. 7. 2.

1 c INtravit [IESVS] Capharnaum. * Centurionis autem cujuſdam ſervus malè habens, erat

* Centurionis autem. *Centurionem gentilem fuiſſe communis eſt PP. ſenſus.*

erat moriturus: qui illi erat pretioſus. Et cùm audiſſet de IESV, * miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum * ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus, ᵃ dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus & malè torquetur. ᶜ At illi cùm veniſſent ad IESVM, rogabant eum ſolicitè, dicentes ei: Quia dignus eſt ut hoc illi præſtes. diligit enim gentem noſtram: & ſynagogam ipſe ædificavit nobis. ᵃ Et * ait illi IESVS: Ego veniam, & curabo eum. ᶜ IESVS autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: non enim ſum dignus, ut ſub tectum meum intres. propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus ut venirem ad te: ᵃ ſed tan- 2
tùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & ſervo meo: Fac hoc, &
facit. ᶜ Quo audito IESVS miratus eſt: & con- 3
verſus ſequentibus ſe turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Iſraël tantam fidem inveni. ᵃ Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Et dixit IESVS Centurioni: * Vade & ſicut credidiſti,

* Miſit ad eum. *Matthæus ait*: Acceſſit ad eum Centurio, *vid. per internuncios. Probabilius enim videtur, Centurionem per ſe non veniſſe ad IESVM. Ita putant S. Auguſtinus, Beda, Ianſenius, Fr. Lucas, Toletus, A Lapide. Alij tamen exiſtimant, Centurionem poſt alios à ſe miſſos, Chriſto jam domui ejus appropinquanti occurriſſe, & per ſe quoque coràm dixiſſe*: Domine, non ſum dignus &c. *Ita opinatur Chryſoſt. & alij.*

* Vt veniret &c. *Hæc de ſuo addiderunt ſeniores, qui tantummodò miſſi fuerant à Centurione, ut impetrarent ſervo curationem, non verò acceſſum Chriſti. Maldon.*

* Ait illi IESVS, *Centurioni vid. non coràm exiſtenti, ſed per internuncios reſpondit.*

* Vade &c. *Hæc non coràm dicta, ſed Centurioni per legatos dici jubet Chriſtus. Toletus.*

didiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora. [c]Et *reverſi, qui miſſi fuerant, domum, invenerunt ſervum, qui languerat, ſanum.

* Reverſi qui miſſi fuerant &c. *Ex his verbis videtur Centurio non per ſe ad Chriſtum acceſſiſſe, ſed tantummodò per eos, quos miſerat.*

CAPUT LVII.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in Naim menſe Majo.

1. *Mortuus in civitate Naim unicus viduæ filius ad tumulum aſportatur.*
2. *Chriſtus matrem ſolatur, & filium vitæ reſtituit.* Luc. 7. 11.

1 ET factum eſt: *deinceps ibat in civitatem,
quæ vocatur *Naim: & ibant cum eo diſcipuli ejus, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur *filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.
2 Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. (Hi autem qui portabant, ſteterunt) Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebem ſuam. Et exijt hic ſermo in univerſam Iudæam de eo, & in omnem circà regionem.

* Deinceps. *Gr.* ἐν τῇ ἑξῆς. *id eſt, in ſequenti ſeu poſtero die.*

* Naim, *Galilææ civitas eſt, duobus milliaribus diſtans à monte Thabor, ut ait S. Hieron. in locis Heb.*

* Filius unicus, *Gr.* μονογενὴς, *quo nullos alios liberos mater genuiſſe ſignificatur.*

 CAPUT LVIII.

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta in Naim, medio menſis Iunij. Tirin. in Chron.

CAPUT LVIII.

1. *Ioannes vinculis detentus diſcipulos ſuos ad Chriſtum legat, non ſui cauſâ, ſed ut illi coràm edoceantur.*
2. *Chriſtus operibus reſpondet, quibus ſe Meſſiam comprobat.*
3. *Magna de Ioanne profert encomia.*
4. *Scribarum & Phariſæorum, nec Ioanni, nec ſibi credentium, pervicaciam accuſat.*

Matth. 11.2. Luc. 7.18.

[e]ET nuntiaverunt Ioanni diſcipuli ejus de 1
omnibus his. [a]Ioannes autem cùm audiſ-
ſet in vinculis opera Chriſti, *mittens duos
de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui ventu-
rus es, an alium expectamus? [c]Cùm autem ve-
niſſent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Bapti-
ſta miſit nos ad te, dicens: Tu es qui ven-
turus es, an alium expectamus? (in ipſa autem 2
hora multos curavit à languoribus, & plagis,
& ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit vi-
ſum.) Et *reſpondens, dixit illis: Euntes re-
nuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Quia
cæci vident, claudi ambulant, leproſi mun-
dantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pau-
peres euangelizantur: & *beatus eſt quicum-
que non fuerit ſcandalizatus in me. Et cùm
diſceſſiſſent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne
dicere

* Mittens duos &c. *Hos diſcipulos ſuos miſit Ioannes ad Chriſtum ſex menſibus ante mortem & martyrium ſuum. Ita Interpp.*

* Reſpondens. *Reſpondet Chriſtus non tam verbis quàm operibus, quibus ſe docet Meſſiam eſſe juxta Prophetarum vaticinia, qui talia opera ac miracula perhibent manifeſta eſſe ſigna Chriſti ſeu Meſſiæ præſentis. Reſpicit autem ad prophetiam Iſaiæ cap. 35. v. 5. & 61. v. 1. Ita Ambroſius, Ianſenius, Franciſcus Lucas, Toletus.*

* Beatus eſt quicumque non fuerit ſcandalizatus in me, *vid. in humilitate, in dictis, vel in factis, vel in morte mea.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta in Naim menſe Iunio.

dicere ad turbas : Quid exiſtis in deſertum
3 videre? arundinem vento agitatam? Sed quid
exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis
indutum? Ecce qui in veſte pretioſa ſunt, &
delicijs, in domibus regum ſunt. Sed quid
exiſtis videre? Prophetam? Utique dico vobis,
& pluſquam Prophetam: hic eſt, de quo
ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum
ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam
ante te. * Dico enim vobis: * Major inter natos
mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo
eſt. qui autem minor eſt in regno Dei, major eſt
illo. * A diebus autem Ioannis Baptiſtæ uſque
nunc, * regnum cælorum vim patitur, & violenti
rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ, &
lex uſque ad Ioannem prophetaverunt: & ſi
vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus
eſt. Qui habet aures audiendi, audiat. Et omnis
populus audiens & publicani, juſtificaverunt
Deum, baptizati baptiſmo Ioannis. Phariſæi
autem, & legis periti conſilium Dei ſpreverunt
* in ſemetipſos, non baptizati ab eo.
4 Ait autem Dominus: Cui ergo ſimiles dicam
homines generationis hujus, & cui ſimiles
ſunt?

* Dico enim vobis &c. *Matthæus dicit*: Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſta.

* Major inter natos &c. *Ioannem Baptiſtam non tantùm Prophetis veteris legis, ſed etiam Apoſtolis ipſis in hoc ſtatu, in quo nondum Spiritum ſanctum acceperant, præfert Ianſenius.* Qui autem minor eſt &c. *Hoc ait Chriſtus de ſeipſo, qui minor erat Baptiſtâ; ætate nimirum, prædicandi ordine, & præſertim in opinione hominum,* in regno Dei major eſt illo. *Ita enim diſtinguunt Hilarius, Theophylact. Chryſoſtomus, Euthymius, ut ſit ſenſus: Ego qui minor ſum apud homines, Dei & SS. Angelorum judicio, quod errare non poteſt, reverà major ſum omnibus. Ita Ianſenius, & Franciſcus Lucas.*

* Regnum cælorum vim patitur, *nimirum propter multitudinem & fervorem eorum, qui Chriſti & Ioannis prædicatione accenſi, ad intrandum in illud confluebant.*

* In ſemetipſos .i. *adverſus ſemetipſos, ſive in ſuam pernitiem.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in Naim menſe Iunio.

ſunt? * Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non ploraſtis. Venit enim Ioannes Baptiſta neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum; amicus publicanorum & peccatorum. Et juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filijs ſuis.

* Similes ſunt pueris &c. *Comparat Chriſtus Scribas & Phariſæos pueris moroſis, quibus nulla ſodalium cantilena placet; rebellibus & contumacibus, quibus ſtudia & inſtituta ſodalium numquam probantur; ſe verò, & Ioannem Baptiſtam confert pueris illis, qui fruſtrà præcinunt ceteris, nec læta, nec lugubria curantibus. Iudæi enim neque exemplo laxioris vitæ Chriſti, neque ſeveritate Ioannis provocari ad converſionem potuerunt. Franciſcus Lucas. Senſus ergo eſt, perinde ſe Scribarum ac Phariſæorum cauſam habere, atque ſi pueri prædicti dicant ſodalibus ſuis:* Cantavimus vobis &c. *Rectè enim poſſet illis dici: Ioannes vobis lamentatus eſt, & non planxiſtis pœnitentiâ peccatorum moti; Filius hominis cecinit, & non ſaltaſtis, neque paruiſtis ei.* Nota, *hîc & alijs locis comparari totam parabolam toti rei, & non partem parti.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in civitate Naim menſe Iunio.

CAPUT LIX.

1. *Magdalena lachrymis pedes Chriſti rigat, capillis tergit, & poſt mille oſcula, amoris caſti ſymbola, unguento linit odorato.*
2. *Phariſæus de temerario, quantumvis occulto, mentis judicio convincitur.*
3. *Eidem frigidè amanti Magdalena præfertur, & à peccatis abſolvitur.* Luc. 7. 36.

Rogabat autem illum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Et ecce * mulier, quæ erat * in civitate peccatrix, ut cognovit 1

* Mulier. *De hac, cujus nomen hic à S. Luca honeſtatis causâ reticetur, vide infrà cap. 72.*

* In civitate. *In Naim civitate multi converſionem Magdalenæ contigiſſe exiſtimant. Ita Franciſcus Lucas, Toletus, Cornelius à Lapide & alij, uti ex textu quoque colligitur.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta in civitate Naim menſe Iunio.

cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi,
attulit * alabaſtrum unguenti : & ſtans retrò
ſecus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes
ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſcu-
labatur pedes ejus, & unguento ungebat. Vi-
2 dens autem Phariſæus, qui vocaverat eum,
ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet Propheta, ſci-
ret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ
tangit eum : quia peccatrix eſt. Et reſpondens
IESVS, dixit ad illum: * Simon, habeo tibi
3 aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic. * Duo
debitores erant cuidam fœneratori: unus de-
bebat denarios quingentos, & alius quinqua-
ginta. Non habentibus illis unde redderent,
donavit utriſque. * Quis ergo eum plus dili-
git? Reſpondens Simon, dixit: Æſtimo quia
is, cui plus donavit. At ille dixit ei : Rectè
judicaſti. Et converſus ad mulierem, dixit Si-
moni : Vides hanc mulierem? Intravi in do-
mum tuam, aquam pedibus meis non dediſti:
hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, &
capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti:
hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit oſ-
culari

* Alabaſtrum, *ſive alabaſter vas eſt, ſeu pyxis unguentaria ex alabaſtrite lapide, quem etiam onychem vocat Plin. l. 36. His quippe pyxidibus propter frigiditatem, odores diutiſſimè & feliciſſimè ſervabantur.*

* Simon. *Probabile eſt hunc fuiſſe Simonem leproſum, de quo Matth. 26. v. 6. Theophylact. in Matth. & Niceph. l. 1. hiſt. c. 27. dicunt eum fuiſſe patrem Lazari & Marthæ. Ita refert Suar. 3. p. q. 46. diſp. 34. Alij rectiùs cognatum fuiſſe, aut certè familiarem Magdalenæ aſſerunt. Ita S. Bonav. Barrad. Maldon.*

* Duo debitores &c. *Deſignat hæc parabola Simonem & mulierem, quam in amoris officijs Chriſtus Simoni præfert. Vnde infertur, majorē quoque illam quàm hunc recepiſſe delictorum remiſſionē, nec jam amplius peccatricem eſſe, neque cōtactu pedum Chriſti indignā.*

* Quis ergo eum plus diligit? *i. plus diligere ac dilexiſſe judicabitur? τὸ enim* diligit *ſignificat præſens & præteritum. q. d. Plus me dilexit & diligit, ideoque plus ei remitto. Vnde Arabicus vertit,* Quis ergo horum duorum debitorum plus amator eſt illius? *Ita Maldonat. qui diſertè ait, præſens hîc ex vulgari phraſi poni pro præterito. Imò Chriſtus ſic interpretatur, & infert :* Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Significatur enim, dilectionem majorem, eſſe cauſam majoris remiſſionis debitorum, id eſt, delictorum. Ita S. Auguſtinus hom. 23. inter 50. Vide A Lapide.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta in civitate Naim menſe Iunio.

culari pedes meos. Oleo caput meum non unxiſti: hęc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad mulierem: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: * Fides tua te ſalvam fecit: vade in pace.

* Fides tua &c. *Fides nimirum ei ſalutis initium fuit & fundamentum: nam ſine fide non veniſſet ad Chriſtum, tantaque dilectionis ac pœnitentiæ ſigna edidiſſet. Fides ergo quaſi radix eſt aliarum virtutum, quas ipſa excitat. Vnde etiam ſub Fide intelliguntur.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta Capharnai initio Iulij.
Tuinus.

CAPUT LX.

1. *Capharnai dæmoniacum liberat, eidemque oculorum lumen ſimul cum lingua uſu reſtituit.*
   Matth. 12. 22. Luc. 11. 14.
2. *Phariſæos factum hoc Chriſti calumniantes, & in Spiritum ſanctum blaſphemos redarguit, docetque id generis peccata difficulter veniam conſequi.*
   Matth. 12. 24. Marc. 3. 22. Luc. 11. 15.
3. *Non tantùm de blaſphemia, ſed de verbo quoque otioſo, in die judicij reddendam eſſe rationem.*
   Matth. 12. 36.

* Ad domum, *puta hoſpitium in quo Chriſtus commorabatur Capharnai: nam domum propriam non habuit.*

b ET veniunt * ad domum, & convênit iterum turba, ita ut non poſſent neque 1
panem manducare. a Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curavit eum ita ut loqueretur & videret. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic eſt * filius David? Phariſæi autem audientes,

* Filius David .i. *Chriſtus ſive Meſſias Davidi promiſſus.*

2 tes, [b] & Scribæ, qui ab Ieroſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. [c] Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum, [b] convocatis eis, in * parabolis dicebat illis: Quomodo poteſt ſatanas ſatanam ejicere? a Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis civitas, vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit. Et ſi ſatanas ſatanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum ejus? [c] quia dicitis me in Beelzebub ejicere dæmonia. [a] Et ſi ego in Beelzebub ejicio dæmones, * filij veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt. Si autem ego * in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi priùs alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet. [c] Cùm * fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. [a] Ideo [b] amen dico vobis: [a] omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, * Spiritus autem

V

* Parabolis .i. *ſimilitudinibus & exemplis oſtendit* Chriſtus *ſe nihil cum dæmone habere commune.*

* Filij veſtri, *videlicet Iudæi exorciſtæ, de quibus Act.* 19. 13. *Ita Ianſen. Tolet. & aly.*

* In Spiritu Dei .*i. per Spiritum. Lucas dicit* : In digito Dei. *Sic enim vocatur Spiritus ſanctus, quia Spiritu ſuo Deus operatur ut homo digitis; quia viam rectam & virtutem demonſtrat; quia legem fidelium cordibus inſcribit. &c.*

* Fortis armatus &c. Fortis *eſt diabolus,* domus *eſt mundus,* vaſa *&* ſpolia *ſunt animæ & corpora peccatorum*, fortior *eſt Chriſtus. Ita communiter Interpretes. Argumentum eſt, q. d. Chriſtus: Ego ſpolio diabolum, & colligo animas, igitur nullum habeo cum dæmone commercium.*

* Spiritus autem blaſphemia .*i. blaſphemia contra Spiritum ſanctum, quale erat hoc peccatum Phariſæorum, qui ſcienter manifeſta Spiritus ſancti opera dæmoni tribuebant. Gravius eſt hoc peccatum, quàm de Chriſto, ut Filius hominis eſt, indignè ſentire & loqui. Ita S. Hieron. S. Chryſoſt. S. Ambroſ. A Lapide, Tolet. & aly.*

Digitized by Google

tem blaſphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: [b] qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, * non habebit remiſſionem in æternum, [a] neque in hoc ſæculo, neque in futuro, [b] ſed reus erit æterni delicti. Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet. [a] Aut * facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Siquidem ex fructu arbor cognoſcitur. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala. Dico autem vobis,

3 quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij. * Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

vide c. 117.

* Non habebit remiſſionem .i. *naturâ ſuâ veniam non meretur, ob malitiam meram abſque ignorantia aut infirmitate, aut aliquo quod excuſet. Maldonat. Alij exponunt: Peccatum hoc inſtar morbi inſanabilis difficulter & admodum rarò remittetur, quia nimirum directè oppugnat Spiritus ſancti gratiam, ſine qua ad pœnitentiam & peccatorum remiſſionem perveniri nequit. Franciſcus Lucas. Sic Matth. 19. 23. divites ſalvari impoſſibile dicitur, id eſt difficile. V. infrà c. 137.*

* Facite arborem bonam &c. *Arbor hæc eſt Chriſtus, ut intelligunt Hilar. Chryſoſt. & Theophyl. q. d. Chriſtus: Cur aliter de me; aliter de operibus meis judicatis? quomodo opera mea bona ſunt, ſi ego peccator ſum?*

* Ex verbis tuis &c. *Senſus eſt: Ex verbis tuis, non minus quàm ex operibus, juſtus agnoſcêris & pronunciaberis; & ex iiſdem condemnaberis.*

CAPUT LXI.

Annus Christi 32.
Prædicationis 2.
Gesta Capharnai menſe Iulio.

CAPUT LXI.

1. *Iudæis de cælo ſignum petentibus, non niſi de terra, Ionæ vid. Prophetæ ſignum datur.*
2. *Ninivitæ & regina Auſtri ſurgent in judicio contra Iudæos incredulos.* Matth. 12. 38. Luc. 11. 16. & 29.
3. *Mentis oculus depravatus, tenebriſque obſitus actiones quoque hominum depravat. Hinc Phariſæorum malitia & peccata.* Luc. 11. 33.
4. *Semel à dæmonio liberatus, eidem rurſus januam aperiens, longè gravius laborat quàm laborarat priùs. quod Iudæis accidit.* Matth. 12. 43. Luc. 11. 24.

1 c ALij tentantes, * ſignum de cælo quærebant ab eo. a Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre. c Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam eſt: [&] a reſpondens ait illis: * Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi * ſignum Jonæ Prophetæ. c Nam ſicut fuit Ionas ſignum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi iſti. a Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus,
2 & tribus noctibus. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædica-

V 2

* Signum de cælo &c. *q. d. miraculo de cælo edito te Meſſiam oſtende, ut olim Moyſes fecit, manna, tonitruis, igne, fumo, buccinâ cæleſti approbatus; ut Ioſue, qui ſolem ſtare fecit, & alij. Ita Franc. Lucas, Tolet. Ianſen.*

* Generatio mala & adultera, *id eſt, ſpuria, & degenerans à fide & moribus SS. Patriarcharum.*

* Signum Ionæ. *Chriſtus non de cælo, ſed ex ima terra, vid. ex Limbo & ſepulchro, Reſurrectionis ſuæ ſignum dat, nempe miraculum poſtremum & omnium maximum. Vide de eodem ſup. c. 25. & inf. c. 85.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta Capharnai menſe Iulio.

* Nemo lucernam accendit &c. *Hæc contra Phariſæos dicta. q. d. O Phariſæi, mens vobis & ſcientiæ lumen datum eſt, non ut illud ſub vitio occulteis, ſed ut per illud præluceatis, ac monſtretis opera mea non eſſe à Beelzebub, ſed Spiritus ſancti opera. Nunc verò id nequaquam facere vultis, ſed oculum mentis veſtræ invidiâ, faſtu, avaritiâ, aliiſque vitijs quaſi tenebris obſcuratis & abſconditis. Quòd ſi hunc oculum haberetis ſimplicem & purum; eſſent & judicia atque opera veſtra pura ac lucida. Ita hunc locum exponunt Theophylactus, Toletus, aliique Interpretes.*

dicatione Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas
hic. Regina Auſtri ſurget in judicio cum
generatione iſta, & condemnabit eam:
quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic. c* Nemo lucernam accendit, 3
& in abſcondito ponit, neque ſub modio,
ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Lucerna corporis tui
eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi
autem nequam fuerit, etiam corpus tuum
tenebroſum erit. Vide ergo ne lumen, quod
in te eſt, tenebræ ſint. * Si ergo corpus tuũ
totum lucidum fuerit, non habens aliquam
partem tenebrarum, erit lucidum totum,
& ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.
** Cùm autem immundus ſpiritus exierit 4
ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit. Tunc dicit:
Revertar in domum meam, unde exivi.
Et

vide c. 52. & 64.

Nota, *ſimiles de* lucerna *ſententias tertiò à Chriſto prolatas; 1. ad diſcipulos in monte Matth. 5. 15. & cap. 6. v. 22.* Rurſum *poſt parabolam de ſeminante Marc. 4. 21. & Luc. 8. 16. 3. Eandem dixit contra calumniatores & ſigna quærentes. quod hic ſolus Lucas refert. Vide ſuprà cap. 49. & infrà cap. 63 circa finem capitis.*

* Si ergo corpus tuum &c. *Si prima & nobiliſſima pars corporis, vid. oculus tuus fuerit lucidus; fiet ut per eum totum corpus illuſtretur. Ita Toletus. Fortè tamen pro voce* σῶμα, *legendum eſt* ὄμμα, *id eſt oculus, ut idem auctor opinatur in Luc. 11. annot. 81.*

* Cùm autem immundus ſpiritus &c. *Senſus eſt: Quod accidit homini ex quo ſpiritus immundus ſemel ejectus eſt, ut in eundem ob ignaviam pluribus ſocijs comitibus revertatur; idem accidet perverſæ huic nationi & ingratæ, ex qua olim diabolus per legem Dei acceptam pulſus fuit.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta Capharnai menſe Iulio.

Et veniens invenit eam vacantem, * ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ.

* Scopis mundatam & ornatam. *Spiritui immundo nulla placet mundities. Hæc igitur verba propriè dæmoni non accommodanda: ſed ſimilitudo ab hominibus ſumpta eſt, quos nitor & ornatus hoſpitij delectat. Senſus ergo eſt: Invenit hominem in eo ſtatu, ut diabolo rurſus commoda poſſit eſſe ac delectabilis domus, quemadmodum hominibus ſolet eſſe hoſpitium nitidum atque ornatum. Ita enim ex adverſo dæmoni ſola immundities placet, & deformitas pulchra eſt: nihil ei benè olet præter fœtorem ac ſordes. Vnde everſum eſt quidquid affectionum eſt, cogitationúmve piarum; ſparſa ſunt aconita pro floribus, & tenſa aulæa ſuperbiæ omniſque impuritatis. Hæc enim ornamenta ſunt domus illius quæ diabolo placeat. Ita Franciſcus Lucas.*

CAPUT LXII.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta Capharnai menſe Iulio.

1. *Dum Phariſæi Chriſtum calumniantur, mulier de plebe eum beatum prædicat.* Luc. 11. 27.
2. *Cognati velut mente alienatum capere & cuſtodire tentant.* Marc. 3. 21. *Hujus porrò ignara conſilij Mater ejus ſanctiſſima, unico ejus fruendi amore accenſa, rudes inter cognatos reperitur.*
   Matth. 12. 46. Marc. 3. 31. Luc. 8. 19.
3. *Chriſtus cognationem ſpiritualem carnali præfert, cunctoſque divinæ voluntati ſubditos, ſibi fratrum ac parentum loco eſſe profitetur.*
   Matth. 12. 48. Marc. 3. 33. Luc. 8. 21.

1 c FActum eſt autem, cùm hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; &

Nota in hoc *cap. ut præcedenti varia hominum erga Chriſtum ſtudia & affectus.* Nota 2. *Marcum cap. 3. v. 21. incipere narrationem de cognatorum conſilio capiendi Chriſtum; mox verò interſerere ſuſurros & maledicta Scribarum, ac demum v. 31. reſumere priorem narrationem, ut innuitur in textu Græco. Vide Franciſcum Lucam & alios, qui ita ordinant hunc Evangeliſtarum textum.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta Capharnai menſe Iulio.

ubera, quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. [b] Et * cùm audiſſent ſui, * exierunt te- 2
nere eum: dicebant enim: * Quoniam in furorem verſus eſt. [a] Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & * fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei: [c] & non poterant adire eum præ turba: [b] & foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum, & ſedebat circa eum turba: & dicunt ei: [a] Ecce mater tua & fratres 3
tui foris ſtant quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, [b] & circumſpiciens eos, qui in circuitu ejus ſedebant, [a] dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. * Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

* Cùm audiſſent. *Cùm nimirum cognati Chriſti audiſſent, eum populi turbam ac diſcipulorum poſt ſe trahere, docere nova, edere prodigijs plena miracula, atque idcirco Phariſæis ac principibus exoſum eſſe, inierunt hoc conſilium capiendi & cuſtodiendi IESVM, ut nimirum tam illi, quàm ſibi ac familiæ conſulerent.*

* Exierunt, *è Nazareth ſcilicet in Capharnaum* 15. *circiter milliaribus diſtans.*

* Quoniam in furorem verſus eſt. *Syrus habet*: Dicebant eum extra mentem ſuam exijſſe. *ſive verè hoc dixerint, ſive fictè, ut Chriſtum, ne à Phariſæis & malevolis opprimeretur, educerent. Poteſt & ſic exponi*: dicebant enim *non ipſi cognati, ſed alij Chriſto infenſi, eum in furorem verſum eſſe.*

* Fratres. *Sic vocantur cognati & conſobrini Chriſti, vid. filij Cleophæ fratris S. Ioſeph. Hi exierunt Nazaretho cum B. Virgine, quæ non erat conſcia conſilij eorum capiendi Chriſtum. Ita Barrad. Cornelius à Lapide, & alij.*

* Quicumque enim fecerit &c. *S. Lucas dicit*: Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. *In quæ verba ſic ait Sanctus Hieronymus*: Iſti ſunt mater mea, ait Dominus, qui me quotidie in credentium animis generant. Iſti ſunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei &c.

CAPUT LXIII.

Digitized by Google

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta ad mare Galilææ propè Capharnaum, menſe Iulio.

CAPUT LXIII.

1. *Vt ſemen partim in viam publicam, petram, & ſpinas; partim in ſolum fertile incidit: ita Dei verbum in varias hominum mentes diſſeminatur.*
2. *Cur Chriſtus in parabolis locutus fuerit Iudæis; Apoſtolis verò apertè ac palàm expoſuerit arcana cæleſtia.*
3. *Declaratio parabolæ ſeminantis.*

Matth. 13. 1. Marc. 4. 1. Luc. 8. 4.

1 [a] IN illo die exiens IESVS de * domo, ſedebat ſecus mare. Et congregatæ ſunt ad eum [c] de civitatibus [a] turbæ multæ, ita vt in naviculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in littore: & locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Exijt qui ſeminat ſeminare. Et dum ſeminat, quædam ceciderunt * ſecus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam: & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æſtuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in ſpinas: & creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud * centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum. [c] Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Et

Nota *hîc referri parabolas Euangelicas octo, quibus doctrinæ cæleſtis, fideique excellentia, efficacitas, pretium & fructus declarantur; item Eccleſiæ incrementum & propagatio. Cùm enim Palæſtinis & Syris familiare eſſet, uti parabolis, ut ſuavius in audientium animos influerent; Chriſtus hunc morem ſequens toties parabolis utitur, iiſque ſubinde facilibus ac vulgaribus. Apud Scribas tamen & Phariſæos ſæpiùs ambiguus fuit uſus atque obſcuris: tùm quia ipſi indigni erant eas intelligere; tùm quia quærebant eum capere in ſermone, accuſare, & occidere.*

* De domo *.i. de hoſpitio Capharnai.*

* Secus viam. *S. Lucas dicit:* Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt.

* Centeſimum. *Terra pinguis, ſi benè colatur, ex uno grano* 100. *profert grana, ut apud Libyphœnices fit. Plinius lib.* 5. *cap.* 4. *hiſt. natural.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta ad mare Galilææ, menſe Iulio.

b Et cùm eſſet * ſingularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, quæ eſſet hæc parabola; [&] a quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: * illis autem non eſt datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, * & quod habet, auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: * quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ, dicentis: Auditu audietis

a

v. infrà c. 145. & 170.

Iſa. 6. 9.

* Singularis *.i. ſolus & extra populi turbam.*

* Illis autem. *Marcus ait:* Illis autem qui foris ſunt, *id eſt, incredulis, qui ſunt extra fidem & Eccleſiam. Beda.*

* Et quod habet, auferetur. *Iudæis enim incredulis & ſuperbis ablata eſt vel tenuis de Deo cognitio & ſenſus: imò privati ſunt Eccleſiâ, regno, pontificatu, templo, ſacrificio, patria; Apoſtoli verò bonis aucti. Hilar. Hieron. Euthym. S. Irenæus ſoli comparat Chriſtum, qui lippientibus ac malignis reproborum oculis, & credere nolentibus tandem fidei lumen aufert; credentibus verò ac ſequentibus ſe diſcipulis majus ſemper & plenius lumen infundit. Vide Irenæi lib. 4. cap. 48. & hîc infrà.*

* Quia videntes non vident. *Marcus dicit:* Vt videntes videant, & non videant: & audiẽtes audiant, & nõ intelligant: nequando convertantur, & dimittantur eis peccata. *Similiter S. Lucas uſus eſt particula finali, ſc.* Vt videntes &c. *quæ diverſum habent ſenſum. Vtrumque autem à Chriſto dictum eſt. Et Matthæus quidem explicat culpam antercedentem Iudæorum, ob quam factum eſt quod aiunt Marcus & Lucas. Iudæi enim videntes & audientes externis ſenſibus, mente & corde credere noluerunt Chriſtum eſſe Meſſiam. Propter hanc culpam eorum inexcuſabilem locutus eſt eis in parabolis obſcuris, vt non videant neque intelligant divina Myſteria, atque excæcentur. Illud Matthæus, hoc Marcus & Lucas retulerunt. Tota ergo Chriſti ſententia eſt hac:* Ideo in *parabolis loquor eis, vt videntes non videant &c. quia videntes non vident, & oculos mentis ſponte ſua claudunt. Hinc ſequitur particulam, Vt, non eventum tantum, verùm & cauſam ſignificare. Chriſtus enim reſpondet diſcipulis de cauſa interrogantibus: q. d. vt tales maneant, quales ſunt, & eſſe affectant. Nam iuſto Dei iudicio ſermones ſuos ſtatui reproborum auditorum accomodavit, vt qui veritatem nudè propoſitam nollent intelligere, eam obſcurè, atque in parabolis propoſitam audirent, nec poſſent intelligere. Quæ eſt juſtiſſima pœna repellentium veritatem. Ita Franc. Lucas, Toletus & alij ſecuti S. Auguſtinum lib. qu. in Matthæum, S. Hieronymum in Iſa. 6. & Albertum Magnum.*

tis, & non intelligetis: & videntes vi-
debitis, & non videbitis. * Incraſſatum
eſt enim cor populi hujus: & auribus
graviter audierunt, & oculos ſuos clau-
ſerunt: * nequando videant oculis, &
auribus audiant, & corde intelligant, &
convertantur, & ſanem eos. Veſtri au-
tem beati oculi quia vident, & aures ve-
ſtræ quia audiunt. Amen quippe dico vo-
bis, quia multi prophetæ & juſti cupie-
runt videre quæ videtis, & non vide-
runt; & audire quæ auditis, & non au-
dierunt. [b] Et ait illis: Neſcitis parabo-
lam hanc? & quomodo omnes parabo-
3 las cognoſcetis? [a] Vos ergo audite para-
bolam ſeminantis. [c] Semen eſt verbum
Dei. [a] Omnis qui audit verbum regni, &
non intelligit, * venit malus, & rapit quod
ſeminatum eſt in corde ejus: * hic eſt, qui
ſecus viam ſeminatus eſt. Qui autem ſu-
per petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui ver-
bum audit, & continuò cum gaudio ac-

Annus Chriſti 32. P[r]ędicationis 2. Geſta ad mare Galilææ menſe Iulio.

* Incraſſatum. *q. d. ſaginâ obrutum, excæcatum & obduratum.*

* Nequando videant &c. & convertantur. *Prædicitur Iudæorum cæcitas, infidelitas & pervicacia, in quibus perſeverabunt uſque ad mundi finē quo tempore tandē reliquiæ eorum ad fidē convertentur. Interim (ut ait Toletus) & Iudæis, & omnibus alijs ſemper datur auxilium ſufficiens, quo reſipiſcere valeant; tamen negatur illud, quo de facto ſe convertant. Rectè ergo dicitur: Loquor illis in parabolis, ut non intelligant, & ut non convertantur atque ſanentur. q. diceret* Chriſtus: *Nolo ob maxima eorum peccata & incredulitatem inexcuſabilem aperire eis parabolas, nec dare eis majus lumen: dedi quidem hactenus quo abundanter potuiſſent converti, ſi voluiſſent; nolo dare hoc, quo de facto convertantur. Sic Tolet. in Luc. 8. annot. 23. atque ita hunc locum de obſtinatione & impœnitentia reproborum exponunt S. Hieronymus, & S. Baſilius in Iſaiæ 6. Ianſenius & alij.*

* Venit malus. *S. Lucas habet:* Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.

* Hic eſt, qui ſecus viam ſeminatus eſt. *Id eſt, qui ſignificatur per terram poſitam ſecus viam.* Seminari *quippe dicitur & ſemen quod jacitur, & ager in quem jacitur. Nam & ſata inde dicuntur agri ipſi, qui ſeruntur. Ergo qui audit verbum Dei, & non ſtudet intelligere, ſed tantùm auribus percipit, ſecus viam ſeminatus dicitur; non quidem ut ſemen, ſed ut ager & terra, quæ ſecus viam dura eſt, prætereuntium calcata veſtigijs. Eodem modo ſequentes verſus expone. Ita Maldonat.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta ad mare Galilææ menſe Iulio.

cipit illud: non habet autem in ſe radicem, ſed * eſt temporalis. Facta autem tribulatione & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur. Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt, qui verbum audit,[b] & ærumnæ[a] & ſolicitudo ſæculi iſtius & fallacia divitiarum, [b] & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur. [a] Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt, * qui audit verbum [c] in corde bono & optimo, [a] & intelligit, & fructum affert [c] in patientia, [a] & facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum. [c] * Nemo autem lucernam accendens operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit; ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur: nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palam veniat. [b] Si quis habet aures audiendi, audiat. Et dicebat illis: Videte quid audiatis [&] [c] quomodo audiatis. [b] In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & ad-

v. cap. 49. 52. & 66.

* Eſt temporalis. *S. Lucas ſic explicat:* Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

* Nemo autem lucernam &c. *q. d. Sicut non fiunt lucernæ eo fine ut accēſa occultentur, ſed ut omnibus luceant; ita doctrina mea à vobis mundo exponenda eſt. Quare* videte .*i. intelligite ea omnia quæ à me auditis, ut ſuo tempore ea in lucem proferatis, & largè hominibus diſpenſetis*: nam in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.

Cap. 53. & adjicietur vobis. * Qui enim habet, dabitur illi : & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.

* Qui enim habet, dabitur illi : & qui non habet, etiam quod habet &c. *S. Lucas dicit*: Quicumque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo.

Nota, *hanc proverbialem ſententiam quater à Chriſto fuiſſe pronunciatam; vid.* primùm *apud Matthæum hoc capite, ut ſuprà.* 2. *poſt hujus parabolæ expoſitionem, ut præſenti loco à Marco & Luca refertur.* 3. *in parabola de decem minis, ut infrà c.* 145. 4. *in parabola de talentis, ut cap.* 170. *Poteſt autem universè ſic commodè explicari: Qui habet id quod debet habere, dabitur ei amplius, ita ut etiam abundet: & qui non habet id quod debet habere; etiam quod habet, aut habere videtur, ab eo auferetur. Sic explicata hæc ſententia deſervit & huic propoſito, & omnibus alijs locis, quibus à Domino repetitur. In regno enim cælorum aliquouſque etiam impletur quod vulgò dici ſolet, ut multum habenti multum detur; parum habenti non ſolùm nihil detur, ſed etiam ab eo tollatur quod habet. Nam qui dona divina, quæ ei offeruntur, verè habet, videlicet rectè eis utendo, alijſque diſpenſando; ei amplius à Deo dabitur: qui verò ea quæ debet habere, & quæ divinitus ei offeruntur dona non habet, (non habet autem is qui otioſum theſaurum apud ſe ſervat) tolletur ab eo etiam quod videbatur habere. Hoc ſenſu exponunt hunc locum S. Chryſoſtomus, & Hieronymus, & his ferè verbis Ianſenius, & Toletus in Luc.* 8. *& alij. Vide infrà cap.* 145. *&* 170.

Digitized by Google

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta ad mare Galilææ menſe Iulio.

CAPUT LXIV.

1. *Chriſtus non niſi bonum ſemen in animas ſpargit.*
2. *Dormientibus dæmon non niſi lolium, urticas, & carduos immittit.*
3. *Impij lolij inſtar, in medio juſtorum hoc tempore tolerantur; ſed in die judicij ſeparabuntur.*

Matth. 13. 24.

1 Aliam parabolam propoſuit illis, dicens: Simile factum eſt * regnum cælorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo.
2 cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abijt. Cùm autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſervi patrisfamiliàs, dixerunt ei: Domine, nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligi-
3 mus ea? Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite pri-

* Regnum cælorum *in hac & ſequentibus parabolis ſignificat Euangelium, aut fidem ei adhibitam. Ita Ambroſius, Chryſoſtomus, & alij. Hilarius verò Chriſtum ipſum* regnum cælorum, *alij verò Eccleſiam interpretantur. Omnia quod ad ſenſum attinet, eódem redeunt. Maldonatus. Vide infrà cap.* 68. *ubi exponitur parabola hac zizaniorum.*

Nota, regnum cælorum *varia in ſe complecti; nempe regem ſuum, legem ſuam, ac regni cives. Unde regnum hoc aliquando ratione iſtius, aliàs ratione alterius dicitur alicui ſimile. Convenientior autem & facilior eſt explicandi eas locutiones ratio, ut regnum cælorum dicatur ſimile huic vel illi rei, quia in regno cælorum tale quid contingit, quale de hujuſmodi re narratur.*

Hæc porro parabola deſumpta eſt à ſemine bono, quatenus in primis ſignificat bonos homines, ut ipſe Salvator etiam poſteà dignatus eſt aperire. Itaque ſignificatur, uſque ad conſummationem ſæculi ſemper in Eccleſia Dei malos bonis fore permixtos, idque Deo permittente fieri in bonum electorum. Ita Ianſenius.

Digitized by Google

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta ad mare Galilææ menſe Iulio.

primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

CAPUT LXV.

Tertia de Semine parabolæ ſenſus eſt: Sicut ſemen primùm quidem herbam, deinde ſpicam, poſtremò frumentum profert; ita doctrina Euangelica à paruis initijs ſenſim creſcit in amplas fidelium meſſes, in die judicij colligendas. Marci 4. 26.

ET dicebant: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, * & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille. Ultrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Et cùm produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.

*Et dormiat, & exurgat &c. q. d. *Dum agricola noctu dormit, & interdiu ſurgit, nihil eo cogitante ſemen creſcit & fructificat: ita verbum Dei in animis hominum fructum profert. Monet Apoſtolos hac ſimilitudine Chriſtus, ne immodicè ſoliciti ſint de fructu prædicationis, poſtquam ipſi ſuo legitimè functi fuerint officio.*

CAPUT LXVI.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta ad mare Galilææ menſe Iulio.

4. Parabola de grano ſinapis.

1. *Sinapi ſemen cùm minimum ſit, creſcit in arborem.*
2. *Simili modo per humilem Euangelij legem Eccleſia propagata eſt.*

Matth. 13. 31. Marc. 4. 30. Luc. 13. 18.

a ALiam parabolam propoſuit eis, dicens: b Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud? a Simile eſt

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta ad mare Galilææ menſe Iulio.

regnum cælorum * grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor, [b] & facit ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cæli habitare.

* Grano ſinapis. *Parabolâ grani ſinapis potiſſimùm ſignificatur, quantam ſemen Euangelij habeat vim & virtutem, & ex quàm parvo initio in quàm admirandam magnitudinem excreſcat.*

Regnum cælorum *igitur* 1. *prædicatio Euangelij eſt,& notitia Scripturarum.* Volucres cæli, *animæ ſunt credentium*: rami *verò Euangelicæ arboris, quæ de grano ſinapis creverit, dogmatum diverſitates. Ita exponit S. Hieron. in Matth.* 13. *& alij.* 2. *Chriſtus comparat fidem grano ſinapis Matth.* 17. *v.* 19. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis. 3. *Eccleſia appoſitè grano ſinapis confertur. Ita S. Chryſoſtomus alijque paſſim DD.* Denique *per granum ſinapis Chriſtum ipſum, qui eſt caput Eccleſiæ, intelligunt S. Hilarius hic Canone* 13. *& S. Gregorius lib.* 19. *Moral. cap.* 11. *Hæc autem omnia ferè eôdem reduci poſſunt. Vide cap.* 93. *infrà, & S. Auguſtini ſerm.* 31. *&* 33. *de Sanctis, qui ſunt de S. Laurentio ſecundus & quartus.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta ad mare Galilææ menſe Iulio.

CAPUT LXVII.

5. De fermento Parabola.

Significatur per Euangelium & fidem Chriſti, tres mundi partes à divina Sapientia, quaſi fermento ſpirituali conditas fuiſſe & fermentatas.

Matth. 13. 33. Luc. 13. 21.

ALiam parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cælorum * fermento,

* Fermento. *Quemadmodum fermentum (ut ait Albertus Magnus) calore ſuo humidum panis maturat, & ſubactum quaſi totum in ſe convertit & fermentat, acore ſuo elevat, ſapidum reddit, digeſtumque præparat: ſic Euangelium per paucos Apoſtolos martyrio ſubactos totum mundum ad ſe convertit, & cor cujuſque calidum facit, maturum, ſapidum, Deo gratum, perfectum, illudque ad cæleſtia elevat.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta ad mare Galilææ menſe Iulio.

to, quod acceptum *mulier abſcondit in farinæ *ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. Hæc omnia locutus eſt IESVS in parabolis ad turbas: [b] & talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, *prout poterant audire: ſine parabola autem non loquebatur eis:[a] ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. [b] Seorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.

Marc. 4. 33. — *Pſ. 77. 2.*

Mulier. *Per hanc D. Auguſtinus intelligit Dei ſapientiam, quæ Euangelicum fermentum orbi prudenter & clanculùm admiſcuit. Per* tria ſata, *commodiſſimè intelliguntur tres mundi partes. Ita* D. Hilarius *&* Ianſenius. *Iuxta moralem ſenſum, per mulierem abſcondentem fermentum in tribus farinæ ſatis, rectè accipitur anima hominis, quæ doctrinam Euangelicam occultat, & commiſcet tribus ſuis partibus, quæ ſunt rationabilis, concupiſcibilis, & iraſcibilis; ita ut hæc tria uni doctrinæ cæleſti attẽperentur, ac totus homo fiat ſpiritualis, & in rationabili quidẽ poſſideat prudentiam, in concupiſcibili deſiderium virtutum, in iraſcibili odium contra peccatum. Sic* D. *Hieronymus & Theophylactus.*

* Satis tribus. *Satum juxta Ianſenium vox eſt Syriaca, & menſuræ genus, idem quod modius ſive tertia pars Ephi.*

* Prout poterant audire, *ut ſc. qui poſſent eas intelligere & capere, caperent; qui verò non poſſent, ſtimularentur ad explicationem earum veſtigandam, & à Chriſto flagitandam.*

CAPUT LXVIII.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta Capharnai menſe Iulio.

Chriſtus in hoſpitio Capharnai, ſeorſum diſcipulis ſuis exponit parabolam zizaniorum. Matth. 13. 36.

TUnc, dimiſſis turbis, venit *in domum: & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui reſpondens ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis. Ager autem, eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni. Zizania

* In domum, *i. in hoſpitium Capharnaenſe.*

Annus Christi 32. Prædicationis 2. Geſta Capharnai menſe Iulio.

zania autem, filij ſunt nequam. Inimicus autem qui ſeminavit ea, eſt diabolus. Meſſis verò, conſummatio ſæculi eſt. Meſſores autem, Angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus * omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. * Qui habet aures audiendi, audiat.

* Omnia ſcandala. *Primo loco puniendi nominantur hi, qui non ſolùm ipſi iniqui fuerint, verùm etiam alios perverterint, ac vi, prece, doctrinâ, conſilio aut exemplo ad iniquitatem traxerint vel provocarint. Ita Franciſcus Lucas.* Scandala *ergo hic vocantur mali, qui ſuis ſceleribus tam ſibi quàm alijs fuêre ſcandalo, offendiculo & ruinæ.*

* Qui habet aures &c. Hoc eſt (*ait Rabanus*) qui habet intellectum, intelligat; quia myſticè hæc omnia intelligenda ſunt.

Annus Christi 32. Prædicationis 2. Geſta Capharnai menſe Iulio.

CAPUT LXIX.

Parabolis Theſauri, & Margaritæ, docet Chriſtus, doctrinam Euangelicam ac fidem tanti eſſe pretij, ut vel omnium rerum jacturâ meritò ſint comparandæ. Melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis, &c. Prov. 8. Matth. 13. 44.

Nota, *tres parabolas ſequentes dictas fuiſſe non ad turbas populi, ſed in hoſpitio Capharnaenſi ad diſcipulos Chriſti. Ita Franciſcus Lucas.*

Simile eſt regnum cælorum * theſauro ab- 1
ſcondito in agro: quem qui invênit homo, abſcondit, & præ gaudio illius, vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum

* Theſauro. *Theſaurus propriè hic eſt Euangelium, ejuſque doctrina & fides. A Lapide.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta Capharnai menſe Iulio.

Iterum * ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventâ autem unâ pretioſâ margaritâ, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. 2

* Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori. *q. d. Tanto ſtudio fideles debent ſibi comparare doctrinam vitamque Euangelicam, quæ via eſt, & pretium regni cælorum, quanto mercator quærens margaritas. Vide ſuprà cap. 64. quâ ratione ſimiles loquendi modi debeant exponi.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta Capharnai menſe Iulio.

CAPUT LXX.

8. Parabola Sagenæ.

Quemadmodum ſagena bonos ac malos piſces colligit: ita lex Euangelica, & Eccleſia juſtos habet atque improbos; in die tamen judicij ſegregandos; illos in gloriam, hos verò in ſupplicium æternum.

Matth. 13. 47.

ITerum ſimile eſt regnum cælorum * ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo * omnis ſcriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patrifamiliàs, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.

* Sagena, *vox Græca ſignificat genus retis, quod vulgò dicitur verriculum à verrendâ aquâ, ut piſces capiat: propriè tamen eſt ſinus retis, in quem capti piſces deveniunt.*

* Omnis ſcriba doctus &c. *i. Omnis Euangelicus doctor, inſtar patrisfamiliàs, qui familiam ſuam cibo corporali liberaliter paſcit; pro captu & fructu auditorum varium debet promere ſermonem, & omnis generis ſcientiam, ſimilitudines, exempla, quibus animæ ſuſtententur.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta Nazarethi menſe Iulio.

CAPUT LXXI.

1. *Chriſtus in Nazarethana ſynagogâ ex oraculo Iſaiæ ſe Meſſiam eſſe deſignat.*
2. *A popularibus ſuis contemptus, eos gratiâ ſuâ indignos, tandemque deſerendos eſſe prædicit.*
3. *Hinc irâ incenſi, dum eum ex monte præcipitandum ducunt; ipſe divinâ ſe virtute ſubducit.*

Matth. 13. 53. Marc. 6. 1. Luc. 4. 16.

ᵃ ET factum eſt, cùm conſummaſſet IESVS parabolas iſtas, ᵇ egreſſus inde, abijt * in patriam ſuam: & ſequebantur eum diſcipuli ſui: ᶜ & venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbati in ſynagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ. Et ut revoluit librum, invenit locum, ubi ſcriptum erat: * Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare * annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auri-

1

Iſa. 61. 1.

* In patriam ſuam, *Nazareth ſcilicet, quæ eſt Galilææ civitas, Capharnaum urbi ſubjacens, ædificata ſupra montem, quem coronæ inſtar ambit, duabus leucis à monte Thabor, trium autem dierum itinere ab Ieruſalem diſtans. Dicitur patria Chriſti, quia ibidem conceptus eſt & educatus, ac viginti quatuor annis habitavit. Ita Adrichom.*

* Spiritus Domini &c. *Hæc de Chriſto prophetia clariſſima, qua legationem ſuam probat.*

* Annum Domini. *Alludit ad annum Iubilæi, qui typus erat anni hujus Euangelici.*

Digitized by Google

auribus veſtris. Et omnes * teſtimonium
illi dabant: & mirabantur in verbis gra-
tiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & di-
cebant: [b]Unde huic hæc omnia? & quæ
eſt ſapientia, quæ data eſt illi; & virtu-
tes tales, quæ per manus ejus efficiuntur?
[a]Nónne hic eſt fabri filius? [c]Nónne hic eſt
filius Ioſeph? [b]Nónne hic eſt * faber, fi-
lius Mariæ, * frater Jacobi, & Ioſeph, &
Iudæ, & Simonis? Nónne & ſorores ejus
hîc nobiſcum ſunt? Et ſcandalizabantur
in illo. [c]Et ait illis: Utique dicetis mihi
hanc * ſimilitudinem: Medice cura teip-
ſum: quanta audivimus facta in Caphar-
naum, fac & hîc in patria tua. Ait au-
tem: Amen dico vobis, quia * nemo pro-
2 pheta acceptus eſt in patria ſua. In veri-
tate dico vobis, * multæ viduæ erant in
diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt
cælum annis tribus, & menſibus ſex, cùm
facta eſſet fames magna in omni terra: &
ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in
* Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.
Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo
Propheta: & nemo eorum mundatus eſt,
3 niſi Naaman Syrus. Et repleti ſunt omnes
Y 2 in

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta Nazarethi menſe Iulio:

* Teſtimonium illi dabant &c. *Cùm cives hi agnoſcere & admirari cogerentur divinam Chriſti ſapientiam atque eloquentiam; ſtudioſè quæſierunt occaſionem illius extenuandi, & præclaram de illo opinionem animis ſuis excludendi vocibus illis contemptibilibus, quæ ſequuntur. Ita Franciſcus Lucas.*

* Faber. *S. Iuſtinus in dial. contra Tryphonem dicit Chriſtum feciſſe aratra & juga; & ideo ſæpè in Evangelio ab eis petere ſimilitudines.*

* Frater *.i. cognatus, aut patruelis. Vide in proœm. Arborem de Chriſti Geneal.*

* Similitudinem *.i. proverbium. Gr. eſt* παραβολὴν.

* Nemo propheta &c. *S. Marcus dicit*: Non eſt propheta ſinè honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.

* Multæ viduæ &c. *Duobus exemplis ſequentibus oſtendit, Deum virtutem ſuam ad extraneos tranſmittere, quando à domeſticis deſpicitur & repellitur.*

* Sarepta *gentilium urbs erat, media inter Tyrum & Sidonem.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta Nazarethi menſe Iulio.

in ſynagoga irâ, hæc audientes. Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas eorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens per medium illorum, ibat. [b] Et * non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.

* Non poterat &c. *Poterat quidem abſolutâ potentiâ, ſed non conveniebat, quia Nazarethani ſe beneficijs ejus indignos reddiderant, ut vel ex præſenti eorum malitia patet.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta per Galilæam menſe Iulio.

CAPUT LXXII.

1. *Iterum Galilææ vicos & civitates perambulat: comitantur Apoſtoli, & mulieres aliquot ei miniſtrantes.*

2. *Populi miſeretur, ægros ſanando, & omnibus prædicando.* Matth. 9. 35. Marc. 6. 6. Luc. 8. 1.

[a] ET * circuibat IESVS omnes civitates, 1
& caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem: [c] & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: * Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem

* Circuibat. *Notanda hîc* 2. Galilææ circuitio, *quæ contigit menſe Iulio, ut Tirin. in Chron.*

* Maria Magdalene. Nota 1. *Licet hæc Iudæa eſſet, habitabat tamen in Galilæa causâ mariti, cujus erat caſtellum Magdalum, ſitum juxta Bethſaidam, quo mortuo venit in Naim, & ſecuta eſt Chriſtum. Ita Toletus, Ianſenius, Franciſcus Lucas, A Lapide. A Magdalo hoc, omnes Magdalenam dictam volunt.*

Annus Chriſti 31. Prædicationis 2. Geſta per Galilæam menſe Iulio, juxta Tirin. in Chron.

* ſeptem dæmonia exierant, & Ioanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultati-
2 bus ſuis. ª Videns autem turbas, miſertus eſt
eis: quia erant vexati, & jacentes ſicut oves non habentes paſtorem. Tunc dicit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.

* Septem dæmonia *propriè accipienda ſunt pro ſeptem malignis ſpiritibus, quales paulò antè, & hoc ipſo verſu nominantur: hi enim propriè dicuntur* exire & ejici, *uti & Lucas hic loquitur, & Marcus cap.* 16. *v.* 9. *Ita S. Ambroſ. Euthym. & paſſim Interpp.*

Nota, *hoc loco primùm in Euangelio nominari Mariam, Magdalenam cognomine, de qua celebris eſt controverſia, an una vel plures fuerint mulieres, quibus varia ab Euangeliſtis officia tribuuntur. Et hæc quidem ex Euangelio certa ſunt; unam eandemque eſſe, ex qua ſeptem dæmonia ejecit Chriſtus, quem ipſa deinceps conſtanter ſecuta fuit; quæ ſtabat ad crucem; quæ venit ad ungendum Chriſti corpus; quæ ſtabat ad monumentum plorans; denique hanc ipſam eſſe cui Chriſtus redivivus primùm apparuit, Marc.* 16. 9. *At verò an hæc eadem mulier fuerit peccatrix illa Luc.* 7. 37. *& ea quæ alterâ vice in Bethania Chriſti pedes inunxit, non conſtat ex Euangelio, uti neque exponitur, an eadem fuerit ſoror Lazari & Marthæ, de qua Ioan.* 11. 2. *dicitur*: Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento. *Quod tam de poſteriori, quàm de priori unctione intelligi poteſt: nec ſoror Lazari uſquam Magdalene appellatur. Nihilominus ex Euangelio colligi poſſe videtur, eandem ubique eſſe mulierem, quæ nimirum cùm domi, vel extra aliarum comitatum eſt ſimpliciter Maria vocatur; cùm verò alijs ſociata eſt, Magdalenæ cognomento, ab altera Maria Cleophæ, alijſque comitibus diſtinguitur. Atque hæc eſt ſententia S. Auguſtini lib.* 2. *de conſ. Euang. c.* 79. *S. Cypriani tract. de dup. Martyrio, S. Gregorij hom.* 33. *imò etiam Origenis Orat. de Magdalena. Denique ſuper omnia eſt Chriſti de Maria oraculum. Hic enim Matth.* 26. 13. *& Marc.* 14. 9. *laudes ejus per univerſum mundum celebrandas prænunciavit; cui prædictioni conſonat communis fidelium ſenſus, ac totius conſenſus Eccleſiæ, quæ in Eccleſiaſtico officio præfata omnia uni tribuit Mariæ Magdalenæ, eademque ubique terrarum prædicat atque decantat. Idem tenent Ianſenius, Toletus, Franciſcus Lucas, A Lapide, atque in primis Ioannes Roffenſis, libro de unica Magdalena edito, cetérique paſſim Interpretes.*

 CAPUT LXXIII.

Annus Christi 32.
Prædicationis 2.
Geſta per Galilæam menſe Iulio.

CAPUT LXXIII.

1. *Apoſtolos binos per Galilæam mittit, & gratiam miraculorum eis impertit.*
2. *Eos monitis inſtruit, ut gratis euangelizent, paupertatem colant, pacem hoſpitibus apprecentur.*

Matth. 10. 1. Marc. 6. 7. Luc. 9. 1.

b ET vocavit duodecim, & cœpit eos 1
mittere binos, & dabat illis * poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit eum. Hos duodecim miſit IESVS c prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos, a præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: ſed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domus Iſraël. Euntes autem prædicate, dicẽtes: Quia appropinquavit regnum cælorũ. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date. Nolite poſſidere aurum, 2
neque argẽtum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, b non panem, neque

* Poteſtatem &c. *Lucas*: Dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia.

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 2.
Geſta per Galilæam menſe Iulio.

vide c. 110.

• neque duas tunicas, * neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo. In quamcumque autem civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis. Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos. Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris, c in teſtimonium * ſupra illos. • Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicij, quàm illi civitati.

* Neque calceamenta, neque virgam. *Marcus contrà dicit, & virgam & calceamenta permiſſa.* Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs, ſed calceatos ſandalijs, *Marci* 6. 8. Nota *igitur apud Marcum permitti Apoſtolis ſandalia, quæ tantummodò plantam pedis tegunt; item virgam ſeu baculum in levamen itineris: apud Matthæum verò probiberi à Chriſto calceamenta, quæ pedem integrum contegunt; uti & virgam ſive baculum qui ad feriendum ſumitur. Hæc pro tempore præcepta fuêre Apoſtolis à Chriſto, ut doceret eos in munere Apoſtolico vacuos eſſe rerum temporalium curis, & à Dei providentia pendêre. Ita Ianſenius, Franciſcus Lucas, A Lapide, & alij. Vide infrà cap.* 110.

* Supra illos, ἐπ' αὐτοὺς, *adverſus illos. Signum hoc erat anathematis & maledictionis contra Euangelij contemptores, ut vid. hoc pulvere de pedibus excuſſo oſtenderent ſe nihil cum impijs commune habere velle; idemque pulvis eos in die judicij argueret & condemnaret. Ita S. Hilarius, Franciſcus Lucas, & alij.*

CAPUT LXXIV.

CAPUT LXXIV.

1. *Contra futuras perſecutiones, ſuos præmunit atque corroborat.*
2. *Mala hujus vitæ non metuenda; neque ipſa corporis mors, ſed animæ jactura.*
3. *Non terrena pax, ſed gladius Apoſtolorum ſors eſt.*
4. *Chriſto ipſi in miniſtris ejus, atque in hominibus etiam de plebe infima benefacimus.* Matth. 10. 16.
5. *Chriſtus & Apoſtoli per Galilæam univerſam munia Euangelica exequuntur.*

Matth. 11. 1. Marc. 6. 12. Luc. 9. 6.

ᵃ ECce ego mitto vos ſicut oves in me- 1
dio luporum. Eſtote ergo prudentes
ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut colum-
bæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent
enim vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis
flagellabunt vos: & ad præſides, & ad re-
ges ducemini propter me, in teſtimo-
nium illis, & gentibus. Cùm autem tra-
dent vos, nolite cogitare quomodo aut
quid loquamini: dabitur enim vobis in
illa hora, quid loquamini. Non enim vos
eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris ve-
ſtri, qui loquitur in vobis. Tradet autem
frater fratrem in mortem, & pater filium:
& inſurgent filij in parentes, & morte
eos afficient: & eritis odio omnibus pro-
pter nomen meum. Qui autem perſeve-
raverit uſque in finem, hic ſalvus erit.
Cùm autem perſequentur vos in civita-
te iſta, fugite in aliam. Amen dico vo-
bis,

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in Galilæa menſe Iulio.

bis, * non conſummabitis civitates Iſraël, donec veniat Filius hominis. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum. ſufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter ejus; & ſervo, ſicut dominus ejus. Si patremfamiliàs Beelzebub vocaverunt: quanto magis domeſticos ejus?

Vide c. 117.

2 Ne ergo timueritis eos. Nihil enim opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non ſcietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Nónne duo paſſeres aſſe væneunt: & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis

3 eſt. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: * non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adver- Z ſus

* Non conſummabitis &c. *id eſt, orbem peragrando, & prædicando, non perficietis in fide Euangelij, populum Iſraël ante adventum Filij hominis ad judicium. Innuit Chriſtus Iudæorum incredulitatem uſque ad mundi finem duraturam; eoſque tandem paulò ante judicium convertendos. S. Hilarius & alij.*

* Non veni pacem mittere. *Chriſtus eſt princeps pacis ſpiritualis & æternæ, non verò pacis terrenæ & temporalis. Vnde Lucæ 12. 51. Euangelium ſuum vocat* ſeparationem, *& hoc loco* gladium; *quia videlicet diſſecat ac dividit omnem affectum humanum veritati ac dilectioni Dei reſiſtentem. 2. Dividit fideles ab infidelibus: qua occaſione hi in illos ſæviunt, luporum inſtar oves perſequentium. v. cap. 119.*

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in Galilæa menſe Iulio.

ſus ſocrum ſuam: & inimici hominis, do-
meſtici ejus. Qui amat patrem aut ma-
trem plus quàm me, non eſt me dignus:
& qui amat filium aut filiam ſuper me,
non eſt me dignus. Et qui non accipit
crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt
me dignus. * Qui invênit animam ſuam,
perdet illam: & qui perdiderit animam
ſuam, propter me, inveniet eam. Qui re- 4
cipit vos, me recipit: & qui me recipit,
recipit eum qui me miſit. * Qui recipit
prophetam in nomine prophetæ, merce-
dem prophetæ accipiet: & qui recipit ju-
ſtum in nomine juſti, mercedem juſti ac-
cipiet. Et quicumque potum dederit uni
ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ
tantum in nomine diſcipuli: amen dico
vobis, non perdet mercedem ſuam. Et 5
factum eſt, cùm conſummaſſet IESVS,
præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tran-
ſijt inde ut doceret, & prædicaret in ci- a. 11.
vitatibus eorum. ᶜ Egreſſi autem circui- v. 1.
bant per caſtella, euangelizantes, & cu-
rantes ubique: [&] ᵇ prædicabant, ut pœ-
nitentiam agerent: & dæmonia multa eji-
ciebant, & * ungebant oleo multos ægros,
& ſanabant.

* Qui invênit animam ſuam &c. .i. *Qui vitam ſuam conſervaverit, me & fidem meam abnegando, vitam perdet æternam: & contrà, qui perdiderit præſentem animæ vitam ob mei nominis ac fidei profeſſionem, ut pro ea mortem oppetat; hic inveniet vitam & ſalutem æternam.*

* Qui recipit prophetam &c. *id eſt, qui recipit doctorem & prædicatorem Euangelij, (quales erant Apoſtoli) quia doctor & prædicator Chriſti eſt; particeps erit meriti & præmij ejus quem recipit. Ita Cornelius Ianſenius, alijque paſſim.*

* Ungebant oleo. *Hæc unctio non fuit Sacramentum, ſed typus, & quaſi præludium inſtituendi Sacramenti extremæ unctionis, ut innuit Tridentin. ſeſſ.* 14. *c.* 1. *Ita Ianſen. A Lapide, Tirin. Tolet. contra Theophyl. Bedam, Liranum, qui putant hanc unctionem fuiſſe Sacramentum, idemque atque illud, de quo Iacobi* 5. *v.* 14.

CAPUT LXXV.

Annus Chriſti 32. Prædicationis 2. Geſta in Macherunte & finibus Peræę. menſe Decembri.

CAPUT LXXV.

Herodes Antipas Ioannem vitâ functum in Chriſto reſurrexiſſe ſuſpicatur.

Matth. 14. 1. Marc. 6. 14. Luc. 9. 7.

a* IN illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam IESV, [&] c omnia quæ fiebant ab eo, (b manifeſtum enim factum eſt nomen ejus) c & * hæſitabat eò quòd diceretur à quibuſdam: Quia Ioannes ſurrexit à mortuis: à quibuſdam verò: Quia Elias apparuit: ab alijs autem: Quia propheta unus de antiquis ſurrexit. b Quo audito Herodes ait: c Ioannem ego decollavi: quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. a Et ait * pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.

* In illo tempore. *Credibile eſt, ex Apoſtolorum per Galilæam prædicatione famam Chriſti ad Herodem pervolaſſe, quod Marcus inſinuat. Ita Toletus.*

* Hæſitabat. *Herodes initio hæſitabat, ut refert Lucas; poſtea tamen ob communem celebremque tot miraculorum IESV famam, credidit Ioannem in IESV reſurrexiſſe, ut ajunt Matthæus & Marcus. Ita S. Chryſoſtomus & alij PP. Vigebat enim tunc Pythagoræ ſententia, de animarum ex uno corpore in aliud tranſmigratione.*

* Pueris ſuis *.i. miniſtris ſuis familiaribus; Græca enim vox, quæ hìc eſt* παῖσι, *domeſticos omnes complectitur præter patrem & matrem-familiàs, ut ait Franc. Lucas.*

Nota, *hæc accidiſſe paulò poſt martyrium S. Ioannis, (ut ait Ianſenius) quod tamen per Hyſterologiam ſubtexunt Matthæus & Marcus, occaſione videlicet oblatâ factæ prius mentionis de Herode ac Ioanne. Decembri autem menſe occiſum fuiſſe Ioannem valde probabile eſt, ut ſequitur; quamvis Beda, Baronius & alij exiſtiment mortem ejus contigiſſe anno Chriſti 33. currente, circa Paſcha.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 2.
Geſta in caſtro Macherunte, menſe Decemb. juxta Salianum, Suarez & alios.

CAPUT LXXVI.

1. *Ioannes puellæ ſaltatricis, & matris adulteræ gratiâ, capite truncatus.*
2. *Caput ejus illatum menſæ ferale ferculum.*
Matth. 14. 6. Marc. 6. 17. & 21.

Nota. *Chriſtus hic* 25. *Decembris inchoavit annum ætatis* 33. *Herodes enim occidit Ioannem in fine anni* 32. *Chriſti Decembri menſe, ut probabiliter notant multi auctores, quos vide infrà. Et hic eſt exitus magni Præcurſoris Meſſiæ, cujus vitæ brevem accipe decurſum. Ioannes ab infantia uſque ad annum* 30. *& ſex menſes abditus habitavit in Iudææ deſerto: inde anno circiter uno*

[b] IPſe enim Herodes miſit, ac tenuit 1
Ioannem, & vinxit eum in carcere, v. c. 18.
&c. Et cùm dies opportunus accidiſſet; b 6 v. 21.
Herodes natalis ſui cænam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus; rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi: & juravit illi: Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cùm exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ. Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi 2
in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt rex: propter juſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare: ſed miſſo ſpiculatore præcepit adferri caput ejus in diſco. Et decollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in

prædicavit: demum conjectus in carcerem Macheruntinum, ibidem anno uno detentus martyrio coronatus eſt, cùm ageret annum ætatis 32. *cum dimidio, id eſt, cùm Chriſtus expleret annum vitæ* 32. *Ita Niceph. lib.* 1. *c.* 19. *& ex eo Corn. à Lapide, Salianus, & Suarez. qu.* 38. *art.* 1. *diſp.* 24. *ſect.* 6.

Nota 2. *caſtrum Macheruntem, ubi Ioannes martyr occubuit, ſitum fuiſſe in Peræa Iudææ contermina, cujus dominus & toparcha erat Herodes non minus quàm Galilææ. Vergebat autem hæc Peræa pars in Arabiam Petræam. Ita Ioſephus, & ex eo Franc. Lucas.*

Digitized by Google

in diſco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Quo audito diſcipuli ejus venerunt, & * tulerunt corpus ejus: & poſuerunt illud in monumento. [a]Et venientes nuntiaverunt IESV.

* Tulerunt corpus ejus, *vid. capite truncatum. Audi de hoc Nicephorum ſuprà: Herodias Ioannis reprehenſionem etiam poſt capitis reſectionem verita, conjungereque id reliquo corpori timens, apud ſe remotis arbitris in abſtruſiore regia loco ſepeliendum duxit. Idem aſſerunt Beda & Ruſin. l. 11. hiſt. c. 28. & hiſt. tripart. l. 9. c. 43.*

Adde, Herodiadem linguam quoque Ioannis diſcriminali acu confodiſſe, ut ait S. Hieron. contra Ruffinum.

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 2.
Geſta in Galilææ deſerto menſe Martio ante Paſcha. Ioan. 6. v. 4.

CAPUT LXXVII.

1. *Apoſtoli ab Euangelij prædicatione redeuntes, res à ſe geſtas Chriſto recenſent.*
2. *Chriſtus tùm ut Herodis declinet inſidias, tùm quietis causâ, ſe cum diſcipulis in locum deſertum confert ad Bethſaidam ſitum.*

Matth. 14. 13. Marc. 6. 30. Luc. 9. 10. Ioan. 6. 1.

1 [a]QUòd cùm audiſſet IESVS, [c]reverſi Apoſtoli [b]renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant & docuerant. Et ait illis: * Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant, & redibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant

Nota. *Quid egerint in particulari per Galilæam, ex una parte Chriſtus, ex altera Apoſtoli, à menſe Auguſto præcedenti uſque ad Martium ſequentis hujus anni, & Paſcha imminens, præter Euangelij prædicationem, ægrorum curationes & miracula edita (ut ſuprà in fine cap. 74. à Marco & Luca dictum eſt) non referunt Euangeliſtæ. Ita colligitur ex Concordia Ianſenij, A Lapide in Chronotaxi, Tirino & alijs.*

* Venite ſeorſum. *Contigit hæc Chriſti ſeceſſio circa Paſcha tribus circiter menſibus poſt mortem Ioannis. Subduxit autem ſe non tam metu Herodis, quàm quod jam increbreſceret fama miraculorum ejus, adeò ut multi putarent Ioannem in Chriſto reſurrexiſſe. Ita Theophylactus, Ianſenius, & Franciſcus Lucas, qui ait Chriſtum non fugiſſe Herodem: nam poſtridie ad eundem locum, aliúmve vicinum reverſus eſt.*

Geſta in Galilææ deſerto menſe Martio ante Paſcha. Ioan. 6. v. 4.

bebant. Et aſcendentes navim, * abierunt in 2
deſertum locum ſeorſum, ᶜ qui eſt Bethſaidæ.
Quod cùm cognoviſſent turbæ, ᵈ ſequebatur
eum multitudo magna, ᵇ & pedeſtres de omnibus
civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt
eos, ᵈ quia videbant ſigna, quæ faciebat
ſuper his qui infirmabantur. Subijt ergo
in montem IESVS: & ibi ſedebat cum diſcipulis
ſuis. Erat autem proximum Paſcha,
dies feſtus Iudæorum.

* Abierunt in deſertum locum. *Ioan. 6. v. 1. dicit:* Abijt IESVS trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, *non quod in oppoſitam maris partem tranſeundum eſſet: nam locus hic deſertus erat in eodem latere, in quo erat Capharnaum, Bethſaida & Tiberias, videlicet inter Bethſaidam & Tiberiadem; hic enim ſequens de panibus miraculum contigit: dicitur tamen Chriſtus transfretaſſe, ob ſinum & curvitatem maris, quæ erat in eodem Galilææ littore trajicienda. Et hæc commodior & brevior erat profectio, quàm pedeſtri itinere, quo populi turba ex varijs locis ad Chriſtum perrexit. Sic Tolet. in Ioan. 6. annot. 2.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 2. Geſta in deſerto Galilææ circa Paſcha.

CAPUT LXXVIII.

1. *Quinque panibus ac duobus piſcibus profusè reficiuntur quinque hominum millia, quibus duodecim reliquiarum cophini ſuperſunt.*
2. *Chriſtus fugit regnum terrenum, & montem orationis cauſâ ſolus aſcendit.*

Matth. 14. 14. Marc. 6. 34. Luc. 9. 11. Ioan. 6. 5.

ᵇ ET exiens inde vidit turbam multam IE- 1
SVS: & miſertus eſt ſuper eos, quia erant
ſicut oves non habentes paſtorem. ᶜ Et excepit
eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos,
qui curâ indigebant, ſanabat. ᵃ * Veſpere autem
facto, ᶜ accedentes duodecim dixerunt illi:
ᵃ Deſertus eſt locus, & hora jam præterijt: ᶜ Dimitte

* Veſpere. *S. Lucas:* Dies autem cœperat declinare.

mitte turbas, ut euntes in caſtella, villaſque quæ circa ſunt, divertant, & inveniant eſcas. [a] IESVS autem dixit eis: Non habent neceſſe ire: date illis vos manducare. [b] Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. [d] Cùm ſublevaſſet ergo oculos IESVS, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. [b] Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cùm cognoviſſent, [d] * dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hîc qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dixit ergo IESVS: [a] Afferte mihi illos huc. [b] Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum. Et diſcubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos. Et acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, [d] & cùm gratias egiſſet, [b] dedit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante eos; [d] ſimiliter & de piſcibus quantum volebant. [a] Et * manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. [d] Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & imple-

* Dicit ei unus &c. *S. Lucas in plurali numero ait multos quoque idem dixiſſe*: At illi dixerunt: Non ſunt nobis plus quàm quinque panes, & duo piſces.

* Manducaverunt omnes. *Veriſimile eſt multiplicationem panum factam non ſolùm in manibus Chriſti, verùm etiam in manibus diſcipulorum atque turbarum. Ianſenius & alij.*

impleverunt duodecim * cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quæ ſuperfuerunt his qui manducaverant, [b] & de piſcibus. [a] Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis. [d] Illi ergo homines cùm vidiſſent quod IESVS fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. [b] Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut præcederent eum * trans fretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum. [d] IESVS ergo cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum regem, [a] dimiſſâ turbâ, [d] fugit iterum in montem ipſe ſolus orare.

* Cophinos. *Græca vox* κόφινος, *Latinè corbis eſt ex viminibus contexta. In tanta enim populi turba multos hujuſmodi cophinos extitiſſe, quibus aliqua ſibi neceſſaria portabant, credendum eſt. Ita Toletus. Vide infrà cap.* 84. *Fortè etiam & cophinis cibum venalem aliqui attulerant pro tanta hominum multitudine. quod idem de ſeptem ſportis in deſerto inventis in altera panum multiplicatione, opinatur Franciſcus Lucas.*

* Trans fretum *.i. trans ſinum maris Galilææ, qui erat ex eodem latere ad littus Galilææ, ut in fine capitis præcedentis notatum eſt.*

CAPUT LXXIX.

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 2. Geſta in mari Galilææ ante Paſcha menſe Martio.

CAPUT LXXIX.

1. *Apoſtolis tempeſtate jactatis ſubvenit IESVS ſuper fluctus ambulans.*
2. *Dum etiam Petrus ſuper mare graditur, ac nimium pavidus, parumque fidens, demergi incipit; manu Domini ſublevatur.*
3. *IESVS in terra Geneſareth confluentes undique morbidos contactu fimbriæ curat.*

Matth. 14. 24. Marc. 6. 47. Ioan. 6. 17.

1 [d] ET cùm aſcendiſſent navim, * venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant: & non venerat ad eos IESVS. [&] [b] erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra. [d] Mare autem vento magno flante exurgebat: [a] navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus. [b] Et videns eos laborantes in remigando, (erat enim ventus contrarius eis) & circa * quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare: & * volebat præterire eos. [d] Cùm navigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque aut triginta, [b] ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, [d] & proximum navi fieri, [b] putaverunt * phantaſma eſſe, [a] dicentes: Quia phantaſma eſt. Et præ timore clamaverunt. [b] Omnes enim vi-

Aa derunt

* Venerunt trans mare. *Nota, Apoſtolos nondum jam perveniſſe Capharnaum, ſed juſſu Domini navim direxiſſe verſus Capharnaum & Bethſaidam, quæ civitates erant ſitæ in eadem maris ripa verſus Galilæam, ut ſuprà dictum.*

* Quartam. *Hæc ultima noctis vigilia erat, per tres horas durans, nempe à tertia noſtra matutina uſque ad ſextam. Vide ſuprà cap.* 9.

* Volebat præterire eos, *videlicet quaſi eos non curans, nec ad eos pertinens, ſed aliò pergens; quia in diverſum ibat, eos volens præterire tamquam alienos. Ita S. Auguſtin. l.* 2. *conſ. cap.* 47.

* Phantaſma, φάντασμα, *Latinè ſpectrum à* φαίνεσθαι, *apparere, videri. Syrus,* viſio mendax *ſeu fallax. Putabant illuſionem ſibi diabolicam apparere, non hominem verum. Unde conturbati ſunt Apoſtoli, & timorem qui ab undis erat, excepit alter à ſpectro timor, ut exercerentur ad ferendas tentationum accumulationes. Ita Fr. Lucas in Matth.* 14.

derunt eum, & conturbati ſunt, [d] & timuerunt. [a] Statimque IESUS locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam: ego ſum, nolite timere. Reſpondens autem Petrus dixit: Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas. At 2
ipſe ait: Veni. Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad IESVM. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamavit dicens: Domine, ſalvum me fac. Et continuò IESVS extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti? [d] Voluerunt ergo accipere eum in navim. [a] Et * cùm aſcendiſſent in naviculam, ceſſavit ventus: [d] & ſtatim navis fuit ad terram, in quam ibant. [b] Et plus magis intra ſe ſtupebant: non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. [a] Qui autem in navicula erant, venerunt, & * adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es. [b] Et cùm transfre- 3
taſſent, venerunt * in terram Geneſareth. Cumque egreſſi eſſent de navi, continuò cognoverunt eum [a] viri loci illius: [b] & percurrentes univerſam regionem, cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant, circumferre, ubi audiebant eum eſſe. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur

* Cùm aſcēdiſſent, *IESVS videlicet & Petrus, qui unà per mare ambulaverant.*

* Adoraverunt eum, *reliqui ſcilicet diſcipuli, cum nautis fortè, quorum erat navis.*

* In terram Geneſareth. *Hic locus eſt prope Capharnaum, dictus regio Geneſar ſive Geneſareth, in qua urbs erat ejuſdem nominis; quæ uti & regio illa, alio nomine dicebatur Cenneret. Erat autem hoc oppidum & regio non magna cis mare, juxta Capharnaum & Bethſaidam, quæ civitates ambæ erant in regione Geneſareth. Alia verò erat Geraſa, ſive Gergeſa, (de qua ſuprà) quæ erat trans mare Galilææ, verſus Arabiam, ubi duo dæmoniaci liberati, de quibus ſuprà cap. 39. Ita communiter Interpp.*

tur eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant.

CAPUT LXXX.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 2. Geſta Capharnai ante Paſcha menſo Martio.

1. *Chriſtus in ſynagoga Capharnai de cibo ſpirituali prolixè diſſerit.* Ioan. 6. 22.

2. *Agit diſertè de pane cæleſti ac præcipuo, nimirum de Sacra Euchariſtia.* Ibidem v. 52.

3. *Hoc ſermone offenſi complures diſcipuli, à Chriſti ſocietate deſciſcunt.* Ibid. v. 61.

ALtera die, turba, quæ ſtabat trans mare, * vidit quia navicula alia non erat ibi niſi una, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis IESVS in navim, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent: aliæ verò ſupervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino. Cùm ergo vidiſſet turba quia JESVS non eſſet ibi, neque diſcipuli ejus, aſcenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes I E S V M. Et cùm inveniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc veniſti? Reſpondit eis IESVS, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus,

* Alterâ die. *Græcè τῇ ἐπαύριον, id eſt poſtridie, poſt quinque panes multiplicatos.*

* Vidit quia navicula &c. *Senſus eſt: Cùm ſciret turba non fuiſſe niſi unam naviculam, quam conſcenderant diſcipuli abſque IESV, putabant illum adhuc eodem loco eſſe; quibus ipſa populi multitudo uſa fuit.*

poſterò autem die, quando venit turba, aliæ naves venerant Tiberiade,

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 2.
Geſta Capharnai ante Paſcha, menſe Martio.

bus, & ſaturati eſtis. * Operamini non cibum 2
qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. *Hunc enim Pater ſignavit Deus. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Reſpondit IESVS, & dixit eis: * Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis IESVS: Amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine, ſemper da nobis panem hunc. Dixit autem eis IESVS: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet umquam. Sed dixi vobis, quia & vidiſtis

* Operamini non cibum &c. .i. *operâ ac ſtudio veſtro efficite, ut acquiratis cibum non corporis, qui perit, ſed animæ, qui non perit, vid. fidem, charitatem, opera bona, Sacramenta. Ianſen. & alij.*

2. *Per hunc* cibum, *propriè & præcisè intelligendam eſſe Euchariſtiam, cenſent Theophylactus, Rupertus, Toletus, Franciſcus Lucas. Hunc enim cibum* dabit *Chriſtus in cœna ultima, quod hîc promittit.*

* Hunc enim Pater &c. .i. *Hunc Filium hominis Deus Pater miraculis per eum editis, & teſtimonio ſuo tamquam ſigillis declaravit eſſe filium ſuum naturalem & Meſſiam. S. Auguſtinus, Chryſoſtomus & alij.*

* Hoc eſt opus Dei &c. .i. *opus, quo cibum animas alentem in vitam æternam, à Deo impetrabitis, eſt, ut credatis in me, & credendo mihi obediatis. ego enim in me credentibus hunc cibum confero.* Nota *opus fidei diſtingui hîc à cibo Euchariſtiæ, ad quem ſumendum neceſſe eſt credere, Chriſtum eſſe Salvatorem ac Dei filium. Sic Toletus.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 2. Geſta Capharnai ante Paſcha, menſe Martio.

ſtis me, & non creditis. * Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras: quia deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me. Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi, & dicebant: Nónne hic eſt JESVS filius Ioſeph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo deſcendi? Reſpondit ergo IESVS, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem: nemo poteſt venire ad me, * niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Eſt ſcriptum in prophetis:

 Et

* Omne quod dat mihi Pater &c. *Innuit hîc tacitè Chriſtus, Iudæos pleroſque ob eorum perverſitatem non eſſe ſibi datos, nec ad fidem à Deo electos; ſed pro ijs Deum multos alios ex gentibus elegiſſe. Deus autem dat fideles Chriſto, quia Chriſtus hoc obedientiâ & paſſione ſuâ meruit. Vbi notandum eſt, hîc agi propriè de prædeſtinatione ad fidem & gratiam, non ad gloriam. Ita Corn. à Lapide.*

* Hæc eſt autem voluntas Patris mei &c. *Repetit hîc Chriſtus clarioribus verbis priorem ſententiam.*

* Niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. *In hæc verba ita S. Cyrillus:* Non cùm dicit, traxerit, vi quadam cogi, trahique credentes putandum eſt, ſed monitione, doctrinâ, revelatione ineffabiliter factâ. *Inſinuatur autem culpâ & vitio Iudæorum factum, ut non traherentur ad fidem & cognitionem Chriſti.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 2.
Geſta Capharnai ante Paſcha, menſe Martio.

Et * erunt omnes docibiles Dei. Omnis Iſa. 54. 13.
qui audivit à Patre, & didicit, venit ad
me. Non quia Patrem vidit quiſquam,
niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.
Amen, amen dico vobis: Qui credit in
me, habet vitam æternam. Ego ſum panis
vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna
in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis
de cælo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo
manducaverit, non moriatur. Ego ſum
panis vivus, qui de cælo deſcendi. * Si 2
quis manducaverit ex hoc pane, vivet in
æter-

* Erunt omnes docibiles Dei. *Gr.* διδακτοὶ θεοῦ. *docti à Deo, .i. omnes diſcipuli Chriſti & Eccleſiæ à Deo ipſo docebuntur, qui illuminat omnem hominem. Doceri autem à Deo eſt trahi à Deo. Confirmat ergo hæc prophetia præcedentem ſententiam. Toletus.*

* Si quis manducaverit &c. *Chriſtus ab hoc loco deinceps loquitur ad litteram de Euchariſtia, non verò de myſtica corporis comeſtione per fidem, cùm in eum credimus. quæ ſententia omninò certa eſt; eamque negare, temerarium ac penè erroneum eſt, ut ait Maldon. De Euchariſtia enim hæc verba exponunt Chryſoſt. Theoph. Cyril. & Patres communiter tùm Græci, tùm Latini; ut fusè probant Tolet. Maldon. Bellarm. de Euchar. l. 1. c. 5. & paſſim Interpretes. Imò de Euchariſtia quoque hunc eundem locum intelligunt Concilia varia, ac poſtremò Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. & ſeſſ. 21. cap. 1.*

Probatur *quoque hæc expoſitio, quia Chriſtus clarioribus verbis Euchariſtiæ dogma exprimere non potuit. Quod ſi de ſpirituali per fidem ſumptione corporis ſui agere voluiſſet, incredibile videtur, quod rem per ſe claram, & à ſe toties repetitam, nimirum credendum eſſe in ſe, voluerit tot verbis & metaphoris manducandi & bibendi carnem ac ſanguinem ſuum obſcurare; præſertim cùm prævideret hac de cauſa multos etiam diſcipulos à ſe diſceſſuros.*

Denique ſi S. Ioannes hic non agat de veri & realis hujus Sacramenti promiſſione ac præcepto; ergò ſolus inter omnes Euangeliſtas Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, auguſtiſſimum hoc dilectionis Chriſti monumentum omiſit, & ſilentio involuit. quod neutiquam exiſtimari debet.

Nota *tamen, quia ad S. Euchariſtiæ ſumptionem fructuoſam neceſſaria eſt fides, Chriſtum eam ſæpè requirere, & modò de ea ac ſpirituali ſui comeſtione, modò de ſacramentali ac reali loqui, & illi etiam tribuere hujus effectus v.* 35. Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, *ſcilicet per fidem*, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet umquam. *quia ſcilicet meipſum (ut infrà dicitur) ei manducandum & bibendum dabo in Sacramento, quod quidem ſumi ſine fide viva poteſt, non tamen ſatiare. Et hoc tantummodò volunt quidam Patres, & maximè D. Auguſtinus hoc cap. Ita Coninck qu. 75. art. 1.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 2.
Geſta Capharnai ante Paſcha menſe Martio.

æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Dixit ergo eis IESVS: Amen, amen dico vobis: Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro enim mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Hic eſt panis qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hæc dixit in ſynagoga docens, in Capharnaum.

5 Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Sciens autem IESVS apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? * Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat priùs?

* Si ergo videritis &c. *Ex miraculo aſcenſus ſui in cælum rectè probat Chriſtus ſuam Deitatem & omnipotentiam, ac proinde myſterium Eucharistiæ. Deitati enim nihil impoſſibile eſt. Et aſcenſus Chriſti in cælum ſignificabat eum è cælo deſcendiſſe, qui & quotidie in terram & in altare deſcendit. A Lapide, Toletus, & alij.*

priùs? Spiritus eſt, qui viuificat: *caro non prodeſt quidquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio IESVS, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retrò: & jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo IESVS ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. & nos credidimus & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei. Reſpondit ei IESVS: Nónne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt? Dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet unus ex duodecim.

* Caro non prodeſt quidquam &c. *id eſt, caro, ſi ſola eſſet, non prodeſſet ad vitam: at quia Spiritus & divinitatis eſt caro, ipſique conjuncta, prodeſt & efficax eſt ad vitam. Divinitas enim per ipſam dat vitam. Ita S. Cyrill. lib. 4. cap. 23. & 24. Eodem modo exponunt S. Athanaſius, S. Auguſtinus & PP. alij. Conſequenter his verbis removet Chriſtus carnalem & ſenſibilem hujus cibi comeſtionem. Cùm enim Spiritus ſit qui vivificat; non carnali modo, ut communes cibi, ſed ſpirituali, & Spiritui ac divinitati accommodato, hæc caro ſumenda eſt, ſcilicet occultè & ſacramentaliter. Hæc rudes illi Capharnaitæ non capiebant. Ita Toletus.*

VITÆ

VITÆ
DOCTRINÆQVE
CHRISTI
PARS V.

Annus 33. ætatis Chriſti, & prædicationis 3. continens geſta ejus à tertio Paſchate poſt baptiſmum, uſque ad inſtans Paſcha 4. videlicet à fine Martij anni 33. vitæ ejus uſque ad initium Martij anni 34.

Digitized by Google

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in Galilæa, initio Aprilis, vel in fine Martij.

CAPUT LXXXI.

1. *Chriſtus hoc tertio Paſchate non aſcendit Ieroſolymam.* Ioan. 7. 1. *In Galilæa interim Phariſæos arguit de ſuperſtitioſa manuum lotione, de impietate erga parentes, aliiſque frivolis traditionibus, quas ipſi Dei legi præferebant.*

2. *Docet contra eoſdem, non manus illotas, (quaſi per illas & cibi ipſi, & comedentes inquinarentur) neque res externas, quæ per os in ventrem tranſeunt; ſed ea quæ de corde, ſeu voluntate perverſa in os & linguam, atque in opus prodeunt, animam contaminare.* Matth. 15. 1. Marc. 7. 1.

Nota, *Chriſtum hoc Paſchate non aſcendiſſe Ieroſolymam, uti ex lege ſolebat; quia Iudæi necem illi machinabantur, propter paralyticum apud piſcinam in ſabbato ſanatum. Perrexit ergo Galilæam peragrare.*

[d] POſt hæc autem ambulabat IESVS in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. [b] Et conveniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Ieroſolymis. Et cùm vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus, communibus manibus, id eſt * non lotis, manducare panes, vituperaverunt. Phariſæi enim, & omnes Iudæi, niſi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum: & à foro niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum & urceorum, & * æramentorum, & * lectorum: & interrogabant eum Phariſæi & Scribæ: Quare diſcipuli 1

* Non lotis &c. *Nota, non fuiſſe Apoſtolos tam ruſticos, ut pranſuri vel cœnaturi manus non lavarent, cùm & agricolæ & opifices ante cibum eas lavent; ſed abſtinuiſſe à lotione ſuperſtitioſa Phariſæorum. Ritus autem eorum, inquit Theophylactus, erat hic, uti ad cubitum uſque lavarentur.*

* Æramentorum *.i. vaſorum æreorum, quibus cibi vel coquebantur, vel in menſam inferebantur.*

* Lectorum, *quibus ſc. ad menſam accumbebant. Vnde Vatablus vertit,* ſpondarum.

Annus Chriſti 13.
Prædicationis 3.
Geſta in Galilæa menſe Aprili, vel ſub finem Martij.

puli tui non ambulant juxta traditionem
ſeniorum, ſed communibus manibus man-
ducant panem? ᵃnon enim lavant manus
ſuas, cùm panem manducant. ᵇAt ille
reſpondens, dixit eis: Benè prophetavit
Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum
Iſa. 29. 13. eſt: Populus hic labijs me honorat, cor
autem eorum longè eſt à me. * In vanum
autem me colunt, docentes doctrinas, &
præcepta hominum. Relinquentes enim
mandatum Dei, tenetis traditionem ho-
minum, baptiſmata urceorum & cali-
cum: & alia ſimilia his facitis multa. Et
dicebat illis: Benè * irritum facitis præ-
ceptum Dei, ut traditionem veſtram ſer-
vetis. * Moyſes enim dixit: Honora pa-
Exod. 20. trem tuum, & matrem tuam. Et: Qui
Deut. 5. maledixerit patri, vel matri, morte mo-
riatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo
patri, aut matri, * Corban (quod eſt
donum) quodcumque ex me, * tibi pro-
fuerit: & ultrà non dimittitis eum quid-
quam facere patri ſuo, aut matri, reſcin-
dentes verbum Dei per traditionem ve-
ſtram, quam tradidiſtis: & ſimilia hujuſ-
modi multa facitis. Et advocans iterum
2 turbam, dicebat illis: Audite me omnes,
Bb 2 &

* In vanum. *Matthæus ait*: Sine cauſa. *Arabicus*: Et colunt me fruſtrà. *Cultus. n. fruſtrà & vana eſt, qui rationabili caret cauſa, ut ait hîc Janſenius.*

* Irritum facitis &c. *Matthæus*: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? *Marcus ironice dicit*: Benè irritum facitis. *Egregiè rejicitis præceptum Dei ob traditionem veſtram.*

* Moyſes enim &c. *Matthæus*: Nam Deus dixit: *ſc. per Moyſen.*

* Corban, *Hebræa vox eſt ſignificans munus. Hinc ipſum gazophylacium, in quod inferebantur oblationes, metonymice dicitur* Corban, *vel* Corbona.

* Tibi profuerit. *Subaudi, benè facit, aut, legem implet de parentum honore.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Galilæam, menſe Aprili, vel in fine Martij.

* Nihil eſt extra hominem &c. *Matthæus ait*: Non quod intrat in os, coinquinat hominem.

* Communicant. *.i. coinquinant.*

* Omne extrinſecus introiens. *Matthæus*: Omne quod in os intrat.

* Quæ de homine exeunt. *Matthæus ait*: Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.

* Ab intus enim de corde &c. *.i. ex ratione & voluntate (cujus ſymbolum, imò ſedes & officina eſt cor) procedunt malæ cogitationes &c. Cor enim ſubminiſtrat ſpiritus vitales & animales Intellectui neceſſarios ad intelligendum, & voluntati ad amandum.*

& intelligite. * Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare, ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt, quæ * communicant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. ᵃ Tunc accedentes diſcipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. ᵇ Et cùm introiſſet in domum à turba, interrogabant eum diſcipuli ejus parabolam. ᵃ Reſpondens autem Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam. ᵇ Et ait illis: Sic & vos imprudentes eſtis? Non intelligitis, quia * omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare: quia non intrat in cor ejus, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas? Dicebat autem, quoniam * quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. * Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, ᵃ falſa teſtimonia, ᵇ avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem: ᵃ non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.

CAPUT LXXXII.

Digitized by Google

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in finibus Tyri & Sidonis, ſub initium Maij. A Lapide.

CAPUT LXXXII.

1. *Chananæa Chriſtum pro filia energumena deprecatur.*
2. *Chriſtus ei non reſpondet, & quaſi ope ſuâ indignam deſpicit.*
3. *Demum fidem ejus & conſtantiam laudans, filiam à dæmonio liberat.* Matth. 15. 21. Marc. 7. 24.

1 [b] ET inde ſurgens abijt in fines Tyri & Sidonis: & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere. *Mulier enim [a] Chananæa à finibus illis egreſſa, [b] ſtatim ut audivit de eo, cujus filia habebat ſpiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus. Erat enim mulier gentilis, Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum, ut dæmonium ejiceret de filia ejus: [&] [a] clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine Fili David: fi-
2 lia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſraël. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me. Qui reſpondens [b] dixit illi: Sine priùs ſaturari filios: non eſt bonum ſumere panem filiorum, & * mittere canibus. At illa reſpondit, & dixit illi:

* Mulier enim Chananæa, *i. ex Chananæis poſteris Chanaan filij Cham, filij Noë oriunda. Chananæi enim habitabant in Phœnicia, vid. in Tyro & Sidone, quam numquam expugnare potuerunt Hebræi. Chananæi ergo ijdem ſunt qui Phœnices. Hinc Marcus Chananæam hanc vocat* Syrophœniſſam.

* Mittere canibus. *Loquitur Chriſtus hic more Iudæorum, qui gentiles, qualis erat Chananæa, quaſi viliſſimos idololatras, appellabant canes.* Panem *autem vocat Euangelij & miraculorum ſuorum gratiam.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in finibus Tyri & Sidonis, ſub initium Maij. A Lapide.

li: [a] * Etiam Domine: nam & catelli edunt de
micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuo-
rum. Tunc reſpondens IESVS, ait illi : O 3
mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis:
[b] propter hunc ſermonem vade, exijt dæmo-
nium à filia tua. [a] Et ſanata eſt filia ejus ex il-
la hora. [b] Et cùm abijſſet domum ſuam, in-
venit puellam jacentem ſupra lectum, & dæ-
monium exijſſe.

* Etiam Domine &c. *Marcus dicit*: Utique Domine: nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum. Utique .*i. omninò, certè, & ut Matthæus*, Etiam Domine. *Vtraque vox eſt affirmantis. q. d. Ita ſe res habet: nam ſufficere canibus debet, ut micas menſâ excidentes excipiant. Canem me ergo agnoſco, & micis contentam.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta ad mare Galilææ, menſe Majo.

CAPUT LXXXIII.

1. *A finibus Tyri & Sidonis ad mare Galilææ revertitur.* Matth. 15. 29. Marc. 7. 31.
2. *Surdo & muto aurium & linguæ uſum reſtituit.* Marc. 7. 32.
3. *Plurimis alijs languentibus opitulatur.* Matth. 15. 30.

[b] ET iterum exiens de finibus Tyri, venit 1
per Sidonem ad mare Galilææ inter me-
dios fines * Decapoleos. Et adducunt ei ſur-
dum & mutum, & deprecabantur eum, ut 2
imponat illi manum. Et apprehendens eum de
turba ſeorſum, * miſit digitos ſuos in auriculas
ejus:

* Decapoleos, *regionis ad mare Galilææ. Vide notata cap. 39. ſuprà.*

* Miſit digitos ſuos, *haud dubium, indicem dexteræ manus ſuæ in aurem illius ſiniſtram, indicem verò ſiniſtræ in aurem illius dexteram, quaſi perforans & aperiens ejus aures. Videntur enim ſurdorum aures re aliquâ obſtructæ.*

Digitized by Google

Annus Christi 33. Prædicationis 3. Geſta ad mare Galilææ, menſe Majo.

ejus: & * expuens, tetigit linguam ejus: & ſuſpiciens in cælum, * ingemuit, & ait illi: * Ephphetha, quod eſt adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant: & eò amplius mirabantur, dicentes: Benè omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.
3 * Et aſcendens in montem, ſedebat ibi. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos: ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſraël.

* Expuens &c. *Poſtquam ſpuiſſet in digitũ ſuum ſive indicem, tetigit digito ſalivâ tincto linguam ejus. Per ſalivam lingua mobilis & volubilis redditur. Porrò hos agendi modos quamvis nihil naturâ ſuâ valere ad ſanandum hæc mala, conſtet; ſignificat tamen Chriſtus id quod verè à ſe agitur, ſe, inquam, hujus aures aperire & linguam ſolvere, virtute ſcilicet divinâ per membra corporis ſui operante. Myſterio inſuper hæ Domini actiones vacuæ non fuêre: quod rectè intelligens Eccleſia à Spiritu ſancto edocta, hos ritus ex Chriſti mente ad baptiſmum adhibet.*

* Ingemuit, *miſeratus nimirum miſerias hujus ceterorumque mortalium, quarum omnium origo eſt peccatum.*

* Ephphetha *vox eſt Syriaca, quâ uſus eſt Chriſtus, ſignificans*, adaperire; *ſcilicet, aperiantur tibi aures & os. Ita hæc, aliaque ſuprà dicta exponit Franciſcus Lucas in Marc. 7.*

CAPUT LXXXIV.

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in deſerto ad mare Galilææ, menſe Majo.

CAPUT LXXXIV.

1. *Septem panibus, & piſciculis paucis epulum dat quatuor virorum millibus in deſerto.*
2. *Lautè abundeque cibo refectis ſeptem fragmentorum ſportæ reſiduæ ſunt.* Matth. 15. 32. Marc. 8. 1.

b * IN diebus illis iterum cùm turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent: 1
convocatis diſcipulis, ait illis: a Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via: b quidam enim ex eis de longè venerunt. a Et dicunt ei diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam? Et ait illis IESVS: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos. Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de 2
fragmentis, tulerunt * ſeptem ſportas plenas. Erant autem qui manducaverant, quatuor millia hominum, extra parvulos & mulieres. Et, dimiſsâ turbâ, b ſtatim aſcendens navim cum diſcipulis ſuis, * venit in partes Dalmanutha, [&] a in fines Magedan.

CAPUT LXXXV.

* In diebus illis, *vid. tertia die à reditu ſuo ex finibus Tyri & Sidonis ad mare Galilææ, ut apparet ex ſequentibus.*

* Septem ſportas. Nota, *Cophini ac ſportæ non eandem fuiſſe menſuram, ſed cophinum idem videri quod corbis, quæ brachio geſtari ſolet; ſportam verò duplum & amplius continuiſſe ejus quod corbis. Vnde Act. 9. v. 25. Paulus in ſporta de muro demitti potuit. Hinc verò colligere licet hoc loco reliquias non pauciores fuiſſe, quàm ſuprà cap. 78. in quinque panum multiplicatione, ubi duodecim fuêre reliquiarum cophini. Ita Ianſenius & alij.*

* Venit in partes &c. *Nimirum appulit trans mare in littus adverſum, juxta oppida Magedan & Dalmanutha ſita juxta Geraſan, ut habent Geographi. Vide ſuprà cap. 39.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in finibus Magedan, menſe Majo.

CAPUT LXXXV.

1. *Phariſæi & Sadducæi iterum ſignum poſtulant.*
2. *Ignorantia eorum & cæcitas redarguitur.*
3. *Chriſtus alterâ vice non è cælo, ſed è terra potius dandum eis Ionæ Prophetæ ſignum prænunciat.*

Matth. 16. 1. Marc. 8. 11.

1 ª ET acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Sad-
ducæi tentantes: & rogaverunt eum, ut
* ſignum de cælo oſtenderet eis. At ille reſ-
pondens, ait illis: * Facto veſpere dicitis: Se-
2 renum erit, rubicundum eſt enim cælum; &
mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte
cælum. * Faciem ergo cæli dijudicare noſtis:
ſigna autem temporum non poteſtis ſcire? ᵇ Et
ingemiſcens ſpiritu, ait: ª Generatio mala &
adultera ſignum quærit. ᵇ Amen dico vobis, ſi
3 dabitur generationi iſti ſignum. ª Signum non
dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Et re-
lictis illis, abijt.

* Signum de cælo. *Non contenti panum multiplicatione in terra, petunt ut potius plueret manna de cælo, vel ut aliud cæleſte ſignum ederet. Idem ſuprà poſtularunt cap. 61.*

* Facto veſpere &c. *Veſpertinus rubor ſerenitatis, matutinus verò pluviæ ſignum eſt: & hoc experientiâ didiciſtis. Si ergo ex ſignis cæli noſtis dijudicare futuram ſerenitatem vel tempeſtatem; ergo multò magis ex oraculis prophetarum, meiſque miraculis debetis agnoſcere me eſſe Meſſiam. Ita S. Hilarius.*

* Faciem ergo &c. *Vide ſimilem doctrinam infrà cap. 119.*

Cc CAPUT LXXXVI.

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta inter navigandum in mari Galilææ, menſe Majo.

CAPUT LXXXVI.

1. *Dum Bethſaidam navigant, diſcipulos à perverſa Phariſæorum doctrina cavendum eſſe, admonet.*
2. *Eoſdem de cibi oblivione ſolicitos diffidentiæ coarguit.* Matth. 16. 5. Marc. 8. 13.

[b] ET dimittens eos, aſcendit iterum navim 1
& abijt * trans fretum. [a] Et cùm veniſſent
diſcipuli ejus trans fretum, obliti ſunt panes
accipere: [b] Et niſi unum panem non habebant
ſecum in navi. Et præcipiebat eis, dicens:
Videte, & * cavete à fermento Phariſæorum,
[a] & Sadducæorum, [b] & * fermento Herodis.
[a] At illi cogitabant intra ſe dicentes: Quia pa-
nes non accepimus. Sciens autem IESVS, 2
dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei,
quia panes non habetis? [b] Nondum cognoſci-
tis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis
cor veſtrum? oculos habentes non videtis? &
aures habentes non auditis? Nec recordami-
ni, quando quinque panes fregi in quinque
millia: quot cophinos fragmentorum plenos
ſuſtuliſtis? Dicunt ei: Duodecim. Quando &
ſeptem panes in quatuor millia: quot ſportas
fragmentorum tuliſtis? Et dicunt ei: Septem.
Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligi-
tis, [a] quia non de pane dixi vobis: Cavete à
fermento Phariſæorum, & Sadducæorum?
Tunc intellexerunt quia non dixerit caven-
dum

* Trans fretum *ſc. verſus Bethſaidam (quæ erat in oppoſito littore) ut dicitur paulò pòſt à Marco.*

* Cavete à fermento Phariſæorum, *.i. à doctrina illorum. hanc enim Phariſæi ſuis vanis, & legi contrarijs traditionibus quaſi acido fermento inquinabant. Vnde eam S. Lucas vocat hypocriſin cap.* 12. *v.* 1. *Phariſæi enim externa tantùm curabant, neglectâ internâ animi munditie.*

* Fermentum Herodis *idem eſt atque doctrina Sadducæorum. Herodes enim & multi inter Iudæos primarij tunc erant Sadducæi, qui negabant animæ immortalitatem, & quaſi ath ei vivebant. Ita Ioſephus lib.* 8. *Antiquitatum cap.* 2.

Digitized by Google

dum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum & Sadducæorum.

CAPUT LXXXVII.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Bethſaidæ menſe Majo.

1. *Cæcum ſputi collyrio, & ſalutiferæ manus tactu illuminat.*
2. *A laude & gloria alienus benefactum celari jubet.* Marc. 8. 22.

1 ET veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, ut illum tangeret. Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum * extra vicum: & * expuens in oculos ejus, impoſitis manibus ſuis, interrogavit eum ſi quid videret. Et aſpiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus: & cœpit videre. & reſtitutus eſt ita ut clarè videret omnia. Et miſit illum in domum ſuam, dicens:
2 Vade in domum tuam: & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.

* Extra vicum, *extra Bethſaidam. Hæc Ioan. 1. v. 44. vocatur civitas, ſed quia exigua erat, nec mœnibus cincta, hic vocatur vicus. Educit autem Chriſtus cæcum extra oppidum, ne videretur miraculis ſuis inanem gloriam captare.*

* Expuens in oculos ejus. Nota. *Saliva matutina, pura, & in ore nata, oculis lippis & caligantibus conducit, at cæcos non illuminat. Fuit ergò hæc Chriſti ſaliva non naturalis cæco homini medicina, ſed ſupernaturalis, ac Divinitatis in Chriſto habitantis, inſtrumentum. Ita Franciſcus Lucas, & à Lapide.* Nota 2. *hunc hominem primùm imperfectè ſanatum fuiſſe, ob fidem ejus in principio languidam & imperfectam. Quod notat Ianſenius.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in itinere circa Cæſaræam Philippi ſub finem menſis Iulij. Cornel. à Lapide.

CAPUT LXXXVIII.

1. *Petrus IESVM Meſſiam eſſe, Deique Filium confitetur.* Matth. 16. 13. Marc. 8. 27. Luc. 9. 18.
2. *Chriſtus viciſſim Petrum Eccleſiæ ſuæ petram fundamentalem deſignat, eiique cælorum claves pollicetur.* Matth. 16. 17.

[b] ET egreſſus eſt IESVS & diſcipuli 1
eius in caſtella * Cæſaræ Philippi.
[c] Et factum eſt, cùm ſolus eſſet orans,
erant cum illo & diſcipuli. [b] Et in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: [a] Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, [c] alij verò, quia unus de prophetis prioribus ſurrexit. [a] Dicit illis IESVS: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: * Tu es
Chriſtus Filius Dei vivi. Reſpondens au- 2
tem IESVS, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et

* Cæſarea Philippi. *Vrbs eſt Phœniciæ ad radices Libani, priùs Dan, & Paneas dicta.*

* Tu es Chriſtus &c. *Petrus divinitus edoctus præ ceteris, Chriſtum Meſſiam eſſe confitetur, verumque ac naturalem Dei filium. Hilarius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, S. Auguſtinus ſerm. 33. de verb. Apoſt. aliique paſſim.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in itinere circa Cæſaream Philippi, ſub finem menſis Iulij. Cornelius à Lapide.

Vide infra c. 210.

Et ego dico tibi, quia * tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et * tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Tunc præcepit diſcipulis ſuis, [c] increpans illos, [b] & comminatus eſt eis, * ne cui dicerent de illo, [a] quia ipſe eſſet IESVS Chriſtus.

* Tu es Petrus &c. *Syriacum Euangelium (quâ linguâ Chriſtus locutus eſt) bis habet vocem Cepha, id eſt petra, vid.* Tu es Petra, & ſuper hanc petram &c. *Petrum autem utraque voce deſignari, univerſim PP. conſpirant, quos fusè citant Maldon. & Bellarm.*

Nota *Chriſtum hic duabus metaphoris promittere Petro Eccleſiæ principatum.* 1. *Eſt petræ fundamentalis;* 2. *clavium. claves enim non niſi regibus vel gubernatoribus dantur, ut docet S. Hieronymus.*

Nota 2. *Eccleſiæ ædificationem ſuper hanc petram duo ſignificare: 1. huic lapidi rationali, ſc. Petro quaſi capiti, omnium Apoſtolorum & totius Eccleſiæ curam & regimen proximè poſt Chriſtum incumbere, ut docet S. Chryſoſtomus & alij PP. 2. Eccleſiam Petro, utpote Chriſti vicario inniti & ſolidari, adeò ut in fide errare non poſſit.* 3. Nota *hic propter ſublimem fidei profeſſionem meruiſſe Petrum à Chriſto inſtitui hanc petram fundamentalem. Et hoc tantum volunt Hilar. Chryſoſt. & Cyrillus, cùm dicunt, Eccleſiam ædificatam eſſe ſuper fidem & confeſſionem Petri. Ita Corn. à Lapide.*

* Tibi dabo claves. *Per claves hîc ſignificatur ſumma poteſtas tùm ordinis, tùm juriſdictionis in totam Eccleſiam, Petro hîc promiſſa; tradita verò Ioan. 21. v. 15. & ſeqq. Ita exponunt SS. PP. Hilarius, Hieronymus, Anſelmus, Bellarminus lib. 1. de Pont. c. 12. & Interpp. paſſim.*

* Ne cui dicerent &c. *id eſt, ne palàm & apertè annunciarent, ipſum eſſe Chriſtum, & ita mors ejus & paſſio impediretur. Toletus.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta ad Cæſaræam Philippi ſub finem menſis Iulij.

CAPUT LXXXIX.

1. *Mortem ſuam, atque reſurrectionem poſt triduum à morte prædicit.*
2. *Petrum Paſſioni ſuæ obſiſtentem gravibus verbis reprehendit.* Matth. 16. 21. Marc. 8. 31. Luc. 9. 22.

1 [a] EXinde cœpit IESVS oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportet eum ire Ieroſolymam, & multa pati, [b] & reprobari [a] à ſenioribus, & Scribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere: [b] & * palàm verbum loquebatur.
2 [a] Et * aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te Domine: non erit tibi hoc. [b] Qui converſus, & videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro, dicens: [a] Vade poſt me * ſatana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.

* Palam .i. *apertè & ſine involucris. Nam & alias hæc eadem dixerat, ſed obſcurè, & parabolicè Ioan. 2. 19. & 3. 14. Hîc ergo primâ vice Chriſtus paſſionem ſuam clarè Apoſtolis manifeſtavit.*

* Aſſumens eum .i. *ſeorſum Chriſtum avocans, ne præſentibus ceteris condiſcipulis videretur Magiſtrum arguere.* Cœpit increpare illum, *ſc. amantis affectu. Ita S. Hieron. Chryſoſt. Euthym.*

* Satanas *Hebræa vox eſt, ſignificans adverſarium (unde per antonomaſiam diabolo appropriatur) quaſi objiceret Chriſtus, Petrum videri præpoſtero ſuo zelo diaboli partes obire, idemque cum diabolo moliri, ne humanum genus ſalvetur. Petrus enim Domino & paſſioni ejus ex affectu & prudentia humana adverſabatur, contra Dei decretum, quo conſtitutum erat, Chriſto pro ſalute hominum moriendum eſſe. Et ita* ſcandalum *& offendiculum illi obijciebat, quamvis ei lapſus periculum creare non poſſet. Ita Chryſoſt. Euthym. Franc. Lucas, qui addit: Si Chriſtus, cui lapſus periculum eſſe non poterat, blandientem Petrum tam acriter retudit; multò minus nos, quos ſeduci facilè eſt, ullam amicitiam quantumvis blandam ferre debemus, quæ nos ab obedientia divinæ voluntatis avocat &c.*

CAPUT XC.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta circa Cæſaream Philippi ſub finem Iulij, die vid. 30. ut patet ſeq. cap.

CAPUT XC.

1. *Crucem ſectatoribus Chriſti quotidie tollendam eſſe.*
2. *Terrena bona, & vitam ipſam præ cœleſti gloria contemnenda.*
3. *In die judicij unumquemque pro meritis præmium aut pœnam recepturum.*

Matth. 16. 24. Marc. 8. 34. Luc. 9. 23.

1 [b] ET convocata turba cum diſcipulis ſuis, dixit [c] ad omnes: Si quis vult poſt me venire, * abneget ſemetipſum, & * tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. * Qui
2 enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: [b] qui autem perdiderit animam ſuam propter me & Euangelium, ſalvam faciet eam. [a] Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? [c] Nam qui

* Abneget ſemetipſum. *Abnegare ſemetipſum 1. eſt proprijs deſiderijs & appetitibus, quæ Chriſti legi adverſantur, contradicere; non ea ſequi, nec juxta ea operari, nec ipſis conſentire. Atque hoc eſt unum ex vitæ Chriſtianæ fundamentis. Eſt autem plus,* abnegare, *quàm negare. nam præpoſitio illa vehementiam, & conatus magnitudinem indicat. Ita Toletus ex S. Chryſoſt. & alijs.*

2. Semetipſum abnegare *propriè eſt, nullam habere ſui rationem, ſeipſum contemnere, vitam ſuam, cùm opus eſt, pro Chriſto perſumdare, ut anima vivat. Ita Maldon. qui ait, manifeſtū eſſe; hoc loco non de moribus, ſed de mortibus agi, ut verſu ſequenti declaratur.*

* Tollat crucem ſuam. Crux (*ait S. Auguſtin. ſerm.* 31. *de Sanctis*) non ligni eſt patibulum, ſed vitæ virtutiſque propoſitum. Tota igitur vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Euangelium vivat, crux eſt atque Martyrium. Nam (*ut idem S. Doctor*) habet hortus ille Dominicus non ſolùm roſas Martyrum, ſed & lilia Virginum, & conjugatorum hederas, violaſque viduarum. Prorſus nullum genus hominum de ſua vocatione deſperet: pro omnibus paſſus eſt Chriſtus. Veraciter de illo ſcriptum eſt: Qui vult omnes homines ſalvos fieri. *Ita D. Auguſtinus ſerm.* 37. *de diverſis.*

* Qui enim voluerit animam ſuam *.i. vitam corporis* ſalvam facere, perdet illam *.i. vitam animæ beatam & æternam. Vox enim*, anima, *ambiguè ſumitur cum elegantia & emphaſi, ut ait Toletus.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta circa Cæſaream Philippi ſub finem Iulij, die vid. 30. ut patet ſeq. cap.

* qui me erubuerit & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum. [a] Filius enim hominis venturus eſt in 3
gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Amen dico vobis, ſunt quidam de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, * donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo.

* Qui me erubuerit &c. *Marcus dicit:* Qui me confuſus fuerit, & verba mea, in generatione iſta adultera & peccatrice. *Senſus utriuſque eſt: Qui me erubuerit, & doctrinam meam, ita ſcilicet, ut aut me Chriſtum filium Dei agnoſcere, aut agnitum confiteri vereatur &c.*

* Donec videant &c. *Marcus:* Donec videant regnum Dei veniens in virtute. *Hoc factum fuit in transfiguratione, quando tres Apoſtoli quaſi per tranſennam viderunt regnum Chriſti glorioſum. S. Hilarius, Chryſoſtomus, Hieronymus.*

CAPUT XCI.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in monte Thabor 6. Augusti.

1. *Chriſtus in monte Thabor, inter orandum divinitatis ſuæ ſpecimen tribus Apoſtolis oſtendit.*
2. *De morte ſua, & ad gloriam tranſitu cum Moſe & Elia colloquitur.*
3. *Petrus in mentis exceſſu, manſionem jucundam in Thabor, & lauream ante victoriam poſtulat.*
4. *Patris cæleſtis teſtimonium de Chriſto, divinitus ex nube denunciatur.*

Matth. 17. 1. Marc. 9. 1. Luc. 9. 28.

c FActum eſt autem poſt hæc verba ferè 1
* dies octo, & aſſumpſit Petrum, & Iacobum,

Nota. *Mons Thabor in media Galilæa eſt, vicinus Nazareth & Capharnao, herboſus valde & floridus, altitudine 30. ſtadiorum, ut ait Beda de locis ſac. c. 17. Diſtat autem Cæſareâ Philippi 20. leucis, ſive horis, quod iter Chriſtus ſenſim progrediendo & prædicando ſex diebus confecit. In hoc monte Chriſtum transfiguratum fuiſſe, communis eſt PP. & fidelium opinio, ut videatur Eccleſiæ traditio.*

* Dies octo. *Matthæus ait:* Poſt dies ſex. *Hujus (ut videtur) antilogiæ facilis eſt ſolutio: nam apud Matthæum medij tantùm dies ponuntur; hîc verò apud Lucam primus additur dies, quo Chriſtus gloriam ſuam ſe oſtenſurum promiſit, & extremus, quo reipſa ſe exhibuit glorioſum. S. Hieron. & alij.*

+L

bum, & Joannem, [b] & ducit illos in montem ex-
celſum ſeorſum ſolos, [c] ut oraret. Et facta eſt,
dum oraret, ſpecies vultus ejus altera, [a] &
transfiguratus eſt ante eos. Et * reſplenduit
facies ejus ſicut ſol: [b] & veſtimenta ejus facta
ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix,
qualia fullo non poteſt ſuper terram candida
2 facere. [a] Et ecce apparuerunt illis Moyſes, &
Elias, [c] viſi in majeſtate: [b] & erant loquentes
cum IESV: [c] & * dicebant exceſſum ejus,
quem completurus erat in Ieruſalem. Petrus
verò, & qui cum illo erant, gravati erant
ſomno. Et evigilantes viderunt majeſtatem
3 ejus, & duos viros, qui ſtabant cum illo. Et
factum eſt cùm diſcederent ab illo, ait Petrus
ad IESVM: [a] Domine, bonum eſt nos hîc eſſe:
ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi u-
num, Moyſi unum, & Eliæ unum. [b] Non enim
ſciebat quid diceret: erant enim timore exter-
riti. [a] Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida
obumbravit eos: [c] & timuerunt, intrantibus
4 illis in nubem. [a] Et ecce vox de nube, dicens:
Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi be-
nè complacui: ipſum audite. [c] Et dum fieret
vox, inventus eſt IESVS ſolus. [a] Et audientes
diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timue-
runt valde. Et acceſſit IESVS, & tetigit eos:
dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Levan-
tes autem oculos ſuos, neminem viderunt, ni-
ſi ſolum IESVM. Et deſcendentibus illis de
monte, præcepit eis IESVS, dicens: Nemini
dixeritis viſionem, donec Filius hominis à
mortuis reſurgat. [b] Et verbum continuerunt

Gesta in monte Thabor 6. Augusti.

* Reſplenduit facies ejus. *Corporis ſui gloriam oſtendit Chriſtus, & ſpeciem quamdam ac ſignum divinitatis. Nec aliud dicere voluerunt veteres auctores, qui dicunt Apoſtolos vidiſſe Chriſti divinitatem. ex hac enim gloriæ oſtenſione divinam ejus naturam probare contendunt. Ita S. Hieron. & S. Thomas 3. p. q. 45.*

* Dicebant exceſſum ejus, *ſive exitum ex hac vita per mortem crucis, quia per eam redemptione peractâ, de hoc mundo deceſſit in cælum conſcendens.*

Digitized by Google

* Quid eſſet: Cùm à mortuis reſurrexerit. *Gr. eſt:* Quid illud eſſet: À mortuis reſurrexiſſe. *Adeò rudes adhuc erant Apoſtoli, ut non caperent ſermonem Chriſti de morte ac reſurrectione: quæ non videbantur convenire viſæ recèns in monte Thabor, majeſtati.*

apud ſe, conquirentes * quid eſſet: Cùm à mortuis reſurrexerit.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in monte Thabor 6. Auguſti.

CAPUT XCII.

1. *Elias ante ſecundum Chriſti Iudicis adventum Iudæos ad fidem convertet.*
2. *Myſticus autem præceſſit Elias, Ioannes Baptiſta, ejuſdem Chriſti Salvatoris in primo ejus adventu præcurſor & præco.* Matth. 17. 10. Marc. 9. 10.

* Interrogaverunt eum &c. *Occaſione viſi Eliæ interrogant tres Apoſtoli an vera ſit Scribarum doctrina; Eliam præcedere debere adventum Meſſiæ: quod illi non de primo, ſed de ſecundo ejus adventu intelligendum eſſe ignorabant. nam unicum tantùm, eumque glorioſum Meſſiæ adventum expectabant. A Lapide.*

ᵃ ET * interrogaverunt eum diſcipuli, dicentes: ᵇ Quid ergo dicunt Phariſæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm? ᵃ At ille reſpondens ait eis: Elias quidem venturus eſt: & ᵇ * cùm venerit primò, reſtituet omnia: & * quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur. ᵃ Dico autem vobis, quia * Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis. 1 2

* Cùm venerit primò &c. *.i. cùm venerit prius, ſive ante Chriſti adventum ad judicium,* reſtituet omnia, *id eſt, Iudæos reſiduos ad fidem convertet. Chryſoſt.*

* Quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis *.i. de Filio hominis,* ut multa patiatur & contemnatur. *Subaudi: Sic Elias ab Antichriſto patietur & contemnetur.*

* Elias jam venit. *vid. Ioannes Baptiſta, non re, ſed ſpiritu & virtute Elias. Eliam verò re ipſâ & perſonâ, ſimul cum Henoch ante judicium & glorioſum Chriſti adventum venturum, communis eſt PP. opinio.*

CAPUT XCIII.

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta ad montem Thabor 7. Auguſti.

CAPUT XCIII.

1. *Poſtridie transfigurationis Chriſtus energumenum, ac dæmonis malitiâ ſurdum & mutum, dirisque vexationibus excruciatum, malis omnibus liberat.*
2. *Culpat in Apoſtolis fidei, fiduciæque defectum.*
Matth. 17. 14. Marc. 9. 13. Luc. 9. 37.

1 c FActum eſt autem in ſequenti die, deſcendentibus illis de monte, occurit illis turba multa. b Et veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis. Et confeſtim omnis populus videns IESVM, * ſtupefactus eſt, & expaverunt: & accurrentes ſalutabant eum. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis? c Et ecce vir de turba, a genibus provolutus ante eum, c exclamavit, dicens: b Magiſter, attuli filium meum ad te, * habentem ſpiritum mutum: a Domine, miſerere filio meo, c obſecro te, reſpice in filium meum, quia unicus eſt mihi, [&] a lunaticus eſt, & malè patitur: nam c ecce ſpiritus apprehendit eum: b qui ubicumque eum apprehenderit, c ſubitò clamat, & elidit, & diſſipat eum, b & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit, c & vix diſcedit dilanians eum; [&] a ſæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam. & obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Reſpondens autem IESVS, ait: * O generatio incre-

Dd 2 dula,

* Stupefactus eſt, *ſc. tùm ob inopinatum Chriſti adventum, tùm ob inuſitatum vultus ejus decorem à transfiguratione retentum. Franciſcus Lucas.*

* Habentem ſpiritum mutum, *ab effectu vid. ſic vocatum, quia ſolâ ſuâ vexatione hominem mutum reddiderat, uti & lunaticum: unde morbus hic non habuit cauſam naturalem. Ita docent antiqui PP Chryſoſtomus, Hieronymus & alij. Eſt autem morbus lunaticus ſive comitialis aut caducus, qui certis lunæ mutationibus incrementa ſuſcipit.*

* O generatio incredula. *Hæc non de diſcipulis, ſed de patre lunatici, & de tota Judæorum gente Chriſtum dixiſſe, docent Hilar. Chryſoſt. Tolet.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta ad radices montis Thabor 7. die Auguſti.

dula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum?
uſquequò patiar vos? Afferte huc illum ad
ad me. [b] Et attulerunt eum. [c] Et cùm accede-
ret, [b] & cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus con-
turbavit illum: & eliſus in terram, volutaba-
tur ſpumans. Et interrogavit patrem ejus:
Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc acci-
dit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum
in ignem, & in aquas miſit, ut eum perde-
ret. ſed ſi quid potes, adjuva nos, miſertus
noſtri. IESVS autem ait illi: Si potes crede-
re, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et conti-
nuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aje-
bat: Credo Domine: adjuva incredulitatem
meam. Et cùm videret IESVS concurrentem
turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo,
[a] & increpavit illum, [b] dicens illi: * Surde &
mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo:
& amplius ne introëas in eum. Et exclamans,
& multum diſcerpens eum, exijt ab eo, &
factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent:
Quia mortuus eſt. IESVS autem tenens ma-
num ejus, elevavit eum, & ſurrexit: [a] & cu-
ratus eſt puer ex illa hora: [c] & reddidit illum
patri ejus. Stupebant autem omnes in magni-
tudine Dei. [b] Et cùm introiſſet in domum, 2
diſcipuli ejus ſecretò interrogabant eum: Qua-
re nos non potuimus ejicere eum? [a] Dixit illis
IESVS: Propter incredulitatem veſtram. A-
men quippe dico vobis, ſi habueritis fidem,
* ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic:
Tranſi

* Surde & mute. *Sic vocat eum Chriſtus ab effectu, quòd hominem ſurdum redderet ac mutum, ut ſuprà.*

* Sicut granum ſinapis. *i. minimam fidem, humilem ac parvam hominum judicio, ſed vivam, acrem, vehementem ac fervidam inſtar grani ſinapis. Similitudo enim ducitur & ab exigua quantitate, & ab interiori virtute grani ſinapis: ita ut ſignificetur fides juncta fiduciæ (qualis hîc, & ſimilibus locis accipienda eſt) ſpecie quidem minima, ſed fervore maxima. Franciſcus Lucas.*

In ſinapi maximè notatur ignea vis & efficacia, contritum enim vires ſuas exerit, caput expurgat, venenum diſſipat &c. de quibus Plinius lib. 20. cap. 22. Vide ſuprà cap. 66.

Tranſi hinc illuc, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis. Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem, & jejunium.

CAPUT XCIV.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Galilæa menſe Augusto.

1. *Iterum Apoſtolis paſſionem ſuam prænunciat.*
2. *Illi non percipientes abdita paſſionis & reſurrectionis myſteria, contriſtantur.*

Matth. 17. 21. Marc. 9. 29. Luc. 9. 44.

1 [b] ET inde profecti * prætergrediebantur
Galilæam: nec volebat quemquam ſcire.
[a] Converſantibus autem eis in Galilæa, [c] omnibuſque
mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad diſcipulos ſuos: Ponite vos in
cordibus veſtris ſermones iſtos: Filius enim hominis futurum eſt ut tradatur in manus
hominum: [b] & occident eum, & occiſus ter-
2 tia die reſurget. [c] At illi * ignorabant verbum
iſtud, & erat velatum ante eos, ut non ſentirent illud: & timebant eum interrogare de
hoc verbo: [a] & contriſtati ſunt vehementer: [b] & venerunt Capharnaum.

* Prætergrediebantur Galilæam. *Feſtinantes tranſibant per reliquã Galilæam, cùm nollet Chriſtus manifeſtum eſſe, quo loco eſſet. Ibat enim animò relinquendi Galilæam, & in Iudæam migrandi, nolebatque iter ſuum impediri aut retardari forſan à Galilæis, quorum plurimi Chriſti præſentiâ frui optabant.*

* Ignorabant verbum. *Apoſtoli non capiebant myſterium crucis & reſurrectionis, divinâ providentiâ ſic permittente, ut à Spiritu ſancto de hoc & aliis myſteriis plenè edocerentur. Tolet.*

CAPUT XCV.

Geſta Capharnai menſe Auguſto.

1. *Didrachmi tributum annuum quamvis indebitum pro Chriſto poſtulatur.*
2. *Solvi jubet Chriſtus tùm pro ſe, tùm pro Petro: atque ad hoc exequendum Petrus in ore piſcis ſtaterem invenit.* Matth. 17. 23.

1 ET cùm veniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit * didrachma? Ait: Etiam. Et cùm intraſſet in domum, prævenit eum IESVS, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi IESVS: * Ergo liberi ſunt filij.
2 Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens, * da eis pro me, & te.

* Didrachma. *Gr.* τὰ δίδραχμα, *plur. numero à ſingulari* τὸ δίδραχμον *.i. nummus duarum drachmarum, quem publicani ſive exactores exigebant à Petro. Drachma autem ſeu denarius ejuſdem valoris erant, cujus modò ſunt Regalis Hiſpanicus, & Iulius Italicus.* Stater *verò ſeu ſiclus argenteus continebat quatuor drachmas ſive florenum Brabanticum. Ita Corn. à Lapide.*

* Ergo liberi ſunt filij. *q. d. Si regum filij cum ſua familia immunes ſunt à tributo; ergo multò magis ego, qui Dei Filius ſum, liber & immunis eſſe debeo ab omni tributo regibus terræ debito. S. Hieron.*

* Da eis pro me, & te. *Ex occaſione hujus æqualitatis pretij in perſolvendo tributo, putat S. Hieronymus ortam fuiſſe inter Apoſtolos diſceptationem de primatu.* Quia enim viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideò interrogant, quis major ſit in regno cælorum. *Ita S. Hieron. in Matth. 18. Vide cap. ſequens.*

CAPUT XCVI.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Capharnai menſe Auguſto.

CAPUT XCVI.

1. *Diſcipuli de primatu diſputant.*
2. *Humiles apud Deum ſummos eſſe; ſuperbos verò, infimos ac noviſſimos, docet Chriſtus.*
3. *Parvuli in medio poſiti exemplum ſtatuit.*

Matth. 18. 1. Marc. 9. 32. Luc. 9. 46.

1 [c] INtravit autem cogitatio in eos, * quis eo-
rum major eſſet. At IESVS videns cogi-
tationes cordis illorum, [b] cùm domi eſſent,
interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At
illi tacebant. Siquidem in via inter ſe diſpu-
taverant, quis eorum major eſſet. Et reſidens
vocavit duodecim. [a] In illa hora acceſſerunt
diſcipuli ad IESVM, dicentes: Quis putas,
2 major eſt in regno cælorum? [b] Et ait illis: Si
quis vult primus eſſe, erit omnium noviſſimus,
3 & omnium miniſter. [a] Et advocans IESVS
* parvulum, [c] apprehendit, & ſtatuit illum ſe-
cus ſe [a] in medio eorum: [b] quem cùm com-
plexus eſſet, ait illis: [a] Amen dico vobis, * ni-
ſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut par-
vuli, non intrabitis in regnum cælorum. Qui-
cumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus
iſte, hic eſt major in regno cælorum. Et qui
ſuſceperit unum parvulum talem in nomine
meo, me ſuſcipit. [b] Et quicumque me ſuſce-
perit,

* Quis eorum major eſſet. Nota. *Apoſtoli nondum à Chriſto, & Spiritu ſancto illuminati fingebant animis regnum Chriſti, quamvis in cælo futurum eſſet æternum, priùs tamen in hoc mundo, à morte & reſurrectione ejus inchoandum; quid aliud foret reſurrectio, ignorantes, niſi inſtauratio quædam & poſſeſſio regni. Vnde hic apud Matth.* 18. 1. *& cap.* 20. 20. *& Luc.* 22. *v.* 24. *ex una eademque occaſione mentionis de Chriſti morte & reſurrectione, ambitionem hanc ſuam prodiderunt. Franciſcus Lucas. Vide infrà cap.* 141. *& cap.* 177.

* Parvulum. *Parvulis gaudet Chriſtus, ut hîc patet, & infrà cap.* 135.

* Niſi converſi fueritis, *ſc. ab hac veſtra ambitione, quæ ſaltem erat peccatum veniale, & impediebat ingreſſum cæli.*

perit * non me ſuſcipit, ſed eum qui miſit me.
c * Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic major eſt.

* Non me ſuſcipit &c. *.i. non me ſolum ſuſcipit, verùm etiam eũ, qui miſit me.*

* Nam qui minor &c. *Reddit cauſam quare Deum Patrem, Filiumque recipiat, qui parvulum iſtum, vel ei ſimilem recipit; nempe quia tales ætate ac moribus parvuli, magni admodùm æſtimantur à Deo.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Capharnai menſe Auguſto.

CAPUT XCVII.

1. *Signa facientem in Chriſti nomine, licet diſcipulus ejus non habeatur, prohibendum non eſſe.*
2. *Actiones proximi non facilè in deteriorem partem accipiendas. nec enim vel opus minimum Chriſti nomine factum mercede fruſtrabitur.*

Marc. 9. 37. Luc. 9. 49.

b RESpondit ei Ioannes, dicens: Magiſter, 1
vidimus quemdam * in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non ſequitur nos, &
prohibuimus eum. IESVS autem ait: Nolite 2
prohibere eum. nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me. Qui non eſt adversùm vos, pro vobis eſt. Quiſquis enim potum dederit vobis, calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

* In nomine tuo &c. Nota *hunc & alios fortè qui in nomine Chriſti dæmonia ejiciebant, fuiſſe diſcipulos Chriſti imperfectos, abhorrentes ab aſpera paupertate & ſequela ejus; habuiſſe tamen aliquam fidem in Chriſtum, cujus virtute dæmonia pellebant. S. Ambroſius.*

CAPUT XCVIII.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Capharnai menſe Auguſto.

CAPUT XCVIII.

1. *A parvulorum offenſione cavendum eſſe.*
2. *Nec tantum aliorum offenſam evitandam; verùm etiam propriæ manus, pedis, oculi ſcandala reſecanda.*
3. *Neminem, quantumvis humilem atque abjectum, deſpiciendum eſſe. venit enim Chriſtus pro ſalute omnium.* Matth. 18. 6. Marc. 9. 41.

1 [b] QUiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me, [a] expedit ei, ut ſuſpendatur * mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis. * Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi, per quem ſcan-
2 dalum venit. [b] Et * ſi ſcandalizaverit te manus tua, * abſcide illam: * bonum eſt ti-
Cap. 49. bi debilem introire in vitam, quàm duas manus

Ee

Nota. *Proſequitur hic Chriſtus ſermonem ſuum à Ioanne nonnihil interruptum, pœnamque intentat cauſam præbentibus offenſionis vel lapſus parvulis & humilibus.*

* Mola aſinaria .*i. lapis molaris grandis, qui ab aſino alióve jumento circumagitur.*

* Neceſſe eſt &c. *Tam variâ hominum indole & naturæ corruptione prævisâ & ſuppoſitâ,* neceſſe eſt *ſaltem ab aliquibus in confuſo ſcandala fieri.*

* Si ſcandalizaverit &c. *Scandalizare, quod perſonæ propriè convenit, impropriè quoque tribuitur humanis membris, eò quòd offerant ſenſui communi ea, per quæ concupiſcentia irritata hominem ad malum ſolicitat.*

* Abſcide eam .*i. nega tibi manus, vel aliorum membrorum uſum, non minus quàm ſi manu, pede, oculo orbatus fores.*

* Bonum eſt tibi &c. *Senſus eſt: Melius eſt tibi in hac vita à delictis te cohibere, non ſecus ac ſi membris ijs, quibus peccatur, careres, ut æternùm vivas; quàm iiſdem liberè pro tua libidine, nullâ vitandorum ſcandalorum habitâ ratione uſum mitti in ignem æternum. Sermo igitur hic parabolicus eſt, nec aliud ſignificat, quàm potius damnum quodlibet ſubeundum eſſe, quàm ſcelus in ſe admittendum. Ita Franc. Lucas, & Maldonat.*

Patet ex hoc loco, quâ vigilantiâ, ſtudio & contentione Chriſtiano homini ſenſus membraque corporis refrænanda ſint. Docuit enim hoc Chriſtus ferè iiſdem verbis populum frequentem in monte Galilææ Matth. 5. 29. ut ſuprà cap. ... & rurſum diſcipulos ſuos hic in Capharnai hoſpitio, Matth. 18. 8. & Marc. 9. 42.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Capharnai menſe Auguſto.

manus habentem ire in gehennam, in
ignem inextinguibilem: * ubi vermis eo-
rum non moritur, & ignis non extingui-
tur. Et ſi pes tuus te ſcandalizat, ampu-
ta illum: bonum eſt tibi claudum introi-
re in vitam æternam, quàm duos pedes
habentem mitti in gehennam ignis inex-
tinguibilis: ubi vermis eorum non mori-
tur, & ignis non extinguitur. Quod ſi ocu-
lus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bo-
num eſt tibi luſcum introire in regnum
Dei, quàm duos oculos habentem mitti
in gehennam ignis: ubi vermis eorum non
moritur, & ignis non extinguitur. * Om-
nis enim igne ſalietur, & omnis victima
ſale ſalietur. * Bonum eſt ſal. Quod ſi ſal v. c. 49 & 124.
inſulſum fuerit, in quo illud condietis?
Habete in vobis ſal, & pacem habete in-
ter vos. [a] Videte ne contemnatis unum 3
ex his puſillis: dico enim vobis, quia An-
geli eorum in cælis ſemper vident faciem
Patris mei, qui in cælis eſt. Venit enim
Filius hominis ſaluare quod perierat. Quid
vobis videtur? * ſi fuerint alicui centum
oves,

* Ubi vermis. *Hic eſt 1. perpetuus conſcientiæ remorſus & mœror de æterno bono ſuâ culpâ amiſſo, & æterno ſupplicio contracto, ut S. Hieron. & DD. paſſim exponunt. 2. In inferno vermes quoque propriè dictos fore, horribiles & æternos, exiſtimant S. Auguſtin. Innocent. Pont. Proſper, & ex ijs à Lapide in Iſa. 66. 24.*

* Omnis enim, *ſc. gehennæ adjudicandus,* igne ſalietur, *.i. quaſi ſale conditus æternis ignium cruciatibus, quaſi ſemper moriens, & ſemper vivens conſervabitur. Chriſtus ignem gehennæ ſali, damnatos victimis comparat, divinæ juſtitiæ in æternum comburendis.*

* Bonum eſt ſal. *Vide cap. 49. Addit autem Chriſtus hoc à ſale monitum, quia prius ſalis meminerat, licet alio ſenſu.*

* Si fuerint alicui centum oves &c. *Docet proximum non eſſe contemnendum, ne humilem quidem & puſillum, quorum causâ Deus Pater non tantùm Angelos, ſed & Filium ſuum unicum dedit, & miſit in mundum, ut humanum genus quaſi ovem perditam quæreret & ſaluaret. Vide cap. 126. vbi eadem de ovibus parabola, ſed in finem paulò diverſum à Chriſto profertur.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Capharnai menſe Auguſto.

ovés, & erraverit una ex eis: nónne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit? & ſi contigerit, ut inveniat eam: Amen dico vobis: quia gaudet ſuper eam magis, quàm ſuper nonaginta novem, quæ non erraverunt. Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis.

CAPUT XCIX.

1. *Proximus nos offendens quâ ratione corripiendus ſit.*
2. *Ligandi ac ſolvendi poteſtas diſcipulis communicatur.*
3. *Plurium in idem conſpirantium in orando efficacitas.* Matth. 18. 15.

1 SI autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos: * dic eccleſiæ. ſi autem Eccleſiam non audierit, * ſit tibi ſicut ethnicus &

Nota. *Hactenus Chriſtus docuit, non lædendos, neque contemnendos humiles: nunc docet, neque peccatores deſpiciendos, ſed ſalutis eorum curam gerendam.*

* Dic eccleſiæ, *intellige Eccleſiæ Paſtoribus vel Prælatis, qui Eccleſiam repræſentant; non verò multitudini fidelium dicendum. Ita S. Chryſoſt. Olim tamen in primitiva Eccleſia hæc delatio fiebat ad Præſules, in fidelium congregatione. Ianſenius.*

* Sit tibi ſicut ethnicus &c. *.i. non amplius habeas eum ut fratrem, ſed ſicut ethnicum & publicanum, quorum convictu ſtudioſè abſtinebant Iudæi. Hæc porrò remedia non in vindictam, ſed ad emendationem & ſalutem proximi adhibenda.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Capharnai menſe Auguſto.

& publicanus. Amen dico vobis, * quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. 2
Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? Dicit illi IESUS: Non dico tibi uſque ſepties; ſed uſque ſeptuagies ſepties. 3

* Quæcumque alligaveritis &c. *Hinc rectè colligunt Doctores 1. poteſtatem excommunicandi. 2. poteſtatem judicandi, & peccata retinendi atque abſolvendi in pœnitentiæ Sacramento. Et quidem eandem poteſtatem hîc ceteris Apoſtolis largitur Chriſtus, quam ſimilibus verbis Petro promiſerat, (ut ſuprà cap. 88.) eâ ſolâ differentiâ, quod quia illic Petro promittuntur claves regni cælorum, intelligatur ejuſdem in Eccleſiam univerſam auctoritas; hîc vero ſola ligandi atque abſolvendi poteſtas ſingulis detur Apoſtolis in eos, quibus ipſos præeſſe continget. Franc. Lucas, Ianſen. & alij ex communi PP. ſententia. Vide infrà cap. 207.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Capharnai menſe Auguſto.

CAPUT C.

1. *Docet parabola regis, ignoſcendum proximo, ut Deum propitium habeamus.*
2. *Deus erga miſericordes miſericors eſt: & è contrario.* Matth. 18. 23.

IDeo aſſimilatum eſt * regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia 1

* Regnum cælorum *.i. Eccleſia. Senſus eſt: Ita ſe res habet in Eccleſia mea, quemadmodum ſi rex terrenus ſervum debitorem ſuum, & erga alios immiſericordem, ipſe quoque ſine miſericordia puniat.* Iudicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam. *Iacobi* 1. 13.

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta Capharnai menſe Auguſto.

millia * talenta. Cùm autem non haberet unde redderet, juſſit eum dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſervus ille, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conſervus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abijt, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſervi ejus quæ fiebant, contriſtati ſunt valde: & venerunt, & narraverunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus ſuus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nónne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, * quoadusque redderet univerſum debitum.
2 Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

* Talentum *Atticum (ut ait Budæus) valebat ſexcentos coronatos. Decem igitur millia talentorum ſunt ſexagies centena millia coronatorum, id eſt 6. milliones auri; quæ ſumma incomparabilis eſt ad centum denarios, qui valent tantùm circiter decem coronatos. Ianſenius, Maldon. à Lapide; qui addit, v. riſimile eſſe Chriſtum loqui de talentis Hebraicis. Et ſic vicies major erit hæc ſumma: nempe decem millia talentorum auri, erunt centum viginti milliones aureorum Francicorum, ſive drachmarum auri. Vide cap.* 170.

* Quoadusque reddet univerſum debitum *.i. ſemper & in æternum: numquam enim poterit ſolvere. Ita Chryſoſt. Nota* debitum *hoc immenſum, eſſe peccatum, quod à nulla creatura exolui poteſt. Sicut enim Deus eſt ſummum bonum, ita peccatum, quod repugnat divinæ bonitati, eſt ſummum malum, ſummáque injuria infinitæ Dei majeſtati illata; unde parit reatum ac debitum pœnæ infinitum.*

 CAPUT CI.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Galilæa menſe Septembri. Tirinus & alij.

CAPUT CI.

1. *Chriſtus è Galilæa migrat, numquam eam, niſi poſt reſurrectionem reviſurus: quippe conſanguineos celans, Ieroſolymam ad Tabernaculorum feſta diſcedit.*

2. *Quamvis occultè, firmo tamen atque imperterrito animo ad mortem poſt ſex menſes obeundam proficiſcitur.*

Matth. 19. 1. Marc. 10. 1. Luc. 9. 51. Ioan. 7. 2.

d ERat autem in proximo dies feſtus Iu- 1
dæorum, * Scenopegia. Dixerunt autem
ad eum fratres ejus: Tranſi hinc, & vade in
Judæam, * ut & diſcipuli tui videant opera
tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid
facit, & quærit ipſe * in palam eſſe: ſi hæc
facis, manifeſta teipſum mundo. Neque enim
fratres ejus credebant in eum. Dicit ergo eis
IESVS: Tempus meum nondum advenit: tem-
pus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Non
poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit:
quia ego teſtimonium perhibeo de illo quòd
opera ejus mala ſunt. Vos aſcendite ad diem
feſtum hunc: ego autem * non aſcendo ad
diem feſtum iſtum: quia meum tempus non-
dum impletum eſt. Hæc cùm dixiſſet, ipſe 2
manſit in Galilæa. Ut autem aſcenderunt
fratres

* Scenopegia. *Hoc feſtum celebrabant Iudæi menſe Septembri, ut patet Levit. 23. Scenopegia autem ſeu tabernaculorum feſtum dicebatur à figendis tabernaculis, in quibus Hebræi per dies ſeptem, quibus celebrabatur, habitare jubebantur, idque in memoriam divinæ protectionis in deſerto, ubi per 40. annos peregrinantes in ſolis tabernaculis hyeme & æſtate vixerant.*

* Vt & diſcipuli &c. .i. *ut etiam ſtudioſi doctrinæ tuæ, qui in Iudæa ſunt, opera tua videant. Chryſoſt.*

* In palam eſſe, *.i. eſſe in luce, & omnium ſermonibus celebrari. Senſus eſt: Nemo in occulto magnum aliquod opus efficit; & cupit eſſe celebris. Hæc porro liberior fuit monitio Chriſto facta à conſanguineis quibuſdam nondum omninò in eum credentibus, ut notant hîc interpretes; qui & vanitatis aliquid latuiſſe putant in his Chriſti cognatis, dum miracula ejus cunctis nota eſſe cupiebant.*

* Non aſcendo ad diem feſtum *.i. nondum aſcendo, neque vobiſcum aſcendo, quod vos requiritis.*

ᵃ fratres ejus, ᶜ* dum complerentur dies aſſumptionis ejus, & ipſe * faciem ſuam firmavit, ut iret in Ieruſalem: ᵇ & inde exurgens, ᵈ aſcendit ad diem feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto, [&] ᵉ migravit à Galilæa.

* Fratres. *Intellige cognatos, filios Cleophæ fratris S. Ioſephi. Vide ſuprà in Genealog.*

* Dum complerentur dies &c. *.i. dum inſtaret tempus, quo per mortem ſuam & reſurrectionem, in cælum aſſumeretur.*

* Faciem ſuam firmavit *.i. Magno atque erecto animo in ipſo etiam vultu elucente iter hoc ad patiendum ingreſſus eſt.* Obfirmatione enim (*ait S. Hieron. epiſt.* 151.) & fortitudine opus eſt ad paſſionem ſponte properanti.

CAPUT CII.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Samaria, menſe Septembri.

1. *Chriſtus à Samaritanis hoſpitio prohibetur.*
2. *Zelum immodicum filiorum Zebedæi compeſcit.*

Luc. 9. 52.

1 ET miſit nuntios ante conſpectum ſuum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum * ut pararent illi. Et non receperunt eum, * quia facies ejus erat euntis in Ieruſalem. Cùm vidiſſent autem diſcipuli ejus Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus, ut ignis deſcendat de cælo, & con-
2 ſumat illos? Et converſus increpavit illos, dicens: Neſcitis * cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. Et abierunt in aliud caſtellum.

* Vt pararent illi *.i. ut pararent Chriſto & diſcipulis ejus hoſpitium & vitæ neceſſaria.*

* Quia facies ejus &c. *Non receperunt Chriſtum, quia videbant eum cum ſuis pergere Ieroſolymam adorationis causâ; quod ægrè ferebant. Contendebant enim Samaritani Deum non Ieroſolymæ, ſed in ſuo templo adorandum eſſe: unde ſchiſma erat inter ipſos & Iudæos, ut dictum eſt cap. 29.*

* Cujus ſpiritus eſtis. *Significat Chriſtus, ſpiritum novæ legis eſſe manſuetudinis & charitatis, non vindictæ.*

CAPUT CIII.

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in itinere Ieroſolymam menſe Septembri.

CAPUT CIII.

1. *Decem viri leproſi in itinere ſanantur; è quibus unus ſolus, & is Samaritanus Deo grates agit.*
2. *Ingrati animi vitium accuſatur.* Luc. 17. 11.

ET factum eſt, dum iret in Ieruſalem, tran- 1
ſibat per mediam Samariam & Galilæam.
Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum, oc-
currerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt
* à longè: & levaverunt vocem, dicentes: IE-
SV præceptor, miſerere noſtri. Quos ut vi-
dit, dixit: Ite, * oſtendite vos ſacerdotibus. Et
factum eſt, dum irent, mundati ſunt. Unus
autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt,
regreſſus eſt, cum magna voce magnificans
Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus,
gratias agens: & hic erat Samaritanus. Re- 2
ſpondens autem IESVS, dixit: Nónne decem
mundati ſunt? & novem ubi ſunt? Non eſt
inventus qui rediret, & daret gloriam Deo,
niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade:
quia fides tua te ſalvum fecit.

* A longè. *Cùm lepra apud Iudæos ſumma haberetur immunditıes, non audebant, neque licebat leproſis populo ſe immiſcere, aut propiùs ad Chriſtum accedere. unde eminus clamabant. Levit.* 13. 45. *& ſeqq.*

* Oſtendite vos ſacerdotibus. *Ad hos enim ſpectabat lepræ judicium: nec poterant qui ſemel leproſi judicati fuerant, hominum ſocietati reſtitui, niſi mundi à ſacerdotibus declarati, & oblato ſacrificio expiati, juxta legem Levit.* 13. *&* 14. *Vide ſuprà cap.* 55.

CAPUT CIV.

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in templo ineunte Octobri, ut infrà.

CAPUT CIV.

1. *Medio ſolemnium feſtorum die in templo concionatur.*
2. *Maledictis carpitur à Iudæis, qui fruſtrà eum comprehendere ſtudent ante tempus à Deo definitum.*
Ioan. 7. 11.

1 IUdæi ergo quærebant eum in die feſto, & dicebant: Ubi eſt ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus eſt. Alij autem dicebant: Non, ſed ſeducit turbas. * Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum. Iam autem * die feſto mediante, aſcendit IESUS in templum, & docebat. Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit? Reſpondit eis IESUS, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar. Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt. * Nónne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?
2 Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes:

Ff quis

Nota, *primum diem Scenopegiæ fuiſſe 29. Septembris. Chriſtus autem quarto die feſto aſcendit in templum. Fuit ergo is dies initium Octobris, ſive dies ejuſdem menſis ſecundus.*

* Nemo tamen palàm loquebatur de illo, *quia nimirum principes prohibuerant omnem de illo ſermonem, ut Chriſti memoria ex hominum mentibus deleretur. Toletus.*

* Die feſto mediante. *i. quarto die, ut ſuprà. Durabat enim hæc ſolemnitas diebus octo, ut patet Levit. 23. 36. Septem tamen tantummodò diebus habitabant in tabernaculis.*

* Nónne Moyſes &c. *q. d. Nónne Moyſes dedit vobis legem Decalogi, quæ vetat hominem juſtum interficere? Quid igitur me innocentem ad mortem quæritis?*

Geſta in templo in Scenopegia menſe Octobri.

quis te quærit interficere? Reſpondit IESVS, & dixit eis: * Unum opus feci, & omnes miramini: * Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem: (* non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus) & in ſabbato circumciditis hominem. Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi: mihi indignamini quia totum hominem ſanum feci in ſabbato? Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate. Dicebant ergo quidam ex Ieroſolymis: Nónne hic eſt, quem quærebant interficere? Et ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognoverunt principes, quia hic eſt Chriſtus? ſed hunc ſcimus unde ſit: * Chriſtus autem cùm venerit, nemo ſcit unde ſit. Clamabat ergo IESVS in templo docens, & dicens: * Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis: & à meipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis. Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus cùm venerit, numquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit?

* Unum opus feci *ſc. quòd paralyticum ad piſcinam ſanaverim in ſabbato, & ſic putatis me ſabbatum violaſſe.*

* Propterea, *non cauſalis vox eſt, ſed illativa. Senſus eſt: Itaque ut non miremini hoc meum factum, advertite quòd per legem à Moyſe datam liceat hominem circumcidere in ſabbato: ergo & mihi licitum eſt ægrotos ſabbato curare. Ita Ianſ.*

* Non quia ex Moyſe eſt &c. *Abraham enim primus legem Circumciſionis immediatè à Deo accepit* Gen. 17. v. 10. *quam filijs ſuis deinde & poſteris reliquit.*

* Chriſtus autem &c. *Verba hæc ſunt vulgi Scripturarum imperiti. Porrò hic dicunt ſe ſcire unde ſit Chriſtus, id eſt, quibus parentibus natus ſit: pòſt verò Ioan. 9. 29. dicunt* Hunc autem neſcimus unde ſit *.i. an à Deo miſſus ſit. nec eſt contradictio. Ita Ianſenius. & Toletus.*

* Et me ſcitis &c. *.i. me ſcitis, nimirum ut dicitis & putatis; ſed divinam meam originem, quòd Dei filius ſum, & à Patre miſſus in mundum, ignoratis. Vnde ſubdit Chriſtus:* & à meipſo non veni. Et, *ſumitur pro* ſed. *Franciſcus Lucas.*

CAPUT CV.

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in templo menſe Octobri.

CAPUT CV.

1. *Principes incaſſùm mittunt ſatellites, qui Chriſto manus injiciant in templo docenti.*
2. *Vulgus varios de ipſo ſermones miſcet.*
3. *Nicodemus unicus, ei contra ceterorum principum odia & machinationes patrocinatur.* Ioan. 7. 32.

1 AVdierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc: & miſerunt principes & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis IESVS: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: & vado ad eum, qui me miſit. Quæretis me, & non invenietis: & * ubi ego ſum, vos non poteſtis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inveniemus eum? numquid * in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire? * In noviſſimo autem die magno feſtivitatis, ſtabat IESVS, & clamabat, dicens: * Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, * flumina de ventre ejus fluent aquæ

* Vbi ſum ego &c. *.i. vos in odio obſtinati numquam admittemini in regnum meum.*

* In diſperſionem gentium *.i. in diſperſas toto orbe terrarum gentes.*

* In noviſſimo autem die magno, *die vid. octavo & ultimo, inter feſtos illos dies celeberrimo, qui dicebatur Cœtus atque Collecta: quia ſolutis tabernaculis adhuc tenebatur illo die populus collectus ad laudandum Deum, gratiaſque ei agendas.* Franciſcus Luca, & alij.

* Si quis ſitit &c. *.i. Si quis deſideret Euangelicam doctrinam, gratiam ſpiritum & beatitudinem.*

* Flumina de ventre ejus &c. *.i. flumina donorum Spiritus ſancti fluent, & exundabunt* de ventre ejus *.i. de corde ejus ad proximos irrigandos. Ita S. Chryſoſtomus, aliique.*

Digitized by Google

Geſta in templo menſe Octobri.

aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, Ioël 2. 28.
quem accepturi erant credentes in eum:
nondum enim erat Spiritus datus, quia
IESVS nondum erat glorificatus. Ex illa
ergo turba cùm audiſſent hos ſermones
ejus, dicebant: Hic eſt verè propheta. A- 2
lij dicebant: Hic eſt Chriſtus. Quidam au-
tem dicebant: Numquid à Galilæa venit
Chriſtus? Nónne Scriptura dicit: Quia ex
ſemine David, & de Bethlehem Caſtello, Mich. 5. 2.
ubi erat David, venit Chriſtus? Diſſenſio
itaque facta eſt in turba propter eum. Qui-
dam autem ex ipſis volebant apprehende-
re eum: ſed nemo miſit ſuper eum manus.
Venerunt ergo miniſtri ad pontifices, &
Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quare non
adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri:
Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic
homo. Reſpònderunt ergo eis Phariſæi:
Numquid & vos ſeducti eſtis? Numquid
ex principibus aliquis credidit in eum, aut
ex Phariſæis? ſed turba hæc, quæ non no-
vit legem, maledicti ſunt. Dixit Nicode- 3
mus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte,
qui unus erat ex ipſis: * Numquid lex no-
ſtra judicat hominem, niſi priùs audierit
ab ipſo, & cognoverit quid faciat? Re-
ſponderunt, & dixerunt ei: Numquid &
tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, &
vide quia à Galilæa propheta non ſurgit.
Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum
ſuam.

* Numquid lex noſtra &c. *q. d. Lege naturæ & Dei cautum eſt, neminem inauditum condemnandum eſſe.*

CAPVT CVI.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in templo menſe Octobri.

CAPUT CVI.

1. *Adultera à Phariſæis malitiosè ad Chriſtum defertur.*
2. *Chriſtus eam à delatoribus vindicat.*
3. *Eidem peccata condonat.* Ioan. 8. v. 1.

1 IESVS autem * perrexit in montem O-
liveti: & diluculò iterum venit in tem-
plum, & omnis populus venit ad eum, &
ſedens docebat eos. Adducunt autem Scri-
bæ & Phariſæi mulierem in adulterio de-
prehenſam, & ſtatuerunt eam in medio,
& dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier mo-
dò deprehenſa eſt in adulterio. In lege
autem Moyſes mandavit nobis hujuſmo-
Levit. 20.10. di lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc au-
tem dicebant tentantes eum, ut poſſent
accuſare eum. IESVS autem inclinans ſe
deorſum, * digito ſcribebat in terra. Cùm
autem perſeverarent, interrogantes eum,
2 erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato
eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mit-
tat. Et iterum ſe inclinans, ſcribebat in
terra. Audientes autem unus poſt unum
exibant, incipientes à ſenioribus: & re-
manſit * ſolus IESVS, & mulier in me-
dio ſtans. Erigens autem ſe IESVS, dixit
3 ei: Mulier, ubi ſunt, qui te accuſabant?

* Perrexit in montem Oliveti, *videlicet ut ibi ſub dio in oratione pernoctaret, ut colligitur Ioan.* 18.1. *& Matth.* 26. 36. *Hîc igitur Chriſtus nocturnum hoſpitium, imò oratorium ſibi delegit ſex ante mortem menſibus, ad quod deinceps oraturus ſecedere ſolebat. Ita Cornelius à Lapide.*

* Digito ſcribebat in terra .*i. in pavimento templi digito formabat characteres non permanentes, quaſi aliud agens; ut hac ratione oſtenderet ſe declinare judicium, & nolle attendere. Addit S. Hieron. lib.* 2. *contra Pelagianos, Chriſtum ſcripſiſſe* eorum qui accuſabant, & omnium peccata mortalium, *juxta illud Ierem.* 17. 13. Recedentes à te in terra ſcribentur. *Alij cenſent ſcripſiſſe* Mane, Thecel, Phares. *Dan.* 5. 25.

* Solus IESVS. *Vox,* ſolus, *excludit tantùm Scribas & Phariſæos. Remanſerunt enim diſcipuli, & turba populi.*

* Nec ego te condemnabo. Vade in pace. *Chriſtus adulteram hic abſolvit in foro poli. S. Ambroſ. ep. 58. Ianſen. & alij.*

nemo te condemnavit? Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem IESVS: * Nec ego te condemnabo. Vade in pace, & jam amplius noli peccare.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in templo menſe Octobri.

CAPUT CVII.

1. *In gazophylacio docens aſſerit ſe mundi lucem eſſe, ac Iudæos, niſi in ſe credant, in peccatis morituros.*
2. *Phariſæis & Legiſperitis pro more obgannientibus dicit, ſe principium eſſe, & ab æterno ex Patre genitum.*
3. *Se in cruce exaltandum; & tunc à multis eorum pro Meſſia, Deique Filio agnoſcendum.* Ioan. 8. 12.

ITerum ergo locutus eſt eis JESVS, dicens: 1
Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum. Reſpondit IESVS, & dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio unde veni, & quò vado: vos autem neſcitis unde venio, aut quò vado. * Vos ſecundùm carnem judicatis: * ego non judico quemquam: & ſi judico ego, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: ſed ego, & qui miſit me, Pater.

* Vos ſecundùm carnem &c. i. *Vos non niſi ex ſenſibus judicatis, ſcilicet ſecundùm quod in me videtis; nempe me eſſe hominem pauperem & infirmum; unde judicatis me non eſſe Mſiam, nec Deum, qui intus latet. Ita S. Auguſt. Theophylact. & alij.*

* Ego non judico quemquam *q. d. Ego non judico ut vos. neque eſt neceſſe ut ego de me, aut alio teſtimonium feram: ſunt enim alij qui hoc faciant. Si tamen id ago, veriſſimum eſt teſtimonium meum: quia ego ſolus non ſum, ſed cum Patre, & Spiritu ſancto. S. Ambroſius.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in templo menſe Octobri.

ter. Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo: & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater. Dicebant ergo ei: Vbi eſt Pater tuus? Reſpondit IESVS: Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. Hæc verba locutus eſt IESVS * in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus. Dixit ergo iterum eis IESVS: Ego vado, & * quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet ſemetipſum, quia dixit: Quò ego vado, vos non poteſtis venire? Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis IESVS: * Principium, qui & loquor
2 vobis. * Multa habeo de vobis loqui, & judicare. ſed qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum.

Dixit

* In gazophylacio .i. *in porticu ad templi atrium, ubi erat arca, & ærarium, in quo oblata pecunia, & omnis templi gaza ſervabatur. Erat is locus templi pluribus ſtadijs longus ac latus, locus omninò illuſtris & maximè frequentatus, in quo Chriſtus liberè concionatus eſt, non obſtante Iudæorum perſecutione. Franc. Lucas. V. c. 163.*

* Quæretis me, *ſc. non deſiderio, ſed odio, ait S. Auguſtinus, etiam mortuum me perſequemini.*

* Principium, qui & loquor vobis. *Gr. eſt* τὴν ἀρχὴν, *in quarto caſu poſitum more Græco, loco adverbij, ut ſubaudiatur præpoſitio, q. d. Ego ſum* κατὰ τὴν ἀρχὴν, *id eſt à principio, & ab æterno, quod ipſum loquor & annuncio vobis. A Lapide.*

* Multa habeo &c. *q. d. Omiſſis multis de quibus vos accuſare poſſem, hoc tantùm dicam in confutationem veſtræ infidelitatis; vid. quòd Pater, qui me miſit, verax eſt; unde & ea quæ ego ab ipſo accepi, & vobis expono, vera eſſe oportet. Ianſenius.*

* Cùm exaltaveritis Filium hominis, *ſcilicet in cruce, tunc cognoſcetis quia ego ſum. Nam in Chriſti morte & reſurrectione uti & in miſſione Spiritus ſancti multi crediderunt in eum.*

Dixit ergo eis IESVS: * Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 3

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in templo menſe Octobri.

Altera pars sermonis Christi

1. *Docet, incredulos Iudæos ſervos eſſe peccati, & non filios Abrahæ, ſed ex patre diabolo, quem moribus referebant.*
2. *Blaſphemis eorum vocibus reſpondet, ſe dæmonium non habere &c.*
3. *Iudæis eum lapidare volentibus, ſe abſcondit.*

Ioan. 8. 31.

* Reſponderunt ei, *vid. illi qui adhuc infirmi erant in fide, vel potius alij, qui nondum crediderant, ut vult S. Auguſtinus. Quamvis enim Chriſtus hîc credentibus loqueretur; poterant tamen quilibet de turba reſpondere.*

Dicebat ergo IESVS ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eſtis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. * Reſponderunt ei: Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus umquam: quomodo tu dicis: * Liberi eritis? Reſpondit eis IESVS: Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. ſervus autem * non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis. Scio quia filij Abrahæ 1

* Liberi eritis. *Errabant Iudæi ſermonem IESV de corporis libertate intelligentes, cùm de libertate ſpirituali, eademque ſervitute loqueretur.*

* Non manet, *i. non ſolet manere, neque manendi jus habet in domo heri, ſicut habet filius in domo patris.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in templo menſe Octobri.

hæ eſtis: ſed quæritis me interficere, quia ſermo
meus * non capit in vobis. Ego quod vidi apud
Patrem meum, loquor: & vos * quæ vidiſtis apud
patrem veſtrum, facitis. Reſponderunt, & di-
xerunt ei: Pater noſter Abraham eſt. Dicit eis
IESVS: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahę faci-
te. Nunc autem quæritis me interficere, homi-
nem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam
audivi à Deo: hoc Abraham non fecit. Vos
facitis opera patris veſtri. Dixerunt itaque ei:
Nos * ex fornicatione non ſumus nati: unum
patrem habemus Deum. Dixit ergo eis IESVS:
Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis utique
me. ego enim ex Deo proceſſi, & veni: ne-
que enim à meipſo veni, ſed ille me miſit.
Quare loquelam meam non cognoſcitis? * Quia
non poteſtis audire ſermonem meum. * Vos
ex patre diabolo eſtis: & deſideria patris ve-
ſtri vultis facere. ille homicida erat ab initio,
& in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas
in eo. cùm loquitur mendacium, ex proprijs
loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus. Ego
autem ſi veritatem dico, non creditis mihi.
Quis ex vobis arguet me * de peccato? Si ve-
ritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea
vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Re-
2 ſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nón-

Gg ne

* Non capit in vobis .i. *non habet locum in vobis. Vatablus. quia ſcilicet vos eum capere non vultis.*

* Quæ vidiſtis .i. *quæ didiciſtis, quæ audiviſtis.*

* Ex fornicatione, *ſpirituali ſc. id eſt, ex idololatria & idololatris. S. Auguſtin. & alij. q. d. nos unum Deum cum Abraham colimus.*

* Quia non poteſtis .i. *obſtinatè non vultis audire, & vel aures veſtras accommodare ſermoni meo.*

* Vos ex patre diabolo eſtis, *ſc. non creatione aut generatione, ſed quod tamquam filij diaboli conſilijs ejus parcatis, & mores ejus velut paternos imitemini.*

* De peccato. *Supplet Euthymius*: ut propter illud videamini non credere.

Digitized by Google

ne benè dicimus nos, quia * Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit IESVS: Ego dæmonium non habeo: ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & judicet. Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & prophetæ: & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & prophetæ mortui ſunt. Quem teipſum facis? Reſpondit IESVS: Si ego glorifico meipſum, * gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt, & non cognoviſtis eum: ego autem novi eum: & ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo. * Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Dixit eis IESVS: Amen, amen dico vobis,

* Samaritanus es tu. *Samaritanum vocant Chriſtum per contemptum & convitium, non origine, ſed moribus, ait Orig. quia videbatur illis Chriſtus leges & traditiones ſeniorum adulterare, uti faciebant Samaritani.*

* Gloria mea nihil eſt, *.i. nullius ponderis eſt. nam in omni tribunali nulli creditur de ſeipſo magna prædicanti. ſed alijs de ipſo teſtificantibus. Hoc eſt quod dixit Chriſtus Ioan.* 5. 31. Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum *.i. non eſt legitimum & fide dignum. Loquitur autem hîc Chriſtus tamquam homo, qualem eum eſſe judicabant.*

* Abraham pater veſter &c. *Abraham per bis mille annos avidiſsimè Chriſtum expectans liberatorem, tandem è limbo, oculis mentis à Deo elevatis, vidit Chriſtum incarnari & naſci: ſicut Angeli & beati è cælo vident quæ fiunt in terra & in inferno. Ita Ianſenius, Maldonatus & alij.*

vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.
3 Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: IE-
SVS autem * abſcondit ſe, & exivit de templo.

* Abſcondit ſe, *videlicet divinâ ſe virtute inviſibilem reddendo, uti aliàs fecerat.*

Ita Leont. Theophyl. & alij cum S. Auguſtino, qui ſubjungit: Væ illis, à quorum lapideis cordibus Deus fugit.

CAPUT CVIII.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta circa templum menſe Octobri.

1. *In ſabbato cæcum natum videndi facultate donat.*
2. *Phariſæi Chriſtum criminantur de ſabbato violato.*
3. *Cæcus modò illuminatus eum defendit. unde mox etiam mentis pulſa caligine Chriſtum Dei Filium confitetur, & adorat.* Ioan. 9. 1.

1 * ET præteriens vidit hominem cæcum à
nativitate: & interrogaverunt eum diſci-
puli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut pa-
rentes ejus, ut cæcus naſceretur? Reſpondit IE-
SVS: Neque hic peccavit, neque parentes ejus:
sed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Me opor-
tet operari opera ejus, qui miſit me, * donec
dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt ope-
rari. quamdiu ſum in mundo, lux ſum mun-
di. Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, &
fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper
oculos ejus, & dixit ei: Vade, lava * in na-

 tatoria

* Et præteriens &c. *Tranſiens IESVS per medios hoſtes ſtatim poſt egreſſum è templo cæcum intuitus eſt. quâ occaſione rogarunt eum diſcipuli:* Rabbi, quis peccavit &c. *In quo errarunt, rogantes an hic homo ab ortu ſuo cæcitate punitus fuiſſet ob peccata, quæ pòſt maturâ jam ætate commiſſurus erat. Quod non eſt conſentaneum divinæ bonitati: non enim punit peccata futura, ſed præterita. A Lapide.*

* Donec dies eſt. *Dies ſignificat tempus vitæ Chriſti.* Venit nox, *id eſt, tempus mortis meæ inſtat, quando non amplius, ut nunc facio, operabor. Ita S. Auguſtin.*

* In natatoria Siloë Gr. εἰς τὴν κολυμβήθραν, *i. piſcinam ſeu lavacrum natatorium. Hæc porrò piſcina Siloë magna erat aquarum collectio, manantium ex fonte & fluviolo Siloë, ſita prope Ieroſolymam in valle Ioſaphat, citra torrentem Cedron, ut ait Adrichom. Alio autem nomine dicitur Geon, 3. Reg. 1.*

Nota *hîc 1. Siloë typus eſt Chriſti. Meſſiæ enim nomen Hebraicè eſt Siloach, quod Latini & Græci pronuntiant Siloë .i. miſſus vel mittendus, ſc. legatus à Deo. 2. Siloë typus erat Baptiſmi Chriſti, quo ſpiritualiter illuminamur, ſicut aquis oculi corporis mundantur & illuminantur, ut docent SS. Auguſtinus & Ambroſ.*

Digitized by Google

tatoria Siloë (quod interpretatur Miſſus.) A-
bijt ergo, & lavit, & venit videns. Itaque vi-
cini, & qui viderant eum priùs quia mendi-
cus erat, dicebant: Nónne hic eſt, qui ſede-
bat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic
eſt. Alij autem: Nequaquam, ſed ſimilis eſt
ei. Ille verò dicebat: Quia ego ſum. Dicebant
ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi? Re-
ſpondit: Ille homo, qui dicitur IESVS, * lu-
tum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mi-
hi: Vade * ad natatoria Siloë, & lava. Et abij,
lavi, & video. Et dixerunt ei: Vbi eſt ille?
Ait: Neſcio. Adducunt eum ad Phariſæos,
qui cæcus fuerat. Erat autem ſabbatum, quan-
do lutum fecit IESVS, & aperuit oculos ejus.
Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi quo-
modo vidiſſet. Ille autem dixit eis: Lutum
mihi poſuit ſuper oculos, & lavi, & video. Di- 2
cebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt
hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.
Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo
peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat in-
ter eos. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid di-
cis de illo, qui aperuit tibi oculos? Ille autem
dixit: Quia propheta eſt. Non crediderunt er-
go Iudæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſ-
ſet, donec vocaverunt parentes ejus, qui vi-
derat: & interrogaverunt eos, dicentes: Hic
eſt filius veſter, quem vos dicitis quia cæcus
natus eſt? Quomodo ergo nunc videt? Reſpon-
derunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus
quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus
eſt: quomodo autem nunc videat, neſcimus:
aut

* Lutum fecit &c. *In hæc verba ſic Gloſſa interl.* Ecce collyrium, quo ungitur genus humanum, ſcilicet cogitatio ſuæ vilitatis, quòd ex luto factum ſit: ut per eam ſuperbia, quæ illud excæcavit, curetur, juxta illud, Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris.

* Ad natatoria, *ſc. loca vel ſtagna; uti priùs dicitur:* In natatoria *vid. piſcina, in qua natant piſces.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta circa templum menſe Octobri.

aut quis ejus aperuit oculos, nos neſcimus: ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Iudæos: jam enim conſpiraverant Iudæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, *extra ſynagogam fieret. Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipſum interrogate. Vocaverunt ergo rurſum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt, neſcio: unum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modò video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Reſpondit eis: Dixi vobis jam, & audiſtis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus ejus ſis: nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem neſcimus unde ſit. Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis unde ſit, & aperuit meos oculos: ſcimus autem quia *peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. A ſæculo non eſt auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic homo à Deo, non poterat facere quidquam. Reſponderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et *ejecerunt eum foras.

* Extra ſynagogam fieret .i. *ut ſynagogâ Iudæorum & templo prohiberetur, tamquam indignus qui populo Dei annumeraretur. Erat hæc apud illos extremæ ignominiæ nota, qualis apud nos eſt excommunicatio.*

* Peccatores, *videlicet in peccato perſeverantes Deus ordinariè non audit.* 2. *Deus non ita audit peccatores, ut per eos miracula faciat ad declarandam eorum ſanctitatem; de qua re hic agebatur. Ita Theophyl. Euthymius & alij.*

* Ejecerunt eum foras .i. *privarunt eum communione templi, ſynagogæ, & omni conſortio populi Dei quaſi gentilem & à Deo alienum. Verùm manſit hic cæcus Chriſti diſcipulus, dictus Cedonius ſive Sidonius, pòſt Aquenſium Epiſcopus. De quo V. Pet. de Natal. & Martyrol. Gallicanum.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta prope templum menſe Octobri.

foras. Audivit IESVS quia ejecerunt eum foras: & cùm inveniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt, Domine, ut credam in eum? Et dixit 3
ei IESVS: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum. Et dixit IESVS: * In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci ſumus? Dixit eis IESVS: * Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.

* In judicium &c. .i. *Veni ad exequendum mirabile Dei decretum, ſive judicia Dei arcana, ſed juſta, quibus effecit, ut cæci, ſc. gentiles viderent lumen fidei; & permiſit videntes, ſc. Scribas, Phariſæos, Philoſophos per infidelitatem excæcari. Vbi notandum particulam*, ut, *non ſignificare cauſam finalem, ſed eventum. Venit enim Chriſtus ut illuminet omnem hominem; ſed culpâ hominum factum eſt, ut multi oblato lumine magis cæcutirent. Hæc dicit Chriſtus non cæco, ſed Phariſæis. Ita hæc verba*, in judicium, *exponunt Ianſenius, à Lapide, Tolet. ſecuti S. Auguſtinum.*

* Si cæci eſſetis &c. *Si nimirum per ignorantiam legis & Scripturæ cæſi eſſetis, tunc non haberetis peccatum: nunc verò quia putatis vos videre, & non vultis aperire oculos veritati; in peccato infidelitatis obſtinatè perſeveratis. Ita Theophylactus.*

CAPUT CIX.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta circa templum menſe Octobri.

CAPUT CIX.

1. *Chriſtus contra Phariſæos docet, ſe non ſeductorem eſſe ovium, ſed oſtium ovilis ſive Eccleſiæ ſuæ, per quod & oves, & veri paſtores palàm & liberè ingrediuntur, non autem fures & latrones; omneſque eos ſeductores eſſe, qui per ipſum non intrant.*
2. *Aſtruit ſe bonum verumque Paſtorem, non mercenarium eſſe, (quales erant Phariſæi, non ovium ſalutem, ſed ſe ſuaque curantes) nempe unicum illum paſtorum omnium principem, in lege promiſſum.*

Ioan. 10. v. 1.

1 AMen, amen dico vobis:* Qui non intrat
per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit
aliunde, ille fur eſt, & latro. Qui autem in-
trat per oſtium, paſtor eſt ovium. Huic oſtia-
rius aperit, & oves vocem ejus audiunt, &
proprias oves vocat nominatim, & educit
eas. Et cùm proprias oves emiſerit, ante eas
vadit: & oves illum ſequuntur, quia ſciunt
vo-

* Qui non intrat &c. *Hoc proverbium ſeu parabola uſque ad verſum,* Ego ſum paſtor bonus. *à Chriſto profertur occaſione cæci, ob fidem in Chriſtum, ſynagogâ ejecti, quaſi ex ovili. quo facto ſignificabant Scribæ, Chriſtum non eſſe Meſſiam, ſed pſeudoprophetam, & eos qui illi crederent, errare, eſſeque apoſtatas à Moyſe & lege. Scopus igitur Chriſti eſt, docere contrarium, ſcilicet, illos ſolos eſſe legitimos paſtores, qui per ipſum intrant in ovile Eccleſiæ, ceteros verò eſſe ſeductores. Ita Toletus. Franc. Lucas & alij. Senſus ergo parabolæ eſt hic :* 1. O*vile eſt Eccleſia.* 2. *Dominus ejus eſt Deus Pater.* 3. *Oſtium eſt Chriſtus, vel fides in Chriſtum, qui clauſus eſt Scripturæ, legis, & prophetarum quaſi foribus & poſtibus.* 4. Oſtiarius *eſt Spiritus ſanctus.* 5. Oves *ſunt non ſoli prædeſtinati & electi efficaciter ad gloriam, ſed omnes qui ſunt in Eccleſia, quæ eſt ovile.* 6. *Veri paſtores & prælati ſunt, qui per Chriſtum intrant.* 7. *His Spiritus ſanctus aperit januam, quia fides ipſa, per quam ingrediuntur, eſt donum Spiritus ſancti; qui & poteſtatem veram eis impertit, ut quæ fecerint, rata ſint.* 8. *Hi educunt oves ad paſcua doctrinæ & gratiæ, eiſque præeunt exemplo, ac nominatim eas vocant, dum etiam ſingulorum curam gerunt.* 9. *Qui per oſtium, id eſt per Chriſtum non intrat, ſed per feneſtram, vel per maceriam irrumpit, vel murum tranſilit, hic fur eſt, & latro ovium. De his dicit:* Omnes quotquot venerunt, *ſc. non per prædictum oſtium,* fures ſunt & latrones. *A Lapide.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta circa templum menſe Octobri.

cem ejus. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis IESVS. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum IESVS: Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oves. Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: & * ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet. Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. * Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus. Ego ſum paſtor bonus: & * cognoſco oves meas, * & cognoſcunt 2.

* Ingredietur & ingredietur .i. *in omnibus ſuis actionibus & operibus proſperabitur. Phraſis eſt Hebræa ſignificans generalitatem quamdam actionum. Toletus.*

* Ego ſum paſtor bonus. *Hæc eſt altera parabola, qua Chriſtus ſe non mercenario, ſed vero & proprio paſtori confert, de quo Ezech. 34.* Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum. *Per* mercenarios *autem Chriſtus ſignificat Phariſæos illos, & primos Iudæorum, qui avaritiæ & ambitioni dediti erant, & non ovium utilitati, ſed propriæ ſtudebant. Ita Auguſtin. tract. 46. & Baſil. in orat. de ſancto Mamante.*

Nota. *Repetit Chriſtus ſe bonum paſtorem eſſe, ut poſtquam à mercenarijs & furibus diſtinctum ſe eſſe probavit, ab alijs omnibus, etiam bonis paſtoribus ſecernat, ſeque eſſe unicum ac verum Paſtorem in lege promiſſum oſtendat.*

* Cognoſco oves meas. *Quatuor hic argumentis à ſigno ſumptis ſe verum illum & bonum Paſtorem probat, ut obſervat Toletus, quorum* primum *eſt*, Cognoſco oves meas, *nimirum cognitione diſtinctâ, intimâ & perfectâ. Particulariter autem hic loquitur de electis ac prædeſtinatis, qui oves in æternum futuræ ſunt; quia & intellectu & affectu in ipſas fertur, quæ nunquam ſunt avellendæ ab eo.*

* Et cognoſcunt me meæ. *Alterum argumentum eſt à ſecundo ſigno. Electi & prædeſtinati à Deo, cognoſcunt etiam Paſtorem Chriſtum; quia licet ad tempus errent, tandem tamen verum ſuum cognoſcent, ſequenturque Paſtorem.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta circa templum menſe Octobri.

ſcunt me meæ. * Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem: & * animam meam pono pro ovibus meis. * Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo. Diſſenſio iterum facta eſt inter Iudæos propter ſermones hos. Dicebant autem multi ex ipſis: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non ſunt dæmonium habentis: numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?

* Sicut novit me Pater &c. *Chriſtus ut Deus, aſſerit ſe æqualem habere cum Patre cognitionem, ad quam oves non poſſunt attingere. Ita Chryſoſtomus & Euthymius.*

* Animam meam pono &c. *Hoc eſt tertium argumentum, & ſignum optimi ac principis paſtorum.*

* Et alias oves habeo &c. 4. *argumentum à* 4. *ſigno. Significatur enim his verbis vocatio gentium quaſi ovium errantium, per Apoſtolos adducendarum. Ita SS. Patres Baſil. hom.* 28. *in Pſal.* 28. *Gregorius hom.* 14. *in Euang. Auguſtinus tract.* 47. *& Chryſoſtomus hom.* 59.

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta Ieroſolymis menſe Octobri.

CAPUT CX.

1. *Chriſtus 72. diſcipulos ſibi adſciſcit, eoſque per Iudæam mittit, ſicut priùs per Galilæam Apoſtolos deſtinarat.*
2. *Eoſdem monitis inſtruit, ac dono miraculorum.*

Luc. 10. 1.

* Miſit illos binos. *Nota. Cùm ſex tantùm vitæ menſes ſupereſſent Chriſto, neque in ſingulis Iudææ locis diu commorari liceret, præmiſit ſeptuaginta duos diſcipulos per Iudæam, ſicut priùs præmiſerat Apoſtolos per Galilæam, ut hominum animos ad ſuum adventum, lucemque Euangelij ſuſcipiendam præpararent. Duodecim autem Apoſtolos ſocios ſibi Chriſtus in euangelizando ſervavit.*

POſt hæc deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & * miſit illos binos ante 1
faciem ſuam, in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus. Et dicebat illis: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Ite: ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Nolite portare ſacculum, 2
* neque peram, neque calceamenta, & * neminem per viam ſalutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui: & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; * ſin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua. * Nolite tranſire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: & curate

* Neque peram &c. *v. cap. 73. ſuprà.*

* Neminem per viam &c. *Non prohibetur ſalutationis officium, ſed mora omnis in Euangelij prædicatione. S. Ambroſ.*

* Sin autem, ad vos revertetur. *i. ſi filius pacis ibi non fuerit, ſuper quem requieſcat pax veſtra, ad vos revertetur. hoc eſt, non propterea inutilis erit ſalutatio veſtra, nec inanis labor veſter. Reddetur enim vobis merces pro veſtra voluntate, charitate, opera & labore.*

* Nolite tranſire. *Vetatur frequens, & ſine juſta cauſa hoſpitij mutatio.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Ieroſolymis menſe Octobri.

curate infirmos, qui in illa ſunt, & dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: Etiam * pulverem, qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia * appropinquavit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quàm illi civitati.

* Pulverem &c. *Vide ſuprà cap.* 73.

* Appropinquavit &c. *i. Meſſiæ tempus advenit.*

CAPUT CXI.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Ieroſolymis menſe Octobri.

1. *Galilææ populos, quibus Chriſtus prædicavit, ob incredulitatem ſuam majori dignos eſſe ſupplicio, quam exteras gentes, quæ nihil de ipſo inaudierunt.*
2. *Eos qui Chriſti diſcipulos, miniſtroſque audiunt, Chriſtum audire.* Matth. 11. 20. Luc. 10. 13.

1 a * TUnc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam. * Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia, ſi * in Tyro

* Tunc cœpit exprobrare &c. *Hæc dicta fuiſſe à Chriſto hoc tempore, & idem à Matthæo & Luca narrari, exiſtimant Tolet. Maldon à Lapide, & Ioannes Servius. Alij verò hæc eadem bis dicta putant, videlicet primùm poſt miſſos Apoſtolos per Galilæam; deinde iterum hoc loco poſt diſcipulorum miſſionem per Iudæam: & primum quidem referri putant à Matthæo, alterum verò à S. Luca. Significat porrò Chriſtus his verbis, Iudæos, qui non ſuſceperint diſcipulos, obnoxios fore graviſſimis pœnis, ſicut prius fuère Galilæi increduli.*

* Væ tibi Corozain &c. *Corozain, Bethſaida & Capharnaum Galilææ civitates erant prope lacum ſeu mare Geneſareth, in quibus frequentiſſimè Chriſtus cum diſcipulis Evangelium prædicans, & miracula faciens verſabatur; unde illarum incredulitatem arguit.*

* In Tyro & Sidone. *Tribus de cauſis has duas civitates duabus alijs opponit; primùm quòd gentiles eſſent; deinde quòd vicinæ; poſtremò quòd idololatræ, delitijs, avaritiâ, & omnium vitiorum genere corruptiſſimæ, ut patet Iſa. 23. Ezech. 26. & alibi.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta Ieroſolymis menſe Octobri.

Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ fa-
ctæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœ-
nitentiam egiſſent. Verumtamen dico vobis:
Tyro & Sidoni remiſſius erit in die judicij,
quàm vobis. * Et tu Capharnaum, numquid
uſque ad cælum exaltaberis? uſque in infer-
num deſcendes. quia ſi in Sodomis factæ fuiſ-
ſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè
manſiſſent uſque in hanc diem. Verumtamen
dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius
erit in die judicij, quàm tibi. c * Qui vos au- 2
dit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.
Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui mi-
ſit me.

* Et tu Capharnaum &c. *Nominat ſeparatim, & ultimo loco & per apoſtrophen Capharnaum, quia in ea frequentior fuerat, adeò ut propter aſſiduam in ea commoratione͞, ejus patria diceretur; & quia cùm major eſſet, atque maritima, credibile eſt pluribus vitijs abundaſſe; ut maritimæ frequenteſq; civitates abundare ſolent. Ita Maldon.*

* Qui vos audit &c. *Præcedentibus hæc Chriſti verba ſubdit Lucas, quibus Chriſtus diſcipulis Euangelij prædicationem commendat ab auctore Deo; docetque Dei poteſtate, & auctoritate eos prædicare; ſicut priùs eandem prædicationem commendaverat à pœna graviſſima eam non ſuſcipientibus inferenda. Tolet.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Iudæa menſe Octobri.

CAPUT CXII.

1. *Reverſos à prædicatione diſcipulos, ac poteſtate ſuâ lætos, humilitatem docet, Deoque Patri grates agit.* Matth. 11. 25. Luc. 10. 17.
2. *Oſtendit ſe Deum, cui plena poteſtas mundum ſalvandi & illuminandi.*
3. *Hinc omnes ad legis Euangelicæ jugum ſuave invitans, mitem ſe, humilemque exhibet Magiſtrum.* Matth. 11. 27. Luc. 10. 22.
4. *Diſcipulorum felicitatem prædicat.* Luc. 10. 23.

c REverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum 1
gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmo-
nia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait il-
lis:

lis: * Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo ca-
dentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi
* ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper om-
nem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.
Verumtamen in hoc nolite gaudere quia ſpi-
ritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quòd
nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. In ipſa
hora exultavit Spiritu ſancto, & dixit: a Con-
fiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia
abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus,
& revelaſti ea parvulis. Ita Pater: quoniam
2 ſic fuit placitum ante te. * Omnia mihi tra-
dita ſunt à Patre meo. Et nemo novit Filium,
niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Fi-
3 lius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad
me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, &
ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper
vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & hu-
milis corde: & invenietis requiem animabus
veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus
4 meum leve. c Et converſus ad diſcipulos ſuos,
v.c. dixit: * Beati oculi, qui vident quæ vos vide-
63. tis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ,
& reges voluerunt videre quæ vos videtis, &

H h 3 non

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in Iudæa menſe Octobri.

* Videbam ſatanam &c. *Senſus eſt: Nihil novi, aut incogniti mihi refertis. Sciebam ſatanam non ferre nomen meum; ſed me homine facto de poteſtate ac tyrannide ſua decidiſſe. Sic Euthymius hæc verba Chriſti exponit:* Ante incarnationem (*ait*) ſatan in ſublime ferebatur, & tyrannum agebat, ac potens erat: cùm autem Deus in terra per carnem diverſaretur, cecidit, non à cælo, (olim enim inde ceciderat, nec ampliùs eò aſcendit) ſed à dicta celſitudine, tyrannide ac potentia. *Sic Euthym. & eodem modo exponunt Theophyl. Cyrillus & alij. Cæteri verò de primo ſatanæ per peccatum lapſu hunc locum intelligunt.*

* Supra ſerpentes &c. *.i. ſuper omnes milites ſatanæ, qui ſerpentes vocantur Pſal. 90. & alibi.*

* Omnia mihi tradita &c. *vid. munia omnia Salvatoris ac Doctoris mundi. Tol.*

* Beati oculi &c. *Apoſtoli prophetis ac pijs regibus præferuntur, propterea quòd quæ prophetæ longè, illi propè; quæ prophetæ obſcurè, illi perſpicuè; quæ prophetæ ſpiritu, illi oculis etiam vidiſſent, manibuſque tenuiſſent. Ita Euthym. & Maldon.*

Nota. *Hucuſque ordo geſtorum certus eſt; eorum verò, quæ ſequuntur, non ita certus, ſed probabilis. Ita Ianſen. & Cornel. à Lapide.*

Annus Christi 33. Prædicationis 3. Geſta in Iudæa menſe Octobri.

non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

CAPUT CXIII.

1. *Ad ſubornatam à Legiſperito quæſtionem reſpondet, dilectionem Dei & proximi, ad beatitatem viam eſſe.*
2. *Parabolâ Samaritani docet, etiam inimicos, & omne genus hominum, proximorum loco habendos eſſe.*

Luc. 10. 25.

* ET ecce quidam Legiſperitus ſurrexit tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut teipſum. Dixitque illi: Rectè Reſpondiſti: hoc fac, & vives. Ille autem *volens juſtificare ſeipſum, dixit ad IESVM: Et *quis eſt meus proximus? Suſcipiens autem IESVS, dixit: 1
Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem *in Iericho, 2

* Et ecce quidam &c. *Hanc Legiſperiti quæſtionem diverſam eſſe ab ea, quam referunt Matth. c. 22. 35. & Marcus cap. 12. 28. docet D. Auguſt. lib. 2. de conſ. c. 73. Item Euth. Tolet. Maldonat. Veroſimile autem eſt, hæc à Chriſto dicta fuiſſe in ſynagoga, aut in aliquo circulo, locóve publico, ut ait Maldon.*

*. Ex toto corde &c. *Omnia hæc unum videntur ſignificare; nimirum ut Deum quantum poſſumus, diligamus, & omnia quæ habemus, illi impendamus. Ita S. Auguſtin. lib. 1. de doctr. Chriſti cap. 22. vide infrà cap. 159.*

* Volens juſtificare &c. *i. volens ſe juſtum oſtentare, dum ſedulò interrogat de via juſtitiæ. Ianſen.*

* Quis eſt meus proximus? *Errabant hîc Iudæi, qui ſolos Iſraëlitas, eoſque juſtos ac probos reputabant proximos; ceteros verò, exteros & alienos eſſe, quos & odiſſe liceret, nec quidquam in eos beneficij conferre. Chriſtus parabolâ reſpondet omne genus hominum proximi loco habendum.*

* In Iericho, *quod nempe iter erat infeſtum latronibus.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Iudæa menſe Octobri.

Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto. Accidit autem ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem via: & viſo illo præterivit. Similiter & Levita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & imponens illum in jumentum ſuum, * duxit in ſtabulum, & curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi IESVS: Vade, & tu fac ſimiliter.

* Duxit in ſtabulum. *Gr.* εἰς πανδοχεῖον *id eſt in diverſorium ſive hoſpitium, quod & Latinè ſtabulum, à ſtando dicitur.*

Nota. *Præter primarium parabolæ ſcopum jam dictum, allegorico ſenſu,* homo *in hac parabola eſt Adam:* Jeruſalem, *ſtatus pacis & innocentiæ;* Iericho *.i. luna, ſtatus eſt peccati;* latrones *dæmones;* ſacerdos & levita *eſt lex vetus;* Samaritanus *eſt Chriſtus;* equus, *ejus humanitas;* ſtabulum, *Eccleſia. Ita S. Ambroſius, Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, & alij parabolam hanc eadem vel ſimili ratione de Chriſto expoſuerunt; ut credendum ſit etiam hunc ſenſum Dominum intendiſſe, & ab Apoſtolis per manus ſuſceptum, ut notat hîc Ianſenius. Itaque vox,* Samaritanus, *Chriſtum deſignat, tùm quod à Iudæis velut Samaritanus contemneretur, & probri causâ ſic dictus eſſet; tùm quòd id nomen cuſtodem ſignificet, Chriſtuſque is eſſet de quo Pſalm.* 26. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem &c. *Per* oleum & vinum *Sacramenta intellige; per* duos denarios, *vetus & novum Teſtamentum. Ita S. Athanaſius & Toletus quem vide.*

CAPUT XIV.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Bethania menſe Novembri. Corn. à Lapide & Tirinus.

CAPUT CXIV.

1. *In Bethania à Martha ſtudioſè excipitur.*
2. *Hujus ſororem Magdalenam, curis vacuam, contra Marthæ querimonias tutam ſecuramque præſtat.*
3. *Miſſis rebus ſupervacaneis, unum eſſe neceſſarium.* Luc. 10. 38.

* Intravit in quoddam caſtellum. *Chriſtus per Iudæam proficiſcens cum Apoſtolis divertit in* Caſtellum .*i. vicum ſeu pagum, Bethaniam quindecim circiter ſtadijs Ieroſolymâ diſtantem.*

* Unum eſt neceſſarium. *S. Baſilius exponit de uno vel altero menſæ ferculo: Beda verò & Euthymius,* unum hoc *intelligunt Dei & ſalutis noſtræ cognitionem, ſtudium & amorem. vel* unum, *hoc eſt ſummum bonum & ultimus finis, quò mens noſtra dirigenda eſt, & à quo non eſt diſtrahenda. Ita S. Auguſtin. & Gregorius.*

FActum eſt autem dum irent, & ipſe * intravit in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam: & huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem ſatage- 1
bat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, & 2
ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò * unum eſt neceſſa- 3
rium. Maria optimam pártem elegit, quæ non auferetur ab ea.

CAPUT CXV.

Annus Christi 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Novembri.

CAPUT CXV.

1. *Modum & formulam orandi diſcipulos docet.*
2. *Parabolâ amici panes importunè poſtulantis oſtendit in oratione perſeverandum eſſe.*
3. *Orationis vis & efficacia.* Luc. 11. 1.

1 ET factum eſt: cùm eſſet in quodam loco orans, ut ceſſavit, dixit unus ex diſcipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Ioannes diſcipulos ſuos. Et ait illis: Cùm oratis, dicite: * Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata noſtra; ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos: Quis ve-
2 ſtrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam antè illum, & ille deintus reſpondens, dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & * pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi. Et ſi ille perſeveraverit pulſans; dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amicus ejus ſit, * propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego dico vo-
3 bis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & in-

Ii venie-

* Pater, ſanctificetur &c. *Vide cap. 51. ſup. ubi Chriſtus hanc orandi formam tradidit diſcipulis ſimul ac turbæ, in Galilææ monte, anno prædicationis 2.*

* Pueri mei mecum ſunt, τὰ παιδία μου, *i. pueruli mei. Syrus habet*, filij mei, *quâ ratione ſe à ſurgendo excuſat, ne ſcilicet filios expergeſaciat, ut ait Euthymius.*

* Propter improbitatem *.i. importunam & inverecundam perſeverantiam in petendo & pulſando.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta per Iudæam menſe Novembri.

venietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ovum: numquid porriget illi * ſcorpionem? Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quanto magis Pater veſter de cælo dabit * ſpiritum bonum petentibus ſe?

* Scorpionem, *quo videlicet ictus intereat. Solent quippe ſcorpij nonnumquam vacuo ovi putamini incluſi, inſidioſè ijs dari, quorum mors quæritur, ut ait Franc. Lucas.*

* Spiritum bonum, *intellige Spiritus ſancti dona, imò quævis etiam corporalia dona Dei, modò ad ſpiritum referantur. Ita Interpp.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta per Iudæam menſe Novembri.

CAPUT CXVI.

1. *Ad Phariſæorum prandium vocatus, ſuperfluas lotiones, ambitionem, impietatem, aliaque eorum vitia caſtigat.*
2. *Eiſdem juxtà ac Legiſperitis ſeveriſſimè comminatur; Illi graviter commoti, Chriſto inſidias ſtruunt.*

Luc. 11. 37.

* ET cùm loqueretur, rogavit illum 1 quidam Phariſęus ut pranderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit. Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, * quare non baptizatus eſſet ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis, & catini mundatis: quod autem intus eſt veſtrûm, plenum

* Et cùm loqueretur .i. *cùm quodam tempore ſermonem habuiſſet ad populum. Ita S. Auguſtinus & Beda.*

* Quare nón baptizatus eſſet .i. *quare non laviſſet manus ante prandium. In his enim & ſimilibus corporis lotionibus neglectâ animi munditie, Phariſæi omnem ponebant religionem. Chriſtus verò ut eos doceret, lotionem hanc omiſerat. Ita Franc. Lucas, & Maldonat.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta per Iudæam menſe Novembri.

4 plenum eſt rapinâ & iniquitate. Stulti,
nónne qui fecit quod deforis eſt, etiam
id, quod deintus eſt, fecit? Verumtamen
quod ſupereſt, * date eleëmoſynam, &
2 ecce omnia munda ſunt vobis. Sed væ vo-
V. cap. 152. bis Phariſæis, qui * decimatis mentham
& rutam, & omne olus, & præteritis ju-
dicium & charitatem Dei: hæc autem
oportuit facere, & illa non omittere. Væ
vobis Phariſæis, quia diligitis primas ca-
thedras in ſynagogis, & ſalutationes in
foro. Væ vobis, quia eſtis ut * monumen-
ta quæ non apparent, & homines ambu-
lantes ſuprà, neſciunt. Reſpondens au-
tem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Ma-
giſter, hæc dicens etiam contumeliam no-
bis facis. At ille ait: Et vobis Legiſperi-
tis væ: quia oneratis homines oneribus,
quæ portare non poſſunt, & ipſi uno di-
gito veſtro non tangitis ſarcinas. Væ vo-
bis, qui * ædificatis monumenta prophe-
tarum: patres autem veſtri occiderunt il-
los. Profectò teſtificamini quòd conſenti-

 tis

* Date eleëmoſynam &c. *id eſt, eleëmoſyna erit vobis inſtar omnium veſtrarum lotionum: mundiores vos eleëmoſyna faciet, quàm frequentes lotiones. Non verò exiſtimandum eſt, hanc ſolam ad juſtificationem ſufficere.*

* Decimatis mentham *.i. ſolvitis decimas minutorum quorumdam, & minora quædam legis præcepta ſervatis; majora verò negligitis & violatis; nimirum* judicium & charitatem: *judicium quidem nocendo alijs, & aliena capiendo contra leges juſtitiæ; charitatem verò, non miſerendo proximi, neque eleëmoſyna pauperes juvando.*

* Monumenta &c. *.i. quæ ſpecie fallunt, viſuſque decipiunt, ait S. Ambr. Apparét quidem ſpecies externa, ſed non apparet ſpurcitia latens. Ita Matth. 23. hæc verba explicantur.*

* Ædificatis &c. *ſc. non recto animo id facitis, ſed fictè & diſſimulanter, ut dum videmini zelum habere juſtitiæ, ac deteſtari delictum occiſionis prophetarum; me meoſque diſcipulos juſtè perſequi & occidere credamini: & ſic conſentitis peccatis parentum, ijs vos protegentes ad ſimilia & pejora homicidia perpetranda contra meipſum & meos. Euthymius.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Novembri.

tis operibus patrum veſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra. Propterea & ſapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur: * ut inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſta, à ſanguine Abel * uſque ad ſanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare & ædem. Ita dico vobis requiretur ab hac generatione. Væ vobis Legiſperitis, quia * tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi & Legiſperiti graviter inſiſtere, & os ejus opprimere de multis, inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accuſarent eum. v. c. 162.

* Ut, *nota hanc particulam non cauſam finalem, ſed conſecutionem ſignificare*, inquiratur &c. *Noverant Iudæi ſcelera & pœnas parentum, quorum exemplo à talibus ſe continere debebant. Vnde graviorem pœnam merebantur. Iudices quoque apud nos, dum longo tempore peccata non emendantur, juſtas quidem, ſed ſeveriores exigunt pœnas ab ijs qui ultimò delinquunt; nihilque ultrà remittunt pœnarum, quæ criminibus debentur, eò quòd tot exemplis præcedentibus non reſipuerint.* Orig. Tolet. *& alij.*

* Vſque ad ſanguinem Zacharię. *Probabiliſſimum eſt, Zachariam hunc eſſe patrem Ioannis Baptiſtæ: ita enim ſenſerunt Scriptores antiquiſſimi, eſtq; communis ſententia Græcorum* PP. *& quaſi traditio.* Ita Orig. *Baſil. Greg. Nyſſ. Tertull. & alij. Probabile quoque eſt, Zachariam occiſum fuiſſe Herodis juſſu, quia quando hic occidit infantes, ille filium ſuum Ioannem Baptiſtam occultavit. Ita Tolet. hic annotat.* 100.

* Tuliſtis clavem &c. *.i. ſenſum Scripturarum, per quas ad cognitionem Chriſti perveniendum eſt, obſcuraſtis, & pervertiſtis. Sic Matth.* 23. 13. *dicitur*: Clauditis regnum cælorum.

CAPUT CXVII.

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Novembri.

CAPUT CXVII.

1. *Docet à Phariſæorum hypocriſi cavendum; mortem non timendam; Deo fidendum.*
2. *Conſtantiam in fidei confeſſione commendat.*
3. *Blaſphemiam in Spiritum ſanctum condemnat.*

Luc. 12. 1.

1 MUltis autem turbis circumſtantibus, ita ut ſe invicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos: Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt * hypocriſis. * Nihil autem opertum, quod non reveletur: neque abſconditum, quod non ſciatur. Quoniam * quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Nónne quinque paſſeres veneunt * dipondio: & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo? Sed & capilli

ſ. c. 74.

Nota, *veriſimile eſſe, varijs opportunitatibus doctrinam hujus capitis ſæpius à Chriſto repetitam fuiſſe. Ita Franc. Lucas & alij.*

Nota 2. *hæc dicta fuiſſe à Chriſto extra domum ad populi turbam, quæ Chriſtum egredientem expectabat. Tolet.*

* Hypocriſis. *Hæc dicitur ſimilis fermento, quod latet intra maſſam, & occultâ actione totam corrumpit.*

* Nihil autem opertum &c. *Occulta; & fucata hypocriſis aliquando detegetur. Vide ſup. c. 74.*

* Quæ in tenebris &c. *.i. quæ nunc non audetis palàm loqui coram omnibus, erit tempus cùm in luce & propatulo prædicentur.* Vel, Attendite ne æmulemini ſimulatores *(ait Beda)* quia veniet tempus, in quo veſtra virtus omnibus, & eorum reveletur hypocriſis.

* Dipondio, *q. duorum aſſium pondere. Nam Gr. eſt, duobus aſſarijs. Eſt autem aſſarius Romani nummi genus, & infima moneta, valens medium Stuferum Brabanticum. A Lapide, & alij.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Novembri.

capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus pluris eſtis vos. Dico autem vobis: Omnis 2
quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Et * omnis qui dicit 3
verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemaverit, non remittetur. Cùm autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus & poteſtates, nolite ſoliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos dicere.

v c. 60.

* Omnis qui dicit &c. *A negatione ſui Chriſtus procedit ad blaſphemiam. Diſtinguit autem duo genera blaſphemiarum. Vnum eſt eorum, qui ſolum hominem conſiderantes Chriſtum, per contemptum & convitium, filium fabri, potatorem vini & ſeductorem appellabant. Alterum verò eſt eorum, qui opera divinitatis conſiderantes, Deique eſſe cognoſcentes, qualia erant, dæmonia ejicere & ſimilia, non verebantur ea calumniari ac dæmonio adſcribere. Hoc peccatum dicitur blaſphemia in Spiritum ſanctum, cujus virtute Chriſtus illa opera efficiebat; quæ illi ex malitia dæmoni tribuebant. Dicitur autem hoc non remitti, eò quòd nullam in ſe habeat excuſationem, nihil veniâ dignum, vel (ut ait S. Chryſoſtomus) quia difficilius remittitur. Ita Toletus, & alij. Vide cap. 60. ubi eadem ſententia dicta fuit à Chriſto contra Scribas & Phariſæos, hic verò dicitur apud diſcipulos.*

CAPUT CXVIII.

CAPUT CXVIII.

1. *Parabolâ hominis avari repentinâ morte oppreſſi, monet Chriſtus avaritiam vitandam eſſe.*
2. *Nimiam terrenarum rerum ſolicitudinem abjiciendam, multis probat argumentis.*
3. *Eleëmoſynam theſaurum eſſe non deficientem.*

Luc. 12. 13.

AIt autem ei quidam de turba: *Magiſter, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. At ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?
1 Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia *non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet. Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager tulit: & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte

* Magiſter dic fratri meo, &c. *Interpellat hic Chriſtum agens contra fratrem ſuum, qui totum patrimonium abſtulerat, & fratri ſuo partem non reddebat (ait S. Auguſt.) Chriſtus autem, quamvis à Patre ſuo conſtitutus eſſet judex vivorum & mortuorum, negat tamen ſe ad judicium de rebus temporalibus nunc exercendum miſſum eſſe. Quia verò hæc poſtulatio avaritiæ ſpeciem præ ſe ferre videbatur, (ut notat Beda) oblatâ occaſione parabolam adfert, quâ homines à cupiditate & avaritia dehortatur.*

* Non in abundantia &c. *.i. Non in abundantia rerum quæ quis poſſidet, vita ejus eſt. Syrus clariùs dicit:* Non in abundantia divitiarum eſt vita. *Opes enim non poſſunt vitam tueri. Vana ergo eſt cupiditas, & vitæ fiducia in opibus collocata; quod probat Chriſtus ſequenti parabolâ.*

nocte * animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & * non eſt in Deum dives. Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideò dico vobis: * Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum. Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos. Quantò magis vos pluris eſtis illis? Quis autem veſtrûm cogitando poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum eſt, poteſtis, quid de ceteris ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut unum ex iſtis. Si autem * fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit: quantò magis vos puſillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & * nolite in ſublime tolli: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem veſter ſcit quoniam his indigetis. Verumtamen quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri

2

† c. 52

* Animam tuam &c. *Phraſis Hebræa eſt, pro:* Anima *.i. vita tua repetitur à te.*

* Non eſt in Deum dives *.i. ſecundùm Deum Dives; in Deo nimirum, non in terrenis opibus ſpem ſuam reponens.*

* Nolite ſoliciti eſſe animæ *.i. de anima, ſeu vita veſtra. Vide ſup. cap. 52.*

* Fœnum *Gr.* τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ *.i. herbam agreſtem.*

* Nolite in ſublime tolli, *hoc eſt, in ſublimes curſus aſtrorum, in meteora, in nubes, in aërem, & ea quæ agris vel abundantiam, vel ſterilitatem adferunt, quaſi inde ſperantes aut timentes. Vel aliter: Ne anxiè oculos in cælum ſubleuetis, hæſitantes de divina providentia. Vtroque modo exponit hæc verba Ianſen. & alij.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Novembri.

tri veſtro dare vobis regnum. Vendite quæ
3 poſſidetis, & date eleëmoſynam. * Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.

* Facite vobis ſacculos &c. .i. *marſupia, quæ non deteruntur, ex quibus pecunia perdi nequit.*

CAPUT CXIX.

1. *Servus fidelis ſit lumbis præcinctus, quaſi ad iter & opera ardua paratus: & lucernam habeat ardentem, charitatis operibus invigilando.*
2. *Is qui aliys in Eccleſia praeſt, diſpenſatorem ſe prudentem ac fidum exhibeat.*
3. *Ad hæc munia exequenda Chriſtus Spiritus ſancti ignem in mundum miſit; qui crucem & ſeparationem ab amicis, rebuſque temporalibus facilem ac ſuavem efficiat.* Luc. 12. 35.

1 * Sint lumbi veſtri præcincti, & * lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando revertatur à nuptijs: ut, cùm venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Beati ſervi illi, quos cùm venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod * præcinget ſe,

* Sint lumbi veſtri &c. Nota, *hanc ſimilitudinem non abſimilem eſſe parabolæ* 10. *Virginum, quæ eſt Matth.* 25. *Noctu enim convivium nuptiale celebrari ſolebat. Poſt cœnam convivæ domum repetebant, & à ſervis lucernas accenſas geſtantibus excipiebantur. V. infrà c.* 169. *Eſt autem hîc metaphora, ſumpta ab iis, qui ſe itineri aut operi alicui præparant, & lumbos præcingunt.*

* Lucernæ ardentes *ſignificant fidei & charitatis ſplendorem, ſine qua nemo benè excipit Chriſtum Iudicem. S. Auguſtin. ſerm.* 39. *de Verb. Dom.*

* Præcinget ſe &c. *Non ſignificatur hîc, Chriſtum in gloria ſua ſerviliter electis ſuis miniſtraturum; ſed quod ad ſublimiſſimam dignitatem evectus, eos participes faciet gloriæ ſuæ, & quaſi dominos, ſuique ſimiles ſedere faciet in thronis, conſortes menſæ ſuæ. A Lapide, & alij.*

ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi. Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamiliàs qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? * Dixit autem Dominus: Quis, putas, eſt fidelis * diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſervus, quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem. Verè dico vobis, quoniam ſupra omnia quæ poſſidet, conſtituet illum. Quòd ſi dixerit ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere ſervos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet dominus ſervi illius, in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & * dividet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum eſt, multum

v. cap. 168.

2

* Dixit autem Dominus &c. *Chriſtus non clarè reſpondet Petro: ſignificat tamen hoc ſuo reſponſo, parabolam iſtam ad Petrum & collegas ipſius, quos Eccleſiæ ſuæ præfecturus erat, præcipuè pertinere. His enim non tantùm ſibi, ſed & alijs ſibi commiſſis vigilandum eſt.*

* Diſpenſator. *De hoc officio ita ait S. Petrus, ep. 1. c. 4. v. 10.* Vnusquisque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.

* Dividet eum. *i. ſeparabit à ſe, & partem dabit ei in pœna cum infidelibus, qui non crediderunt.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta per Iudæam menſe Novembri.

3 tum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. * Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur? * Baptiſmo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor uſque dum perficiatur? * Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem: erunt enim ex hoc quinque in domo una diviſi; tres in duos, & duo in tres dividentur: pater in filium, & filius in patrem ſuum; mater in filiam, & filia in matrem; ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam. Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab Occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit: & ita fit. & cùm Auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit. Hypocritæ faciem cæli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? * Quid autem & à vobis ipſis non iudicatis quod iuſtum eſt? * Cùm autem vadis cum adverſario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne fortè trahat

v. ſup. cap. 85.

v. cap. 89.

 te

* Ignem veni mittere in terram. *Ignis hic Spiritus ſanctus eſt, eiuſque zelus eſt charitas. Ita Chryſoſt. Auguſtin. Hieron. Tolet.*

* Baptiſmo autem &c. *Mortem ſuam appellat baptiſmum, in quo ſcilicet corpus eius ſanguine perfuſum fuit, & lavit in vino ſtolam ſuam, Geneſ. 49. 11. Non niſi poſt hunc paſſionis baptiſmum, ignis iam dictus erat in terra accendendus. Vnde ad paſſionem anhelans ſubdit:* Et quomodo coarctor uſque dum perficiatur? *.i. quomodo conſtringor, ſive ſolicitus ſum, & angor & premor donec perficiatur. Sitio enim mortem pro omnium ſalute. Ita Theophylact. eodemque ſenſu Euthym. atque alij paſſim.*

* Putatis quia pacem &c. *Exponit hîc Chriſtus Spiritus ſancti potentiã, virtutemq́; igneam in animis hominũ commutandis. Vide ſuprà c.* 74. Non veni pacẽ mittere. &c.

* Quid autem & à vobis ipſis &c. *Relegat eos ad proprios ipſorum animos & conſcientias, affirmans, poſſe eos ex ijs quæ quotidie vident, abſque alijs externis teſtimonijs, venire in cognitionem temporis præſentis, quo Meßias diu expectatus adeſt. Fr. Lucas.*

* Cùm autem vadis. *Parabola eſt, quâ docet reconciliandum ſibi eſſe Deum ante ſecundum Meßiæ adventum, & extremi iudicij diem. Vide ſimilem ſententiam ſup. c.* 49. Eſto conſentiens &c,

* Exactori .i. *juſtitiæ miniſtro, cui incumbit iudicata executioni demandare, & exigere quæ iudicata ſunt.*

te ad iudicem, & iudex tradat te * exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas.

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta per Iudæam menſe Novembri.

CAPVT CXX.

Maturè, & ante vindictam pœnitendum eſſe; exemplis docet,

1. *Galilæorum à Pilato occiſorum.*
2. *Hominum in Siloë, lapſu turris extinctorum.*
3. *Ficus infructuoſæ, & ob ſterilitatem ſucciſæ parabolâ.* Luc. 13. 1.

ADerant autem quidam in ipſo tempore, * nuntiantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificijs eorum.
Et reſpondens dixit: Putatis quòd hi Gali- 1
læi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter
peribitis. * Sicut illi decem & octo, ſupra quos 2
cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines

* Nuntiantes &c. *Hoc recens Pilati facinus cùm vulgi ſermone ſpargeretur, quidam retulerunt Chriſto Iudæam peragranti, ut audirent quid de Galilæis illis ſentiret. Erant autem hi Iudæ Galilæi ſectatores, aſſerentes Iudæos Dei filios nullum tributum debere Cæſari; nec pro Cæſare, imperioque Romano ſacrificium offerre debere; denique nullum ipſis agnoſcendum eſſe dominum præter Deum ſolum. Ita Cyrillus, Theophyl. & alij. Hi igitur cùm populum ad rebellionem provocarent, numero aliquo congregati ad ſacrificium Ieroſolymis in templo offerendum, à Pilato iuſſi ſunt inter ipſa ſacrificia trucidari, ut S. Lucas refert.*

* Sicut illi decem & octo. *Hoc aliud exemplum eſt, quo Chriſtus omnes ad pœnitentiam excitat. Turris quippe Ieroſolymæ ad piſcinam Siloë ædificata, Chriſti Domini prædicantis tempore collapſa, octodecim homines oppreſſerat. Ita Franc. Lucas & alij.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Novembri.

homines habitantes in Ieruſalem? Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes
3 ſimiliter peribitis. Dicebat autem & hanc ſimilitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? At ille reſpondens, dixit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora: & ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam.

CAPVT CXXI.

1. *In ſabbato mulier contracta ſanitati reſtituitur.*
2. *Oſtendit Chriſtus ſe hoc opere ſabbatum non violare.*

Luc. 13. v. 10.

1 ERat autem docens * in Synagoga eorum * ſabbatis. Et ecce mulier quæ habebat * ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere. Quam cùm vidiſſet IESVS, vocavit eam ad ſe, & ait illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum. Reſpondens autem archiſynagogus, indignans quia ſabbato curaſſet Ieſus, dicebat turbæ: Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in

* In Synagoga. *i. in una ſynagogarum. Ita exponitur Græcè & Syriacè.*

* Sabbatis, *pro, quodam ſabato. Plurale enim ponitur pro ſingulari, ut alibi ſæpiùs.*

* Spiritum infirmitatis. *i. infirmitatem à ſpiritu maligno inflictam (ait Liranus.) erat enim hæc mulier dæmonis maleficio, toto corpore incurvata, & prono vultu in terram deflexa.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Novembri.

in his ergo venite, & curamini, & non in die ſabbati. Reſpondens autem ad illum Domi- 2
nus, dixit: Hypocritæ, unuſquiſque veſtrûm in ſabbato non ſoluit bovem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit ſatanas, ecce decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die ſabbati? Et cùm hæc diceret, erubeſcebant omnes adverſarij eius: & omnis populus gaudebat in univerſis, quæ glorioſè fiebant ab eo.

CAPVT CXXII.

1. *Docet per anguſtam portam ad regnum cæleſte ingrediendum eſſe.*
2. *Gentiles ad hoc, repulſis Iudæis, evocandos: ipſoſque, qui primùm vocati fuère, in eo noviſſimos fore.*
3. *Ingratæ Ieroſolymæ ſolitudinem & excidium prænunciat.* Luc. 13. 22.

ET ibat per civitates & caſtella, docens, 1
& iter faciens in Ieruſalem. Ait autem illi quidam: Domine, ſi pauci ſunt, qui ſalvantur? Ipſe autem dixit ad illos: Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cùm autem intraverit 2
paterfamiliàs, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine, aperi nobis: & reſpondens dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis. tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti.

v c. 54

ſti. Et dicet vobis: Neſcio vos vnde ſitis: diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cùm videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. * Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei. Et ecce ſunt noviſſimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt noviſſimi. * In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio * hodie & cras, & tertia die conſummor. Verumtamen oportet me hodie & cras, & ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra
3 Ieruſalem. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico autem

v. inf. c. 138.

v. inf. c. 162.

* Et venient ab Oriente &c. *.i. Iudæis à regno Dei repulſis gentes ſubrogandæ ſunt: & ij qui modò ſunt noviſſimi, atque à regno Dei alieniſſimi, erunt aliquando in eo magni & præcipui; Iudæi verò, qui ſe primos Dei cognitione gloriantur, erunt in altero ſæculo noviſſimi, id eſt, nulli erunt, & non obtinebunt locum in regno cœlorum: noviſſimè tamen in fine mundi reliquiæ eorum ad fidem convertentur. Ita hunc locum exponunt S. Hieron. Beda, Fr. Lucas, Ianſen. A Lapide, Barradius, & alij. Vide infrà cap.* 138.

* In ipſa die &c. Nota. *Erat Chriſtus tunc in itinere Ieroſolymam, quò proficiſcebatur per Peræam Iudææ conterminam, cuius toparcha non minus quàm Galilææ erat Herodes. Phariſæi igitur hoc mendacium de Herode Chriſto inſidiante commenti ſunt, quò eum citiùs Ieroſolymam avocarent, ubi principes certam ei necem machinabantur. Corn. à Lapide.*

* Hodie & cras *.i. aliquo adhuc tempore, quo exacto, & omnibus mihi à Patre commiſſis, perfectis & conſummatis, ego quoque tempore conſtituto conſummandus ſum.*

Digitized by Google

* Non videbitis me &c. *Loquitur Chriſtus de fine mundi, ut exponunt S. Auguſt. S. Chryſoſt. Theophyl. & alij, q. d. Chriſtus: Vos, ô Iudæi, multis ſæculis increduli, & à me deſerti, poſtremùm in fine mundi converſi videbitis me fidei oculis, ac tandem & corporis, dum in 2. adventu meo venientem ad iudicium cum gaudio & Propheticis acclamationibus excipietis.*

autem vobis, quia * non videbitis me, donec
veniat cùm dicetis: Benedictus qui venit in c.161.
nomine Domini.

Nota, *veriſimile eſſe, Chriſtum non hoc loco vſum hac exclamatione invectivâ adverſus Ieruſalem, ſed eo quo narrat Matthæus cap. 23. Lucam autem præoccupatione vſum hic adſcripſiſſe. Huic enim Euangeliſtæ non infrequens eſt, dicta Chriſti variis temporibus prolata ſimul colligere. Ita Franc. Lucas.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta per Iudæam menſe Decembri.
A Lapide.

CAPUT CXXIII.

1. *Sabbato, in convivio principis Phariſæorum hydropicum curat.*
2. *Invitatos ad humilitatem; invitantes verò ad miſericordiam exhortatur.*
3. *Parabolâ de vocatis ad cœnam, docet impedimenta omnia ſalutis æternæ removenda.* Luc. 14. 1.

* In domum, *ſitam vid. in aliqua civitate Iudææ vel Peræa, quæ vicina erat. Quænam hæc vrbs fuerit, incertum eſt.*

* Panem. *Ex Hebræorum loquendi modo, omnem eſcam panis ſignificat.*

ET factum eſt, cùm intraret in * domum 1
cujuſdam principis Phariſæorum ſabbato
manducare * panem, & ipſi obſervabant eum.
Et ecce homo quidam hydropicus erat ante
illum. Et reſpondens IESVS, dixit ad Legis
peritos, & Phariſæos, dicens: Si licet ſabbato
curare? At illi tacuerunt. Ipſe verò * apprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit. Et reſpondens
ad illos, dixit: Cuius veſtrûm aſinus aut bos in
puteum

* Apprehenſum, *Gr.* ἐπιλαβόμενος, .i. *cùm eum apprehendiſſet ſive attigiſſet. Vbi* nota: *Cum verbo Chriſtus ſanare poſſet, manus tamen ſuæ contactu hydropicum (vti & alios) ſanavit; quò oſtenderet, ſe non ſolum ut Deum, ſed etiam ut hominem, vim habere curandi, atque humanitatem ſuam inſtrumentum eſſe divinitatis. Ita Maldonat.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Decembri. A L pide.

puteum cadet, & non continuò extrahet illum die ſabbati? Et non poterant ad hæc re-
2 ſpondere illi. Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit invitatus ab illo; & veniens is, qui te, & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere. ſed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco: ut cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus: quia * omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Dicebat autem & ei qui ſe invitaverat: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne fortè te & ipſi reinvitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum. Hæc cùm audiſſet quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. At ipſe dixit ei:

* Omnis qui ſe exaltat &c. *Vide eandem ſententiam* c. 134. & 161.

Digitized by Google

Annus Chriſti 33
Prædicationis 3.
Geſta per Iudæam menſe Decembri.

* Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et miſit ſeruum ſuum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei: * Villam emi, & neceſſe habeo exire & videre illam: rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Et reverſus ſeruus nunciavit hæc domino ſuo. Tunc iratus paterfamiliàs, dixit ſervo ſuo: Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Et ait ſeruus: Domine, factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait dominus ſervo: * Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam. 3

* Homo quidam &c. *Significat parabola, Iudæis ob ſuperbiam reiectis, gentes humiles, imò & contemptos de plebe, atque infames publicanos ac peccatores ad cæleſte Chriſti epulum vocandos. Occaſione enim præcedentium verborum,* Beatus qui manducabit &c. *Chriſtus hanc affert parabolam, quâ docet, verè quidem beatos fore regni cæleſtis convivas, ſed pleroſque omnes Iudæorum, principes potiſſimùm ac Phariſæos, præ ſtudio rerum huius ſæculi, convivium illud contempturos, ac proinde illis excluſis, abiectiſſimos potiùs Iudæorum, ipſoſque gentiles eo fruituros. Confertur autem felicitas æterna regni cælorum, cœnæ magnæ, regiæ videlicet ac nuptiali, in qua reperiuntur bona omnia quæ ſenſus humanos oblectare poſſunt. Ita Bellarm. de æterna felicit. lib. 5. cap. 5. Sic quoque ad litteram exponit cœnam hanc D. Gregor. homil. 36. Gloſſa & à Lapide. Vide infrà cap. 156.*

* Villam emi &c. *Notantur hîc temporalium bonorum immodica cura, vidè honor, dignitas, ſive potentia, quæ in emptione villæ ſignificatur; lucra ſive utilitas, quæ in agricultura & boum exercitio; delectatio verò ac voluptas, quæ in novis nuptiis deſignantur. Bellarm. ſuprà.*

* Exi in vias &c. *Significatur gentium vocatio. Sepes enim vocat villas & pagos, qui non muris, ſed ſepibus ruſticanis cinguntur. Notantur ergo Indi aliæque incultæ ac barbaræ nationes ad fidem & ſalutem vocandæ. Sic Titus Boſtrenus & alij.*

CAPVT

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta per Iudæam menſe Decembri.

CAPUT CXXIV.

1. *Omnibus ſe abdicare, etiam vitæ propriæ amore, neceſſe eſt ad Euangelicam turrim extruendam.*
2. *Parabola bellici ducis, & ſalis indicat, providè agendum eſſe in vitæ ſtatu deligendo, & proximo quoque ad ſalutem dirigendo.* Luc. 14. 25.

1 IBant autem turbæ multæ cum eo: & converſus dixit ad illos: * Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem * & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. * Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs ſedens computat ſumptus, qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum; ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit con-
2 ſummare? Aut quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem, non ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe. Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex vobis,

* Si quis venit ad me, & non odit, &c. *Hæc Chriſti verba hyperbolica ſunt: neque enim vult conſanguineos ex animo proſequendos eſſe odio; ſed ſi fidei noſtræ, vel Deo debita obedientiæ obſiſtant, non audiendos. Hoc odium Matth.* 10. 35. *vocat ſeparationem. Ita S. Gregor. & Euthymius, aliique paſſim.*

* Et animam ſuam. i. *vitam (ait S. Auguſtin.) nimirum cùm opus eſt martyrium ſubire.* 2. animam .i. *animæ pravas cupiditates atque appetitiones, quæ velut hoſtes domandæ, & rectæ rationi, Deoque ſubiiciendæ.*

* Quis enim ex vobis &c. *Docet conſideratè ſtatum vitæ deligendum eſſe; & priùs tùm animi, tùm corporis vires perpendendas atque explorandas. Corn. à Lapide.*

V. in fine Errata.

bis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. * Bonum eſt ſal. Si autem ſal evanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in ſterquilinium utile eſt, ſed foras mittetur. Qui habet aures audiēdi, audiat. c. 49. & 98.

* Bonum eſt ſal. *Apoſtolicum propriè munus eſt, ſale ſapientiæ, doctrinæ ac ſanctitatis mundum condire. Vbi tamen* Nota *hanc de ſale parabolam, & duas præcedentes, fabricæ turris, ac belli capeſſendi; licet propriè ſpectent ad viros Apoſtolicos terrena omnia relinquentes; ſecundariò tamen aptari poſſe omnibus Chriſtianis, quorum eſt renunciare omnibus, id eſt, ſic tenere quæ mundi ſunt, ut tamen non teneantur in mundo. Ita Ven. Beda.*

CAPVT CXXV.

1. *Docet ſe Meſſiam eſſe, Patri ſuo Deo æqualem, unumque atque eundem Deum.*
2. *Blaſphemiæ ſeſe inſimulantes Iudæos refellit, & ſe lapidantium manibus eripit.* Ioan. 10. 22.
3. *Subducit ſe trans Iordanem in Bethabaram.* Matth. 19. 1. Marc. 10. 1. Ioan. 10. 39.

a FActa autem ſunt * Encænia in Ieroſolymis; & hiems erat. Et ambulabat IESVS in templo, * in porticu Salomonis. Circumdederunt 1

* Encænia, τὰ ἐγκαίνια *i. feſtum innovationis, ſeu dedicationis, quod celebrabatur per dies octo magnâ populi lætitiâ. Recolebatur enim memoria templi renovati, atque in primis altaris holocauſtorum extructi per Iudam Machabæum, qui profanatum ab Antiocho Epiphane templum & altare triennio pòſt iterum dedicavit, menſe Caſleu, qui ferè reſpondet noſtro Decembri: juſſitque quotannis hoc feſtum eodem menſe per octiduum celebrari. Ita Ianſen. Tolet. & alij. Vide 1. Machab. 4. 59.*

* In porticu Salomonis. *Nota. Salomon ædificavit duo atria, ſc. interius, quod fuit Sacerdotum; & exterius, quod fuit populi. Hoc exterius vocatur hîc porticus Salomonis: erat enim area ſub dio conſtituta, & cincta porticu. Licet autem à Chaldæis combuſta fuerit, retinuit tamen nomen Salomonis. Hoc idem atrium, ſcribit Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 2. duplicibus porticibus cinctum fuiſſe, quas columnæ ex nativo ſaxo ſuſtentabant, & laquearia cedro expolita tegebant. Tertium erat atrium, quod dicebatur gentium, longo poſt Salomonem tempore ædificatum.*

Annus Chriſti 23.
Prædicationis 3.
Geſta in templo menſe Decembri.

dederunt ergo eum Iudæi , & dicebant ei:
Quouſque animam noſtram tollis ? Si tu es
Chriſtus, dic nobis palàm. Reſpondit eis IE-
SVs: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ
ego facio in nomine Patris mei , hæc teſti-
monium perhibent de me : ſed vos non credi-
tis, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ
vocem meam audiunt : & ego cognoſco eas,
& ſequuntur me : & ego vitam æternam do
eis : & non peribunt in æternum, & non rapiet
eas quiſquam de manu mea. * Pater meus
quod dedit mihi, maius omnibus eſt : & ne-
mo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego
2 & Pater unum ſumus. Suſtulerunt ergo lapi-
des Iudæi, vt lapidarent eum. Reſpondit eis
IESVS : Multa bona opera oſtendi vobis ex
Patre meo, propter quod eorum opus me
lapidatis? Reſponderunt ei Iudæi : De bono
opere non lapidamus te , ſed de blaſphe-
mia: & quia tu homo cùm ſis , facis teipſum
Deum. Reſpondit eis IESVS : Nónne ſcrip-
tum eſt in lege veſtra : quia Ego dixi, Dij e-
ſtis? Si illos dixit Deos , ad quos ſermo Dei fa-
ctus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura : * quem
Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos
dicitis: Quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei
ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite cre-
dere mihi. Si autem facio : & ſi mihi non vul-
tis credere, operibus credite, vt cognoſcatis,
& credatis quia Pater in me eſt , & ego in
3 Patre. Quærebant ergo eum apprehendere : &

* Pater meus quod dedit mihi .i. *Eſſentia divina, quam à Patre accepi, maior & potentior eſt omnibus: ac proinde nemo rapiet oves meas. S. Auguſt. Hilar. & alij PP.*

* Quem Pater ſanctificavit. *Pater nimirum Chriſtum ſanctificavit tùm per unionem divini ſuppoſiti, tùm per gratiam ac Spiritus ſancti dona. S. Hilarius & alij.*

Annus Chriſti 32.
Prædicationis 3.
Geſta in templo menſe Decembri.

exivit de manibus eorum. Et * abiit iterum a in fines Iudææ trans Iordanem, d in eum locum * ubi erat Ioannes baptizans primùm. a Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi: b & ſicut conſueverat, iterum docebat illos: d & manſit illic. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum. Omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

* Abiit iterum. *Olim enim Chriſtus in eundem locum ad Ioannem venerat. Hinc locus erat tùm Ioannis habitatione, concionibus, & populi ad eum confluxu, tùm eiuſdem Ioannis de Chriſto teſtimoniis, vulgò notus ac celebris. Horum memores plurimi huc ad Chriſtum acceſſerunt, & in eum crediderunt, ut ſequitur in textu.*

* Vbi erat Ioannes baptizans. *Locus erat hic in Bethabara trans Iordanem, ubi Ioannes incepit baptizare, qui poſteà receſſit in Ænnon iuxta Salim, quæ ſunt oppida cis Iordanem, ubi non in Iordane deinceps, ſed aliis aquis baptizavit, ut docet Cyrillus. In Bethabaram ergo Chriſtus abiit, Iudæorum cedens furori, ibidemque manſit ab hoc menſe Decembri uſque ad Martium anni ſequentis.*

CAPUT CXXVI.

1. *Scribæ & Phariſæi vituperant Chriſtum cum publicanis & peccatoribus convivantem.*
2. *Chriſtus eos confutat parabolis de ove, & drachma perditis: quarum ut jucunda eſt inventio, ita & peccatorum per pœnitentiam converſio Deo ipſi, & cælitibus accepta eſt.* Luc. 15. 1.

ERant autem appropinquantes ei publicani, 1
& peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex 2
illis

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Decembri.

illis, nónne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens: & veniens domum, convocat amicos & vicinos, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens * drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Et cùm invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram? Ita, dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.

CAPUT

* Drachmas decem. *Drachma nummus argenteus eſt, idem atque denarius, valore Regalis Hiſpanici. In hunc locum ſcribens S. Gregor. docet Deum habuiſſe drachmas decem, videlicet novem choros Angelorum, decimam verò genus humanum. Vt enim drachma imagine regis, ita Angeli atque homines imagine Dei inſigniuntur.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in Bethabara menſe Decembri.

CAPUT CXXVII.

1. *Filius prodigus patrem deſerit, opes diſſipat, & brevi ad mendicitatem redactus, dum porcos ſaturat, ipſe fame conficitur.*
2. *Malo ſuo doctus, ſaniori conſilio ad ſe redit, atque ad patrem amantiſſimum.*
3. *In patris gratiam atque in priſtinum ſtatum, fratre licet indignante, cum gaudio & epulo reſtituitur.* Luc. 15. 11.

Nota, *hanc tertiam parabolam eſſe, quâ* Chriſtus *docet contra Phariſæos oblocutores, gratum eſſe Deo & Angelis peccatorum ad frugem reditum; ac proinde ſe non immeritò publicanos ac peccatores ad ſalutem quærere.*

Senſu ergo parabolico (qui in hac & in ceteris parabolis proprius, genuinus & litteralis eſt) Pater *eſt Deus, qui omnes crearit, aut Chriſtus homo, qui omnes ſuo ſanguine redemit & regeneravit.*

Ait autem: Homo quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et diviſit illis ſubſtantiam. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abijt, & adhæſit uni civium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos. Et cupiebat 1

Senior filius *notat iuſtos, aut eos qui ſe iuſtos exiſtimant, quales erant Phariſæi;* junior *verò peccatores notat, quales erant publicani & meretrices. Ita Ianſen. & alij paſſim. Qui ſenſus primarius eſt.* Subſtantia *ſive divitiæ Dei ſunt chariſmata, id eſt dona, quæ dividit fidelibus, ut ait Euthymius.* Regio longinqua (*inquit Auguſtin.*) *eſt oblivio Dei.* Civis *huius longinquæ regionis eſt aliquis è numero dæmonum. Ita Auguſtin. Ambroſ. & Gloſſa.* Civis iſte (*ait*) eſt concupiſcentiis terrenis præpoſitus princeps huius mundi. *Vnde infertur* porcos *eſſe immundas cogitationes & concupiſcentias, ut vult Chryſoſt. porcarios verò ſeu bubulcos eſſe peccatores, qui eas nutriunt. Denique per* ſiliquas *accipe res & voluptates carnales, quæ appetitum hominis non ſatiant, ſed inflant, diſtendunt & cruciant, ut idem docet Chryſoſt. in catena, & mox ſequitur.*

Annus Chriſti 33.
Prædicationis 3.
Geſta in Bethabara menſe Decembri.

cupiebat implere ventrem ſuum * de ſiliquis,
quas porci manducabant, & nemo illi dabat.
2 In ſe autem reverſus, dixit: Quanti merce-
narij in domo patris mei abundant panibus,
ego autem hîc fame pereo! Surgam, & ibo
ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi
in cælum, & coram te: jam non ſum dignus
vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mer-
cenarijs tuis. & ſurgens venit ad patrem ſuum.
3 Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum
pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & ac-
currens cecidit ſuper collum ejus, & oſcula-
tus eſt eum. Dixitque ei filius: Pater peccavi
in cælum, & coram te, jam non ſum dignus
vocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſer-
vos ſuos: Citò proferte * ſtolam primam, &
induite illum, & date annulum in manum
ejus, & calceamenta in pedes ejus: & addu-
cite vitulum ſaginatum, & occidite, & man-
ducemus, & epulemur: quia hic filius meus
mortuus erat, & revixit; perierat, & inven-
tus eſt. Et cœperunt epulari. Erat autem filius
ejus ſenior in agro: & cùm veniret, & ap-
propinquaret domui, audivit ſymphoniam &
* chorum: & vocavit unum de ſervis, & in-
terrogavit quid hæc eſſent. Iſque dixit illi:
Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitu-
lum ſaginatum, quia ſalvum illum recepit.
* Indignatus eſt autem, & nolebat introire.

* De ſiliquis. *Siliquæ folliculi ſunt, quibus fabæ, ſimiliaque legumina includuntur. Cibus eſt intus inanis, foris mollis, quo corpus non reficitur, ſed impletur. Siliquas autem fabarum, pecorum pabulum eſſe conſtat ex Plin. lib. 8. cap. 12. Vide Ianſenium cap. 94. qui accuratè & appoſitè hæc ſingula exponit.*

* Stolam primam *Gr.* τὴν ϛολὴν, τὴν πρώτην. *ſtolam illam, illam primam. Ex quo patet, eximiam hîc veſtem deſignari, vid. togam talarem, quæ nobilium erat filiorum, quam fortè abiens hic filius patri reliquerat. nam ſtola erat veſtis elegans, polita, & ad talos demiſſa. Sic à Lapide.*

* Chorum. *Syrus transfert*, vocem concentus multorum. *Significatur multitudo concinentium & lætantium convivarum.*

* Indignatus eſt. *Hæc indignatio ſenioris fratris ſignificat Phariſæorum obtrectationes, eò quòd Chriſtus peccatores reciperet, quæreret, & cibum ſumeret cum eis.*

Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum. At ille reſpondens, dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dediſti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer: ſed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum. At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hîc mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt.

CAPVT CXXVIII.

1. *Exhortatio ad eleëmoſynam, propoſitâ diſpenſatoris iniqui parabolâ.*
2. *Neminem poſſe duobus dominis ſervire contraria iubentibus, Deo videlicet & mammona.*
3. *Vanum eſſe exteriorem Dei cultum, ſi deſit interior.* Luc. 16. 1.

* Dicebat autem; *eodem vid. tempore, quo ſuperiora dixit. Fr. Lucas.*

* Villicum οἰκονόμον, *œconomum ſive diſpenſatorem, ut eſt Luc. 12. 42. Sic infrà pro vocibus, villicationis & villicare eſt* οἰκονομίας *&* οἰκονομεῖν.

* Dicebat autem & ad diſcipulos ſuos: 1
Homo quidam erat dives, qui habebat
* villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra ſe: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, vt, cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini

domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: * Accipe cautionem tuam: & ſede citò, ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: * Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta. Et * laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Et ego dico vobis: facite vobis amicos de * mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt. * Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis: quod verum eſt, quis credet vobis? * Et ſi in alieno fideles

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Bethbara menſe Decembri.

* Accipe cautionem *.i. Accipe ſyngrapham, quâ olim teſtatus es, te domino meo debere cados centum. Lacera illam, & ſcribe aliã, quâ tantùm fatearis te debere quinquaginta.*

* Centum coros tritici. *Corus, menſura eſt liquidorum & aridorum, cuius decima pars in aridis eſt ephi, quemadmodum in liquidis eſt batus. Vnum autem ephi continet tria ſata, de quibus Matth.* 13. 33. *& ſuprà cap.* 67. *Ita Ianſen. & à Lapide.*

* Laudavit *ſc. non factum, ſed induſtriam & ingenium diſpenſatoris.*

* Mammona iniquitatis *dicitur, quia divitiæ materia ſunt iniquitatis. Mammon autem, ſive mammona, Chaldaica & Syriaca vox eſt, ſignificans divitias. Relinquitur hæc ipſa & in Græco, & in Latino textu, videturque poni tamquam ſi idoli alicuius proprium nomen eſſet; quia avari divitiis quaſi idolo ſerviunt. Vndè Apoſtolus ad Epheſ.* 5. *v.* 5. *avaritiam idololatriam appellat. & uti hîc, ita Chriſtus Dominus Matth.* 6. 24. *dicit:* Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.

* Si ergo in iniquo mammona *.i. falſo, vano, mendace* fideles non fuiſtis; quod verum eſt *.i. vera bona, quæ ſunt virtutes animi & dona divina,* quis credet vobis?

* Et ſi in alieno &c. *Aliena vocat terrena bona, quia homini externa ſunt, neque ad ea natus eſt, nec homini perpetua ſunt.* Neque enim *(vt ait S. Ambroſ.)* nobiſcum naſcuntur, neque nobiſcum tranſeunt, dum ex hac vita migramus.

Annus Christi 33.
Prædicationis 3.
Geſta in Bethabara menſe Decembri.

deles non fuiſtis: * quod veſtrum eſt, quis
dabit vobis? Nemo ſervus poteſt duobus 2
dominis ſervire: aut enim vnum odiet, &
alterum diliget: aut uni adhærebit, &
alterum contemnet: non poteſtis Deo
ſervire & mammonæ. Audiebant autem Cap 16.
omnia hæc Phariſæi, qui erant avari: &
deridebant illum. Et ait illis: Vos eſtis, 3
qui iuſtificatis vos coram hominibus:
Deus autem novit corda veſtra: quia quod
hominibus altum eſt, abominatio eſt ante
Deum. Lex & prophetæ, uſque ad Ioannem:
ex eo regnum Dei euangelizatur, &
omnis in illud vim facit. Facilius eſt autem
cælum & terram præterire, quàm de
lege unum apicem cadere.

* Quod veſtrũ eſt *.i. cæleſtes divitias,* quis dabit vobis? *q. d. Deus non dabit, cuius ſolius eſt dare. Negabit ergo Deus bona humanæ naturæ maximè conſentanea, id eſt, cæleſtia, ei, qui malè verſatus fuerit in adminiſtrandis bonis à natura hominis alienis .i. divitiis ſæculi Fr. Lucas.*

CAPUT CXXIX.

1. *Dives epulo in purpura ac delitiis vitam agit: mortuus verò inferorum flammis ſepelitur; ubi ne guttam quidem reperit conſolationis.*
2. *Lazarus in ærumnis vivit & contabeſcit; mortuus autem in ſinum Abrahæ, atque electorum ſedes, vectoribus Angelis deportatur.*
3. *Nemo poteſt in hac vita æquè atque in altera delitiis perfrui.* Luc. 16. 19.

HOmo quidam erat dives, qui induebatur 1
purpurà & byſſo: & epulabatur quotidie
ſplen-

Nota (*quod docent Beda & Interpr.*) *hanc hiſtoriã pertinere ad commendationem eleëmoſynæ. Adfert enim Chriſtus hoc terribile exemplum ad percellendum Iudæos, ac potiſſimùm Phariſæos divitiarum cupidos, doctrinæque ſuæ irriſores, ut patet ſuperiori cap.*

Nota 2. *narrationem hanc non eſſe parabolam, ſed ſolidam hiſtoriam, ut ait Orig. cui aſſentiuntur Tertull. Irenæus, Chryſoſt. Clemens Alexandrin. & alij. item ex modernis Scriptt. Baron. Bellarminus de art. mor. lib. 2. c. ult. Maldon. Fr. Lucas, Corn. à Lapide, Barrad. inſeruntur tamen hiſtoriæ huic quadam parabolica & ſymbolica, ut de lingua divitis, de gutta aquæ, de digito Lazari; quia non poterat aliter ſtatus eius, ac divitis nobis innoteſcere, ut ait Tirin.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Decembri.

2 ſplendidè. Et erat quidam mendicus, nomine
Lazarus, qui jacebat ad januam eius, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat: ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis * in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus: & ipſe * clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham:
3 Fili, recordare quia * recepiſti bona in vita tua,
& Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris. & in his omnibus, inter nos & vos * chaos magnum firmatum eſt, ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, * ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fra-

Mm 3 tres

* In ſinum Abrahæ *.i. in limbum PP. qui erat locus quietis animarum, in quem recipiebãtur animæ fidelium, ibidẽ̃que quieſcebant quaſi in ſinu terræ, & quaſi in ſinu Abrahæ, patris ac principis omnium credentium ac Sanctorum. Fuit hic locus ſupra purgatorium & infernum. Ita paſſim DD.*

* Clamans dixit. *Hic divitis clamor & preces non fuit verus clamor & preces, ſed mentis locutio atque affectio. Clamaſſe autem dicitur, ut vehementia deſiderij ſignificetur. Reſponſum quoque dives animo ſuo reddi ſenſit tamquam ab Abraham. Deo enim revelante factum eſt, ut ſe mutuò intelligerent perinde ac ſi inter ſe colloquerentur. Non ergo fuit inter eos vocale colloquium. Fr. Lucas.*

* Recepiſti bona &c. *nimirum epulas & delitias recepiſti pro paucis bonis operibus, quæ in vita feciſti; unde in futurum nulla tibi bona expectanda. Ita S. Hieron. ep. 34. ad Iulian.* Difficile (*ait*) imò impoſſibile eſt, ut præſentibus quis & futuris fruatur bonis; ut hic ventrem, & ibi mentem expleat; ut de delitijs tranſeat ad delitias.

* Chaos magnum *.i. hiatus, ſive magna & impenetrabilis intercapedo.*

* Vt mittas eum. *Hoc rogat non ex charitate, ſed ex metu, ne aliquando per damnationem fratrum, augerentur proprij cruciatus.*

tres, * ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moyſen, & prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moyſen & prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

* Vt teſtetur illis, *tamquam oculatus eorum, quæ hic geruntur, teſtis, ut eis teſtimonium perhibeat de mei condemnatione, & cruciatuum, quos patior, gravitate. Vel, ut conteſtetur illos, docendoque admoneat, ut pœnitentiam agentes caveant Dei vindictam.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Decembri.

CAPUT CXXX.

1. *Matrimonij vinculum indiſſolubile eſſe.* Matth. 19. 3. Marc. 10. 2. Luc. 16. 18.

2. *Cælibatum coniugio præſtare.* Matth. 19. 10.

3. *Triplicis generis eunuchos eſſe: quorum poſtremi, libidines ſuas refrænando, & quaſi ſemetipſos caſtrando palmam ferunt.* Matth. 19. 12.

1 [a] ET acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem ſuam, quacumque ex cauſa? [b] At ille reſpondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes? Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere, & dimittere. Quibus reſpondens IESVS, ait: * Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, * maſculum & feminam fecit eos? * & dixit: Propter hoc dimittet homo

v. c. 49.

* Maſculum & feminā &c. *Vt nimirū mas unus uni feminæ indiſſolubili matrimonio jungeretur.*

* Et dixit, *ſc. Deus. In Geneſi c. 2. 24. hæc videntur tribui Adæ, quia Adam non protulit hæc verba, niſi afflatu Dei. Ianſen. & alij.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Decembri.

homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Itaque iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergò Deus coniunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri [b] ſcripſit vobis præceptum iſtud [&] [a] permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem [b] creaturæ [a] non fuit ſic. Dico autem vobis, quia qui-

* Quid ergo Moyſes &c. *Repudium Iudæis permittitur Deuteron. 24. 1. quo caſu mandatur ſcribi libellus repudij, vid. ſi cauſa fuerit legitima. Diſpenſavit autem hic Deus, ut per repudium ſolveretur matrimonium, ita ut repudians aliam ducere, & repudiata alteri poſſet nubere, ut ſuprà cap.* 49. *Vbi obſervandum eſt, non fuiſſe præceptum, uxorem dimittere, ſed tantùm permiſſum; præceptum verò fuit, dare libellum repudij uxori iuſta ex cauſa dimittendæ. Hoc igitur uxorum repudium omninò aufert* Chriſtus, *docetque nullo modo fas eſſe viro coniugem quoad coniugij vinculum ablegare, quoad thorum verò dimittere licitum eſſe propter fornicationem præcipuè, aut aliud gravius crimem. Vnde per fornicationem hic intelligi debet adulterium, ſodomia etiam cum coniuge, ſed renitente, & omnis illicitus concubitus, ut patet* C. *Meretrices* 32. q. 4. Nota, *alias inſuper eſſe cauſas divortij; nimirum ſi uxor maritum ad aliquod ſcelus pertrahere conetur, ut habetur cap. Quæſivit, de Divortijs; item ſi ipſa ſit venefica, aut mortem marito machinetur:* Chriſtus *tamen hic ſolam fornicationem divortij cauſam aſſignat, quia hæc ſola eſt propria ſeparationis cauſa in conjugio. Vide hæc fuſiùs apud à Lapide alioſque interpretes.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Decembri.

quicumque dimiſerit uxorem ſuam, * niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. [b] Et in domo iterum diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium

* Niſi ob fornicationem &c. Nota, *illam exceptionem non eſſe referendam ad totam orationem, ſed tantùm ad partem præcedentem, ut docet S. Hieronymus. Non enim ſignificatur, licere ob fornicationem, aliam ducere, ſed tantùm ſignificatur licitum eſſe dimittere uxorem propter fornicationem, ut ſit ſenſus: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam (quod non licet niſi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchabitur. Patet hoc tam ex Græco, quàm ex Syriaco textu. nam ferè ubique Græcè eſt,* Quicumque dimiſerit uxorem non ob fornicationem. *& Euangelium Syriacum habet*, Quicumque dimiſerit uxorem ſuam non adulteram. *Hunc autem verum eſſe ſenſum conſtat ex eo quod reliqui duo Euangeliſtæ Marc. 10. & Luc. 16. exceptionem hanc, quæ omitti potuit, omiſerint, abſolutè pronunciantes, omnem eum adulterare qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit; ac proinde etiam eum qui ob fornicationem dimiſerit, ſi aliam ſuperduxerit. Addidit autem Matthæus hanc exceptionem, quia Phariſæi non tantùm quæſiverant, num liceret uxorem dimittere, ſed etiam num quacumque de cauſa liceret. Cùm igitur obſcuriora ſint hic Matthæi verba, certum eſt, ea non poſſe melius, quàm ex aliorum Euangeliſtarum evidentibus verbis declarari. Unde non modò malè Matthæum intelligunt, ſed Marco & Lucæ ex propoſito contradicunt, quicumque matrimonij vinculum diſſolvunt. Ita Ianſen. & alij. Hæc vel ſimilis Matthæi expoſitio probatur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. v. 10: & 11. Denique confirmat hanc interpretationem perpetua Eccleſiæ conſuetudo, definitioneſque & ſententiæ; quæ eſt certa intelligendæ Scripturæ regula. Neque enim ab initio Eccleſiæ per orbem diffuſæ, aliquis inventus eſt orthodoxus Chriſtianus, maximè apud Latinos, & Græcos antiquiores, qui repudiatâ uxore ob fornicationem, aliam duxerit illâ vivente, aut qui repudiatam duxerit, aut cui hoc facere tentanti Eccleſia permiſerit. Sed & PP. antiqui paſſim, & Concilia docuerunt indiſſolubile eſſe matrimonium etiam facto quolibet legitimè divortio. Ita poſtremò ſancitum eſt in Conc. Trident. ſeſſ. 24. can. 7. Vide PP. apud Maldon. Ianſen. Corn. à Lapide & alios. Item vide ſuprà cap. 49. ubi ipſe Matthæus cap. 5. clarè dicit:* Quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam fornicari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. *Eodem modo hic exponere licet: q. d. Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, mœchatur, id eſt facit eam mœchari: & quicumque aliam duxerit, (quacumque de cauſa priore conjuge dimiſſâ) mœchatur .i. adulterium contra priorem uxorem committit, ut Marcus interpretatur. Ita Maldonatus.*

Annus Chriſti 33. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Decembri.

rium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimi-
ſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur.
2 ᵃ Dicunt ei diſcipuli eius: Si ita eſt cauſa ho-
minis cum uxore, non expedit nubere. Qui
dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud,
3 ſed quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi, qui
de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi,
qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi,
qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cæ-
lorum. Qui poteſt capere, capiat.

CAPUT CXXXI.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Ianuario. A Lapide.

1. *A ſcandalo cavendum eſſe.*
2. *Proximo ignoſcendum.*
3. *Fidem ardentem eſſe debere, & humilitati coniunctam.*
4. *Servos nos inutiles eſſe, Deique donis indignos.*

Luc. 17. 1.

1 ET ait ad diſcipulos ſuos: * Impoſſibi-
C. 98. le eſt ut non veniant ſcandala: væ
autem illi, per quem veniunt. Vtilius eſt
illi, ſi lapis molaris imponatur circa col-
lum eius, & proijciatur in mare, quàm
ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis. At-
2 tendite vobis: Si peccaverit in te frater
tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam e-
C. 99. gerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die pec-
caverit in te, & ſepties in die converſus
fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte
3 illi. Et dixerunt Apoſtoli Domino: Adau-
C. 93. ge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si
habueritis fidem, ſicut granum ſinapis,

* Impoſſibile &c. *Vide ſuprà cap. 98.*

 dicetis

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 3.
Geſta in Bethabara menſe Ianuario.
A Lapide.

dicetis huic arbori moro: Eradicare, & trans-
plantare in mare: & obediet vobis. * Quis au- 4
tem veſtrûm habens ſervum arantem, aut
paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi:
Statim tranſi, recumbe: & non dicat ei: Para
quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mi-
hi donec manducem & bibam, & poſt hæc tu
manducabis & bibes? Numquid gratiam ha-
bet ſervo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?
Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ
præcepta ſunt vobis, dicite: * Servi inuti-
les ſumus: quod debuimus facere, fecimus.

* Quis autem veſtrûm &c. *Voluit Chriſtus fidem ſimilem eſſe grano ſinapis, ſc. ardentem, efficacem, humilem. Subjicit nunc de humilitate documentum, propoſitâ ſimilitudine ſervi agros colentis, aut greges paſcentis, cui à laboribus redeunti non ſtatim præcipit dominus domum ingredi, menſæ accumbere, & cœnare, ſed vult primùm ſibi cibos parari, ac miniſtrari, nec pòſt grates ſervo agit pro obſequijs debitis.*

* Servi inutiles ſumus, *quia nimirum nihil ex nobis* Deo *gratum præſtare poſſumus, nullam ei utilitatem adferimus; ſed omnia ei debita ſunt tamquam uni Domino, Creatori, Conſervatori, atque Redemptori omnium. Ipſe tamen non hominum more agit, ſed erga ſervos ſuos munificentiſſimus eſt.*

CAPUT CXXXII.

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 3.
Geſta in Bethabara menſe Ianuario.

1. *Docet Chriſtus in hoc primo ſuo adventu nihil eſſe ſpectabilis majeſtatis.*
2. *Præmonet adventum ſuum ad judicium fore repentinum & inexpectatum, ac fulguris inſtar toti mundo conſpicuum: ad quem velut aquilæ, Sancti advolabunt.*
3. *Tunc longè diſparem fore hominum conditionem, licet in vita parium, atque idem munus obeuntium.*

Luc. 17. 20.

Nota, *Iudæos tantùm unicum agnoviſſe Meſſiæ adventum:* Chriſtus *verò hîc duplicem exponit. Rogant ergo:* * *Quando*

INterrogatus au- 1
tem à Phariſæis:
Quando

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 3.
Geſta in Bethabara menſe Ianuario.

* Quando venit regnum Dei? reſpondens
eis, dixit: Non venit regnum Dei cum
obſervatione: neque dicent: Ecce hic,
aut ecce illic. * Ecce enim regnum Dei
intra vos eſt. Et ait ad diſcipulos ſuos:
* Venient dies, quando deſideretis vide-
re unum diem Filij hominis, & non vi-
debitis. * Et dicent vobis: Ecce hîc, &
ecce illic. Nolite ire, neque ſectemini.
* nam, ſicut fulgur coruſcans de ſub cæ-
2 lo, in ea quæ ſub cælo ſunt, fulget: ita
erit Filius hominis in die ſua. Primùm
autem oportet illum multa pati, & re-
probari à generatione hac. Et ſicut fa-
C.168. ctum eſt in diebus Noë, ita erit in die-
bus Filij hominis. Edebant, & bibebant:
uxores ducebant, & dabantur ad nuptias,

* Quando venit regnum Dei? *.i. Quando tandem veniet regnum illud tuum, quod ſemper prædicas? Reſpondit Chriſtus:* Non veniet *ita ut obſervari poſſit ex talibus ſignis, qualia vos expectatis; non veniet conſpicuum & notabile externâ majeſtatis pompâ & ſplendore, ex quo cognoſci poſſit: neque hîc aut illic figet ſedem regiam, ut terreni ſolent principes. loquitur enim hîc Chriſtus de primo ſuo, humilique adventu, quem hac ſuâ interrogatione Phariſæi irridebant, ut ait Euthym.*

* Ecce enim regnum Dei intra vos eſt. *Id eſt 1. Regnum hoc non venturum eſt, ſed præſens adeſt. 2. Regnum Chriſti in ijs quæ ad animum pertinent, non in externo ſplendore poſitum eſt. 3. Non longè quærendum eſt regnum Dei, ſed in animis hominum, quibus nihil interius aut præſentius eſſe poſſit. Non eſt ergo regnum Dei oculis corporeis ſpectabile, ut putabant Phariſæi. Hæc de regno gratiæ, & primo adventu, in quo non dicebatur quod de terrenis regnis: Ecce ſedes regia & aula Meſſiæ in hac vel illa civitate eſt.*

* Venient dies &c. *Veniet tempus perſecutionis, quando expetetis vel uno die frui præſentiâ meâ, quemadmodum jam fruimini.*

* Et dicent vobis &c. *.i. Tunc dicetur vobis à Pſeudoprophetis & deceptoribus:* Ecce hîc eſt Chriſtus. *ſed nolite credere: nam ſecundus Meſſiæ adventus erit omnibus manifeſtus ac glorioſus.*

* Nam ſicut fulgur &c. *q. d. Sicut fulgur ſubitò, celerrimè & manifeſtè ex cælo in terram delabitur & effulget, ſic exurget inopinatò regnum Dei in ſecundo meo ad judicium adventu. Quare tunc nullâ mei obſervatione aut ſigno erit opus, quia toti mundo aſpectabilis & glorioſus apparebo.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 2. Geſta in Bethabara menſe Ianuario.

uſque in diem, quâ intravit Noë in arcam : & venit diluvium, & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth : Edebant, & bibebant : emebant, & vendebant : plantabant, & ædificabant : quà die autem exijt Loth à Sodomis, * pluit ignem & ſulphur de cælo, & omnes perdidit : ſecundùm hæc erit quâ die Filius hominis revelabitur. In illa hora, qui fuerit in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa; & qui in agro, ſimiliter non redeat retrò. Memores eſtote uxoris Loth. Quicumque quæſierit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam : & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. Dico vobis : * In illa nocte erunt duo in lecto uno; unus aſſumetur, & alter relinquetur : 3
duæ erunt molentes in unum ; una aſſumetur, & altera relinquetur : duo in agro ; unus aſſumetur, & alter relinquetur. Reſpondentes dicunt illi : * Ubi Domine? Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. cap. 166.

* Pluit ignem &c. *Gen.* 19. 24. Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem.

* In illa nocte, *vid. in ſecundo Chriſti adventu unus aſſumetur ad vitam glorioſam, alter reprobabitur.*

* Vbi Domine? *i. Quò? ſc. aſſumetur?*

Qui dixit illis; Vbicumque fuerit corpus &c. *Eſt parabola ſignificans rem latere non poſſe : innuit enim, fideles quaſi aquilas, vi divinâ rapiendos obviàm Chriſto, ut illo in æternum reficiantur & ſaturentur, & irretortis oculis Solem juſtitiæ intueantur. S. Hilarius, & alij putant hunc Chriſti adventum fore in monte Calvariæ, ubi cadaver eius pependit in cruce : nam in valle vicina Ioſaphat futurum iudicium docet propheta Ioël cap.* 3. 2.

CAPUT

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 3.
Geſta in Bethabara menſe Ianuario.

CAPUT CXXXIII.

1. *Parabola viduæ importunis precibus juſtitiam poſtulantis ſignificat, in oratione perſeverandum.*
2. *Vltimis enim temporibus fides & oratio elangueſcent.*

Luc. 18. 1.

1 DIcebat autem & * parabolam ad illos,
quoniam * oportet ſemper orare, & non
deficere, dicens: Iudex quidam erat in qua-
dam civitate, qui Deum non timebat, & ho-
minem non reverebatur. Vidua autem quæ-
dam erat in civitate illa, & veniebat ad eum,
dicens: * Vindica me de adverſario meo. Et
nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem
dixit intra ſe: Etſi Deum non timeo, nec ho-
minem revereor: tamen quia moleſta eſt mi-
hi hæc vidua, vindicabo illam, * ne in noviſ-
ſimo veniens ſuggillet me. Ait autem Domi-
nus: Audite quid iudex iniquitatis dicit: Deus
autem non faciet vindictam electorum ſuo-
rum clamantium ad ſe die ac nocte, & * pa-
tientiam habebit in illis? Dico vobis, quia ci-
2 tò faciet vindictam illorum. Verumtamen

 Filius

* Parabolam. *Hæc parabola præcedentibus cohæret: docet enim orandum eſſe contra perſecutiones, & inopinatum judicij diem.*

* Oportet ſemper orare. *Simpliciſſimus ſenſus eſt, non eſſe abjiciendum animum, dum non videmur conſequi quod petimus; ſed inſtandum, pulſandum, iterumque idem petendum, donec obtineamus. Hoc ſenſu dicitur 1. ad Theſſal.* 5. 17. Sine intermiſſione orate.

* Vindica me &c. *.i. Tuere me ab injuria, quam adverſarius mihi facit. non enim vindictam, ſed juſtitiam petebat.*

* Ne in noviſſimo &c. *q. d. ne poſtquam magiſtratu perfunctus fuero, magis mihi moleſta ſit, ſi fortè me malè adminiſtrati officij neglectæque reipublicæ accuſaverit; vindicabo illam. Maldonatus.*

* Patientiam habebit in illis? *.i. num ſemper patienter feret, ut ſui ab impijs opprimantur?*

* Inveniet fidem in terra? *q. d. Pauciſſimi erunt qui fidem ſervaverint in ſuperioris temporis afflictionibus, & in oratione conſtantiam.*

Filius hominis veniens, putas, *inveniet fidem in terra?.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Februario. Corn. à Lapide.

CAPUT CXXXIV.

1. *Phariſæi arrogantis, & publicani humilis parabola.*
2. *Humilem orationem ipſoſque humiles Deo acceptos eſſe, & contrà.* Luc. 18. 9.

* In ſabbato *.i. in hebdomada unaquaque nam hebdomada à ſabbato incipiens. & in ſabbatum deſinens, ſabbatum hîc vocatur à præcipuo die.*

* Ab illo *.i. præ illo, magis quàm ille, vel potiùs quàm ille.*

C. 113. & 161.

DIxit autem & ad quoſdam, qui in ſe 1
confidebant tamquam juſti, & aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam: Duo homines aſcendebant in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum: raptores, injuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus. jejuno bis * in ſabbato: decimas do omnium quæ poſſideo. Et publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cælum levare; ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus
propitius eſto mihi peccatori. Dico vo- 2
bis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam * ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

CAPVT CXXXV.

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Februario.

CAPUT CXXXV.

1. *IESVS parvulis manus imponit.*
2. *Parvulorum eſt regnum Dei.* Matth. 19. 13. Marc. 10. 13. Luc. 18. 15.

1 [a] TUnc * oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos, [&] [b] comminabantur offerentibus. Quos cùm videret IESVS, indignè tulit, & [c] convocans illos, dixit:
2 [b] Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim eſt regnum Dei. Amen dico vobis: * Quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos. [a] Et cùm impoſuiſſet eis manus, abijt inde.

* Oblati ſunt ei parvuli. *Lucas ait:* Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret.

* Quiſquis non acceperit &c. *Idem eſt atque illud Matth.* 18. 3. Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli &c. *Vide ſuprà cap.* 96.

CAPVT CXXXVI.

1. *Opulentus ac nobilis adoleſcens Chriſtum ſequi recuſat.*
2. *Difficile eſt, & humanis viribus majus, divitiarum cupidos ſalutem conſequi; Deo tamen auxiliante nihil hominibus arduum.*

Matth. 19. 16. Marc. 10. 17. Luc. 18. 18.

[b] ET cùm egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam [c] princeps, [b] genu flexo ante eum, rogabat eum: [a] Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? [b] IESVS autem dixit ei: Quid me dicis bonum, [&]

[a] me

Annus Chriſti 31.
Prædicationis 3.
Geſta in Bethabara menſe Februario.

* Nemo bonus, *ſc. naturâ ſuâ. Non negat Chriſtus divinitatem ſuam, ſed humiliter laudem ſuam in Deum refert; quia hic interrogans non plenam habebat de Chriſto fidem, nec credebat eum eſſe Deum.*

* Dilexit eum *.i. dilectionis ac benevolentiæ ſigna oſtendit ei tamquam probo adoleſcenti, indoliſque optimæ.*

* Sequere me, *idem eſt quòd mihi meoque inſtituto obedi, meamque obedientiam ad mortem uſque imitare.*

[a] me interrogas de bono? [b] * Nemo bonus, niſi unus Deus. [a] Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Dicit illi: Quæ? IESVS autem dixit: [b] Præcepta noſti: [a] Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falſum teſtimonium dices: [b] Ne fraudem feceris: [a] Honora patrem tuum, & matrem tuam: &, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi à iuventute mea, quid adhuc mihi deeſt? [b] IESVS autem intuitus eum, * dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deeſt. [a] Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, * ſequere me. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis, [c] quia dives erat valde: [a] erat enim habens multas poſſeſſiones. [c] Videns
autem IESVS illum triſtem factum, [b] & cír- 2
cumſpiciens [a] dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis: [b] quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt! Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis eius. At IESVS rurſus reſpondens ait illis: Filioli, quàm difficile eſt, confidentes in pecunijs in regnum Dei introire! [a] Et iterum dico vobis: * Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum. [b] Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos:
[a] Quis

* Facilius eſt camelum &c. *De camelo, animali gibboſo, ad litteram intelligendum eſt. Proverbium eſt autem, ſignificans rem eſſe naturaliter impoſſibilem. Propriè enim impoſſibile eſt* apud homines, *(ut hìc dicitur) id eſt viribus naturæ, divitem ſaluari; ſed viribus gratiæ à Deo datis poſſibile eſt, imò facile, tam divitem pervenire ad ſalutem, quàm camelum per acum tranſire. Ita S. Hilar. Hieron. & alij.*

ª Quis ergo poterit ſalvus eſſe? ᵇ Et intuens illos IESVS, ait: Apud homines * impoſſibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.

* Impoſſibile eſt, *videlicet, naturæ viribus, ut dictum. 2. Impoſſibile ſæpè vocat Scriptura quod admodùm difficile eſt.*

CAPVT CXXXVII.

1. *Apoſtolis, eorumque ſectatoribus ſedes judiciarias promittit, ut nempe in extremo judicio Chriſto Iudici quaſi principes aſſiſtant, eandemq; cum ipſo ferant ſententiam.*
2. *Ceteris, qui ſua, ſuoſque amore Dei reliquerint, centuplum, ac vitam æternam pollicetur.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Februario.

Matth. 19. 27. Marc. 10. 28. Luc. 18. 28.

1 ª TUnc * reſpondens Petrus, dixit ei: Ecce
nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus
te: quid ergo erit nobis? IESUS autem dixit
illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti
eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius
hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis &
vos * ſuper ſedes duodecim, * iudicantes duo-
2 decim tribus Iſraël. Et omnis qui reliquerit
domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem,
aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros,
propter nomen meum, ᵇ & * propter Euange-
lium, ª * centuplum accipiet, ᵇ nunc & in tem-
pore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & ma-
tres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in
Oo ſæculo

* Reſpondens Petrus &c. *Petrus hoc quærit à Chriſto occaſione conſilij Euangelici, quod adoleſcens ſequi detrectaverat.*

* Super ſedes duodecim. *Numerus definitus hîc pro indefinito ponitur. Sedes enim erunt pro omnibus perfectis Chriſti ſectatoribus.*

* Iudicantes, *ſc. quaſi primarij Chriſti aſſeſſores, cùm Chriſto in ſuis thronis conſidentes, judiciumque exercentes, ſicut Cardinales cum ſummo Pontifice judicant. Cornelius à Lapide.*

* Propter Euangelium. *S. Lucas habet*, propter regnum Dei.

* Centuplum *.i. multis partibus majora bona, & (ut ait Lucas)* multò plura: *quia talis alios fideles multos experietur, qui ſibi amorem fratris, uxoris, parentum impendant. Ita Orig. & Theophyl.*

* Multi autem &c. *Multi eorum, qui in hoc ſeculo ſunt primi viribus, divitijs, ſcientiâ, auctoritate, honore; in altero illo æterno erunt ultimi, id eſt, nulli, contemnentur, abjicientur, alieniſſimi erunt, & remotiſſimi à vita æterna & omni bono. Contrà multi eorum qui hîc abiecti & contempti, in cælo primis potientur. Ita Franc. Lucas. Vide cap. ſequens, &* Nota, *hanc ſententiam declarari parabolâ ſequenti, cui iterum ſubjicitur.*

ſæculo futuro vitam æternam. * Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

CAPUT CXXXVIII.

Parabola vineæ, & ſcopus.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Februario.

1. *Paterfamiliàs multos ad vineam ſuam excolendam variis horis conducit; quorum noviſſimè vocati præferuntur primis.*
2. *In hunc modum, gentiles in Chriſtum credentes licet poſtremùm vocati ſunt; Iudæis tamen primùm vocatis, in die judicij anteponentur.*
3. *Similiter quicumque maioribus gratiæ donis, maiori quoque fervore cooperati fuerint, licet brevi tempore laboraverint; præferentur tamen in cæleſti gloria alijs diuturno tempore, ſed oſcitanter vineam Dei excolentibus.* Matth. 20. 1.

* Simile eſt regnum cælorum &c. 1. *Scopus hujus parabolæ eſt, oſtendere, ex Dei gratia, & ſine ulla injuſtitia fore, ut Apoſtoli in duodecim thronis ſedentes, Phariſæis præferantur, uti & gentiles Chriſtiani Iudæis, qui primùm à Deo vocati, ſub umbris laborioſiſſimè ſervierunt; quia nimirum hi legi, & operibus legis falsò confiſi, Chriſti fidem repulerunt, & regnum Dei quaſi ſibi ex parentibus debitum arrogarunt: unde ab eo exciderunt facti noviſſimi, gentiles verò fidei & gratiæ Chriſti, quam longè Iudæis uberiorem habuerunt, humillimè ſe ſubjecerunt, & ſtrenuè illi cooperati ſunt, ideoque præ iſtis electi ſunt. Hunc eſſe ſcopum patet ex clauſula,* Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. *item ex Luc. 13. 30. Ita à Lapide, Ianſenius, Franciſcus Lucas, Vaſquez in 1. p. q. 12. a. 6. fuſiùs docent.*

Vinea *ergo eſt Eccleſia. Primùm vocati, ſunt Iudæi.* Horâ undecimâ, *id eſt, ultimâ mundi ætate vocati, ſunt gentes & Chriſtiani.* Veſpera *eſt dies judicij.* Denarius *eſt integra merces diurna: qui idem eſt in genere & in confuſo, ſed in numero, ſpecie & gradu valde eſt diſpar: Iudæis enim eſt merces temporalis, Chriſtianis verò eſt vita æterna. 2. Conſtat vulgò longè aliter hanc parabolam exponi, quàm modò dictum eſt; nimirum quaſi Chriſtus*

SImile eſt regnum cælorum homini patrifamiliàs, qui exijt primò mane conducere operarios

Annus Chriſti 34. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Februario.

operarios in vineam ſuam. Conventione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa ſextam, & nonam horam: & fecit ſimiliter. Circa undecimam verò exijt, & invenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cùm ſerò autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem. incipiens à noviſſimis uſque ad primos. Cùm veniſſent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes murmurabant adverſus patremfamiliàs, dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus. At ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nónne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo, facere? An

Chriſtus velit primos ac noviſſimos eandem vitam æternam accepturos eſſe. Qui ſenſus valdè probabilis eſt, & priori adjungi poteſt. Ita à Lapide. Imò pleriquo PP. intelligunt Sanctos diverſorum graduum & ſtatuum in cœlo; nimirum Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, S. Thomas, pluresque alij. Iuxta hunc ſenſum per diem accipe mundi curſum vel tempus; per horas, diverſas mundi ætates, ut 1. ſit ab Adam ad Noë. 3. à Noë ad Abraham. 6. ab Abraham ad Moyſen. 9. à Moyſe ad Chriſtum. 11. à Chriſto ad finem mundi. Ita Hilarius, Gregorius, Theophylactus. Alij verò per horas intelligunt varias vitæ humanæ ætates, ut prima ſit pueritia, 3. tempus pubertatis, 6. matura ætas, 9. ætas jam ad ſenium declinans, 11. ultima ſenectus, aut finis vitæ, quo latro in cruce vocatus fuit. Ita S. Hieronymus, Ianſenius, & alij.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 3. Geſta in Bethabara menſe Februario.

oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: * multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. V. ſup. c. 122. V. infrà c. 156.

* Multi enim ſunt vocati &c. *Hæc eadem verba Chriſtus protulit Matth.* 22. 14. *ratione hominis non veſtiti veſte nuptiali, ut infrà cap* 156.

Porrò, multi, *id eſt omnes ſunt vocati ad vitam æternam; dicit tamen* multi, *quia omnes ſunt multi, & quia eos opponit paucis, qui erunt electi.*

Nota, *juxta primum parabolæ ſenſum ſuprà expoſitum, noviſſimos futuros in cælo primos, eſſe electos: primos verò futuros in cælo noviſſimos, eſſe vocatos dumtaxat, qui vocationem ſuam non ſunt ſecuti, vel eam deſeruerunt, ideóque ſunt damnati. Hi multi ſunt, ſi cùm electis & ſalvandis, qui pauci ſunt, conferantur. Matth.* 7. *v.* 14. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inveniunt eam! *Iuxta ſecundum verò ſenſum quo & primis & noviſſimis conceditur locus in regno cælorum, poſterior ſententia,* Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi, *diverſa eſt à prima:* ſic erunt noviſſimi primi & primi noviſſimi; *ac difficile eſt eas inter ſe connectere. Vnde nonnulli ſic exponunt poſteriorem* Multi, *id eſt omnes*, ſunt vocati *ad gratiam & ad obſervationem mandatorum, ſed* pauci electi *ad gratiam eximiam, & obſervationem conſiliorum Evangelicorum. Verùm quis ſit hujus loci proprius, veruſque ſenſus, omninò patet Matth.* 22. *v.* 14. *ſuprà dicto, ubi eadem verba à Chriſto repetita. Prior verò locus ſatis exponitur Luc.* 13. *v.* 30. *ubi de gentium electione, & Iudæorum repulſa à regno Dei dicit Chriſtus:* Et ecce ſunt noviſſimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt noviſſimi, *ut ſuprà cap.* 122. *quod vide, & infra cap.* 156. *in fine.*

Nota *denique varia eſſe in hac parabola emblematica, quæ vix poſſunt, nec debent rebus ſignificatæ applicari, quod alibi dicitur.*

VITÆ
DOCTRINÆQVE
CHRISTI
PARS VI.

Annus 34. vitæ Chriſti, & prædicationis 4. complectens tùm acta eius à menſe Martio & Lazari ſuſcitatione, tùm paſsionem, mortem & reſurrectionem uſque ad aſcenſum eius in cælum.

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta Bethaniæ menſe Martio.
A Lapide.

CAPUT CXXXIX.

1. *Lazarus à Chriſto dilectus morbo affligitur, & moritur.*
2. *Chriſtus vitæ & reſurrectionis noſtræ auctor ad eum à morte ſuſcitandum accedit.*
3. *Ob Lazarum defunctum, ac ſororum eius mæſtitiam, ex commiſerationis affectu plorat; ob Iudæorum verò infidelitatem cum fremitu indignatur.*
4. *Verbo & imperio, ceu vitæ neciſque Dominus, Lazarum à morte & monumento ad vitam revocat.*

Ioan. 11. v. 1.

ERat autem quidam languens Lazarus à 1
Bethania, de caſtello Mariæ, & Marthæ
ſororis eius. (Maria autem erat, * quæ vnxit
Dominum unguento, & exterſit pedes eius
capillis ſuis: cujus frater Lazarus infirmaba-
tur.) Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, di-
centes: Domine, ecce quem amas infirmatur.
Audiens autem IESVS, dixit eis: Infirmitas
hæc * non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut
glorificetur Filius Dei per eum. Diligebat au-
tem IESVS Martham, & ſororem eius Ma-
riam, & Lazarum. Ut ergo audivit quia in-
firmabatur, tunc quidem * manſit in eodem
loco duobus diebus. Deinde poſt hæc dixit di-
ſcipulis

Nota, *hanc Lazari ſuſcitationem contigiſſe paulò ante quartum & ultimum Paſcha Chriſti, quo crucifixus eſt: imò ipſa fuit occaſio necis Chriſti. Probabile quoque eſt, eandem hiſtoriam contigiſſe ſub idem tempus, quo legi ſolet in Eccleſia, videlicet quatuordecim diebus ante Chriſti paſſionem.*

Nota 2. *hunc annum tantùm complecti Martium & Aprilem, atque initium Maij. Chriſtus enim ſuſcitavit Lazarum poſt initium Martij, crucifixus eſt 25. Martij, reſurrexit 27. ejuſdem, aſcendit in cælum 5. Maij, anno ætatis ſuæ 34. inchoato per quatuor menſes. Ita à Lapide & alij.*

* Quæ unxit. *Veri ſimile eſt Euangeliſtam reſpexiſſe ad unctionem in Bethania, quam mox c. 12. iiſdem verbis refert. Ianſen. vel potius de utraque unctione intellige, ut Fr. Lucas.*

* Non eſt ad mortem, *ſcilicet talem, qualis eſſe ſolet communis hominum mors, à qua non eſt reditus ad vitam & ad hoc ſæculum.*

* Manſit in eodem loco, *ſcilicet in Bethabara trans Iordanem.*

Digitized by Google

ſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Reſpondit IESVS: * Nónne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: ſi autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo. Hæc ait, & poſt hæc dixit eis: Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado ut à ſomno excitem eum. Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſalvus erit. Dixerat autem IESVS de morte eius: illi autem putaverunt quia de dormitione ſomni diceret. Tunc ergo IESVS dixit eis manifeſtè: Lazarus mortuus eſt: & gaudeo propter vos, ut credatis, * quoniam non eram ibi. ſed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum
2 eo. Venit itaque IESVS: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. (Erat autem Bethania juxta Ieroſolymam quaſi * ſtadijs quindecim.) Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo. Martha ergo ut audivit quia IESVS venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat. Dixit ergo Martha ad IESVM: Domine, ſi fuiſſes hìc, frater meus non fuiſſet mortuus: ſed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi IESVS: Reſurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die. Dixit ei IESUS: Ego

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Bethania menſe Martio.

* Nónne duodecim &c. *Comparat Chriſtus tempus vitæ ſuæ duodecim horis diei. q. d. Quamdiu ego vivo, non offendetis, me ſequendo; at ubi nox venerit, & vita meæ occaſus, Iudæi vos perſequentur & occident.*

* Quoniam non eram ibi. *Hæc verba jungenda ſunt cum voce* gaudeo, *q. d. Gaudeo me non interfuiſſe morti Lazari, ut vos firmiùs credatis viſâ reſuſcitatione mortui quatriduani.*

* Stadijs quindecim .i. *duobus milliaribus Italicis, uno ſtadio excepto. Octo enim ſtadia conficiunt unum milliare Italicum, & tria milliaria Italica iter unius horæ, ſive leucam.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta Bethaniæ menſe Martio.

* Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti. Et cùm hæc dixiſſet, abijt, & vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te. Illa ut audivit, ſurgit citò, & venit ad eum: nondum enim venerat IESVS * in caſtellum: ſed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exiit, ſecuti ſunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo cùm veniſſet ubi erat IESVS, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hîc, non eſſet mortuus frater meus. IESVS ergo 33 ut vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes, * infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. Et lachry-

* Ego ſum reſurrectio. *Chriſtus reſurrectionis noſtræ cauſa eſt quadruplex, ſc. meritoria, efficiens, exemplaris, & finalis.*

* In caſtellum, *id eſt*, in pagum, *ut habet Syrus. Sepulchrum autem Lazari erat extra pagum more Iudæorum.*

* Infremuit ſpiritu. *i. Excitavit in ſe indignationem ob Iudæorum infidelitatem.* 2. *Indignatus eſt erga mortem & diabolum, cujus invidiâ mors intravit in orbem terrarum, quæ tanti luctus & ploratus hujus fuerat cauſa. Ita S. Auguſtin. & Cyrill. Elicuit autem in ſe liberè Chriſtus & ſponte ſuâ, affectum magnum tùm indignationis jam dictæ, tùm etiam commiſerationis & lacrymarum (ut mox ſequitur) ob dolorem ac ploratum communem Marthæ, Mariæ & ceterorum.*

Nota. *Chriſtus videtur hoc ultimo menſe Martio quater fuiſſe lacrymatus; nimirum hoc loco, & ſuper Ieroſolymæ excidium, ut ſequitur cap.* 149. Tertiò *quoque flevit in cruce, ad Hebræos cap.* 5. *v.* 7. cum clamore valido & lacrymis, *dicens:* Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Quartò *denique in horto & inter ſudores ſanguineos fleviſſe Chriſtum licet Scriptura non meminerit, valde tamen credibile eſt; idque S. Thomas & alij docent. Et ita Bellarminus de gemitu l.* 1. *cap.* 10.

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Bethania menſe Martio.

lachrymatus eſt IESVS. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? IESVS ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum. Erat autem ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait IESVS: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror eius qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, * quatriduanus eſt enim. Dicit ei IESVS: Nónne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. IESVS autem elevatis ſurſum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi * quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: ut credant quia
4 tu me miſiſti. Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus * inſtitis, & facies ejus ſudario erat ligata.

P p — Dixit

* Quatriduanus eſt enim. *Probabilius videtur, Lazarum eo die, quo nuncius ad Chriſtum venit, defunctum fuiſſe, & die poſtero ſepultum. Die autem ſepulturæ & ſequenti manſit Chriſtus in Bethabara, 4. die diſceſſit, 5. verò die ſub meridiem appulit in Bethaniam. Iter enim hoc ex Bethabara erat decem circiter horarum. Ita F. Lucas.*

* Quoniam audiſti me. *i. quia hactenus me orantem ſemper exaudiſti, uti & nunc.*

* Inſtitis. *i. faſciis funereis & ſepulchralibus. Duplex hic notatur miraculum: primum vid. mortui ſuſcitatio; alterum, quòd adhuc pedibus colligatis, & faciem obvolutus directè tamen ambularet, & pergeret ad Chriſtum. Ita Chryſoſt. Theophyl. & alij.*

Nota. *Chriſtus in Euangelio legitur tres defunctos ad vitam revocaſſe, nempe 1. filiam Archiſynagogi, de quo ſuprà cap. 42. 2. filium viduæ in Naim, cap. 57. 3. Lazarum hoc loco. Prima autem ſuſcitata, vid. filia Archiſynogi, ſymbolicè notat pœnitentiam eius, qui cogitatione tantummodò & moroſâ mentis delectatione peccavit: adoleſcens ſignificat pœnitentiam eius, qui cogitationem opere perpetravit; Lazarus denique pœnitentiam eius, qui peccandi habitum & conſuetudinem induxit. talis enim difficillimè ad vitam ſpiritualem revocatur: unde efficaciſſimâ Dei gratiâ & vocatione indiget; cuius rei ſymbolo, Chriſtus fremens, lachrymans, magnâque voce clamans:* Lazare veni foras, *eundem à morte ſuſçitavit. Ita Rabanus.*

Nota

Nota porrò, quod ait hoc loco D. Auguſtin. Tres mortuos invenimus à Domino reſuſcitatos viſibiliter, millia inviſibiliter. Quot autem mortuos viſibiliter ſuſcitaverit, quis novit? non enim omnia quæ fecit, ſcripta ſunt. *Ita ille ſerm. 44. de verbis Domini, in Ioan.*

Dixit eis IESVS: Soluite eum, & ſinite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit IESVS, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit IESVS.

CAPUT CXL.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta Ieroſolymæ menſe Martio. Abijt Chriſtus & moratur in Ephrem.

1. *Pontifices in concilio Chriſtum interficiendum eſſe decernunt.*
2. *Summus Pontifex de morte illi in ſalutem gentium inferenda vaticinatur.*
3. *Chriſtus ad dies paucos ſe in civitatem Ephrem ſubducit.* Ioan. 11. 47.

COllegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, * omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem. Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophe- 1 2

* Omnes credent &c. *i. Omnes in eum credent, & ſequentur: & hac occaſione venient Romani cum exercitu ad nos ut rebelles, & deſerto Cæſare ad Meſiam regem deficientes, & tollent templum hoc & civitatem hanc ſanctam cum univerſa terra; & nationem noſtram diſſipabunt, perdent, alioque transferent. De hoc politico ſtolidoque principum conſilio ita S. Auguſtin. hoc loco:* Temporalia (*inquit*) perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac ſic utrumque amiſerunt.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta Ieroſolymæ menſe Martio. Abit Chriſtus & moratur in Ephrem.

* prophetavit, quod IESVS moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.
3 Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. IESVS ergo jam non palam ambulabat apud Iudæos, ſed abijt in regionem juxta deſertum, in civitatem quæ dicitur * Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. Proximum autem erat Paſcha Iudæorum: & aſcenderunt multi Ieroſolymam de regione ante Paſcha, ut ſanctificarent ſeipſos. Quærebant ergo IESVM: & colloquebantur ad invicem in templo ſtantes: Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum? Dederant autem Pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum.

* Prophetavit. *Hoc Caiphæ pronunciatum prophetia fuit juxta ſenſum, quem Spiritus ſanctus intelligi voluit; contrà verò blaſphemia fuit juxta ſenſum & mentem Caiphæ. Hic enim ex odio privato, mente linguâque perverſâ, adeoque diabolo inſtigante aſſeruit, expedire ut IESVS, quantumvis inſons & juſtus, quique ſe tot ſignis Meſſiam probabat, nihilominus interficiatur, ne fortè populus pereat, at temporalis damni periculum patiatur. Ita Franc. Lucas.*

* Ephrem, *vel Ephraim eſt oppidum humile, ſeptem horis Ieroſolymâ diſtans, ſitum juxta deſertum Hai, cis Iordanem in Iudææ limitibus. Adrichom.*

CAPUT CXLI.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in itinere ex Ephrem Ieroſolymam, menſe Martio.

1. *Sub Paſcha poſtremùm ex Ephrem Ieroſolymam aſcendit.*
2. *Imminentem ſibi mortem ac reſurrectionem prædicit.*
3. *Sublimia hæc nimis, & adhuc recondita myſteria obtuſis mentibus Apoſtoli non attingunt.*

Matth. 20. 17. Marc. 10. 32. Luc. 18. 31.

1 [b] ERant autem in via aſcendentes Ieroſolymam: & præcedebat illos IESVS, &

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in itinere ex Ephrem Ieroſolymam, menſe Martio.

* Stupebant. *i. vehementer admirabantur conſilium Chriſti, in manifeſtum vitæ periculum ſe deliberato animo conjicientis.*

* ſtupebant : & ſequentes timebant. Et aſſu-
mens iterum duodecim ᵃ ſecretò , ᵇ cœpit illis
dicere quæ eſſent ei eventura. Quia ecce aſcen- 2
dimus Ieroſolymam : ᶜ & conſummabuntur
omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de Fi-
lio hominis. Tradetur enim ᵇ principibus ſa-
cerdotum, & Scribis & ſenioribus, & damna-
bunt eum morte, & tradent eum gentibus
ᵃ * ad illudendum, & flagellandum, & crucifi-
gendum : ᵇ & interficient eum, & tertia die
reſurget. ᶜ Et * ipſi nihil horum intellexerunt, 3
& erat verbum iſtud abſconditum ab eis, &
non intelligebant quæ dicebantur.

* Ad illudendum. *S. Marcus ait:* Et conſpuent eum.

* Ipſi nihil horum intellexerunt. *Intellexerunt quidem verba ſignificare amaram mortem & crucem, ſed non intellexerunt paſſionis dulce myſterium, utilitatem & cauſam; ideoque contriſtati ſunt, ut docet S. Hieron. can. 17. 2. Myſterium reſurrectionis minimè percipiebant, ut ſcribit Euthym. in Matth. & patet infrà, ubi de glorioſa Chriſti reſurrectione agitur; nimirum cap. 205. 206. & ſequentibus. Vide ibidem notata.*

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in itinere Ieroſolymam menſe Martio.

CAPUT CXLII.

1. *Iacobus & Ioannes primas ſedes ambiunt.*
2. *Chriſtus priùs calicem paſſionis eis propinat.*
3. *Apoſtolos omnes humilitatem docet.*

Matth. 20. 20. Marc. 10. 35.

* Accèdunt ad eum &c. *Venerunt ambo cum matre, & poſtularunt non ſuo quidem, ſed matris ore; ideoque Matthæus ait matrem poſtulaſſe, Marcus verò dicit poſtulaſſe filios. Simul & mater accesſit, & filij, ſimulque poſtularunt. Ita Barrad, alijque paſſim.*

ᵃ TUnc acceſſit ad eum mater filiorum Ze- 1
bedæi, cum filijs ſuis, adorans, & petens
aliquid ab eo. Qui dixit ei : Quid vis? Ait illi:
Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dex-
teram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.
ᵇ Et * accedunt ad eum Iacobus & Ioannes fi-

lij

Digitized by Google

lij Zebedæi, dicentes: Magiſter, volumus, ut
quodcumque petierimus, facias nobis. At ille
dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? Et dix-
erunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam,
& alius ad ſiniſtram tuam, ſedeamus in gloria
2 tua.[a] Reſpondens autem IESVS, dixit: * Ne-
ſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem,
quem ego bibiturus ſum? [b] aut baptiſmo, quo
ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei:
Poſſumus. IESVS autem ait eis: * Calicem
quidem, quem ego bibo, bibetis; & baptiſmo,
quo ego baptizor, baptizabimini: ſedere autem
ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, * non
eſt meum dare vobis,[a] ſed quibus paratum eſt
à Patre meo. Et audientes decem, indignati
3 ſunt de duobus fratribus. IESVS autem vo-
cavit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes
gentium dominantur eorum: & qui majores
ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit
inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos
maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in itinere Ieroſolymam, menſe Martio.

* Neſcitis &c. *Putabant Apoſtoli Chriſtum poſt reſurrectionem illico Ieroſolymis regnaturum, regnumque illud fore terrenum. Quod enim nihil ſpirituale peterent, nec de cæleſti regno quidquam cogitarent, perſpicuum eſſe, ait S. Chryſoſt. homil. 66. in Matth. Audiverant quippe ſuper duodecim ſedes ſeſſuros diſcipulos: unde nunc, Chriſto ad paſſionem proficiſcente, primatum bujus ſeſſionis petunt. Ita Euthymius & Chryſoſtomus. Has autem ſedes ambiebant ſine meritis præcedentibus, quia Chriſti cognati erant. Errabant ergo, & meritò reſponſum referunt,* Neſcitis quid petatis.

* Calicem quidem meum &c. *Calix in Scriptura ſignificat 1. cujuſque hominis ſortem à Deo deſtinatam, ſive bonam, ſive malam. 2. hereditatem. 3. paſſionem, ut hoc loco in primis ſumi videtur.*

* Non eſt meum &c. Non dixit Dominus, non eſt meum dare; ſed, non eſt meum dare vobis, non poteſtatem ſibi deeſſe aſſerens, ſed meritum creaturis. *Ita S. Ambroſ. lib. 5. de fide c. 2. Hæc igitur verba nullam in Filio oſtendunt impotentiam, ſed ſignificant in poſtulantibus digna ſedibus merita deeſſe, quæ tam Pater, quàm Filius reſpiciunt, non verò ſanguinis conjunctionem. 2. S. Auguſtinus, Beda & alij putant Chriſtum ſecundùm humanam naturam hic dicere:* Non eſt meum &c.

inter vos primus eſſe, [b] erit omnium ſervus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis.

CAPUT CXLIII.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in itinere prope Iericho menſe Martio.

1. *Cæcus clamoſâ & ardenti prece Chriſtum ad miſericordiam commovet.*
2. *Mox oculorum lumine recepto, Benefactorem ſequitur, laudeſque ejus prædicat atque divulgat.*

Luc. 18. 35.

1 FActum eſt autem, cùm appropinquaret Iericho, * cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans. Et cùm audiſſet turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd IESVS Nazarenus tranſiret. Et clamavit, dicens: IESV fili David miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipſe verò multò magis clamabat: Fili David miſerere mei. Stans autem IESVS iuſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appro- 2 pinquaſſet, interrogabat illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine ut videam. Et IESVS dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

* Cæcus quidam. *Alium hunc fuiſſe cæcum ab eo, de quo Marc.* 10. 46. *& Matth.* 20. 29. (*qui duos refert curatos*) *cenſent S. Auguſtin. & alij. Hic enim cæcus ante ingreſſum in Iericho; alij verò duo poſt egreſſum Chriſti è Iericho, illuminati ſunt, ut patet ex Euangelio.* Nota *cæcum hunc humani generis cæcitatem deſignare, ut docet S. Gregor. hom.* 2. *in Euang. Hac autem mentis cæcitate etiam Apoſtolos etiamnum laboraſſe patet cap.* 141. *ſuprà, & alibi.*

CAPVT CXLIV.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in urbe Iericho menſe Martio.

CAPUT CXLIV.

1. *Zachæus publicanorum princeps IESV videndi cupidus, ab ipſo, ex Sycomoro evocatur, eumque cum gaudio in domum ſuam recipit.*
2. *Bonis ſuis ſe abdicat, dimidium alterum reſtitutioni, alterum pauperibus relinquendo.*
3. *Ipſe viciſſim unà cum familia ſua, gratiæ cæleſtis gazâ, boniſque melioribus locupletatur.* Luc. 19. 1.

1 ET ingreſſus * perambulabat Iericho. Et
ecce vir nomine Zachæus: & hic * princeps erat publicanorum, & ipſe dives: & quærebat videre IESUM, quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem * ſycomorum ut videret eum: quia inde erat tranſiturus. Et cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens IESVS vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem pecca-
2 torem divertiſſet. Stans autem Zachæus, dixit
ad Dominum: * Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem

* Perambulabat Iericho *.i. tranſibat per mediam civitatem Iericho, per quam ex oppido Ephrem iter erat Ieroſolymam.*

* Princeps erat publicanorum, *Gr.* ἀρχιτελώνης, *ſeu pluribus publicanis præfectus, qui ſub ipſo vectigalia illius regionis colligerent, & ad ipſum deferrent; quæ ille deinde Romanis annumeraret. Franc. Lucas.*

* Sycomorum. *Hæc arbor ita dicta eſt, quaſi ficus morus: quia fructus habet ſimiles ficui, folia verò ſimilia moro. Ita Theophraſtus. Scribitur per* o *& per* ω. *Per* ω *ſcriptum ſignificat ficum fatuam, quaſi minimè fatuam.*

* Ecce dimidium &c. *Senſus eſt: Dimidium do pauperibus; alterum verò dimidium nolo mihi reſervare, ſed inter eos dividere, qui injuriâ à me affecti fuêre: & ſic ita abundè ſatisfaciam, ut quadruplo amplius quàm ſubripuerim, ipſis reſtituam. Omnibus ergo bonis ſuis ſe abdicare decernit. Ita Interpp. Franc. Lucas, Ianſen. & alij.*

Nota,

Nota, multos putare, Zachæum fuiſſe gentilem, inter quos eſt Tertull. Cyprian. Chryſoſtomus. Verùm æquè probabile eſt eum fuiſſe Iudæum, 1. quia à Chriſto vocatur filius Abrahæ. 2. quia Chriſtus tantùm cum Iudæis verſabatur. 3. quia Zachæus eſt nomen Hebræum. Vnde hoc ipſum fortè probabilius videtur, ut cenſent Ianſenius, & Corn. à Lapide.

aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait IESVS ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt: eò quod & ipſe filius ſit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in urbe Iericho menſe Martio.

CAPUT CXLV.

Parabolæ ſenſus, & ſcopus.

1. *Vſu evenit, ut vir nobilis ac potens peregrè proficiſcens, ſervis ſuis pecuniam ad negotiandum diſtribuat, & reverſus eandem cum lucro repoſcat.*
2. *In hunc modum Chriſtus in cælum aſcendens, Spiritu ſancto miſſo, dona gratiasque ſuas hominibus dilargitus eſt; ut in fine mundi ad judicandum rediens, unumquemque ex meritis remuneretur, aut plectat.* Luc. 19. 11.

* Dixit parabolam. *Nota, hanc parabolam diverſam eſſe ab ea quæ ſequitur hic cap. 170. vel potius unam diverſo modo repetitam, ut docet S. Chryſoſt.*

HÆc illis audientibus, adijciens, * dixit parabolam, eò quòd eſſet prope Ieruſalem: & quia exiſtimarent * quòd confeſtim regnum Dei manifeſtaretur. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reverti. Vocatis autem decem ſervis ſuis, dedit eis * decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. Cives

* Quod confeſtim regnum Dei &c. *Exiſtimabant Chriſtum nunc Ieroſolymam pergere, ut in regia civitate occuparet ſolium David. Ex hac enim opinione ſecuta ſunt ſolemnes illæ acclamationes in Dominica Palmarum.*

* Decem mnas. *μνᾶ Latinè mina dicta, conſtabat 60. ſiclis, ut patet Ezech 45. v. 12. Siclus verò valebat 4. drachmas, hoc eſt unum florenum Brabanticum. Quod intelligendum de mina argenti, vulgarique Hebræa. Ita à Lapide, & Franc. Lucas.*

Digitized by Google

Cives autem ejus oderant eum: & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos. Et factum eſt ut rediret accepto regno: & * iuſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquiſivit. Et ait illi: Euge ſerve bone, quia in modico fuiſti fidelis, * eris poteſtatem habens ſuper decem civitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinque civitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario: timui enim te, quia homo auſterus es: tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti. Dicit ei: De ore tuo te judico
*. cap. 17o. ſerve nequam. ſciebas quòd ego homo auſterus ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminavi: & quare non dediſti pecuniam meam * ad menſam, ut ego veniens * cum uſuris utique exegiſſem illam? Et adſtantibus dixit: Auferte

Qq ab

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in urbe Iericho menſe Martio.

* Iuſſit vocari ſervos. *Per hos accipiendi ſunt miniſtri Eccleſiæ, omneſque auxilio animarum deſtinati, ut intelligunt hic Theophylact. Euthym. Beda, Titus Boſtren. & alij. Poteſt tamen parabola Chriſtianis omnibus accommodari. Singulis his datur mina unica, id eſt eadem doctrina Euangelica.*

* Eris poteſtatem habens &c. *Indicatur hic parabc-licè præmium & honor, quo animarum lucro vacantes, in cælo afficientur. multos enim gloriæ magnitudine ſuperabunt.*

* Ad menſam, *Gr. Trapezitis .i. menſarijs ſive numyularijs. Ijdem dicuntur cambiatores. Hi ex cambio vel mutuo lucrum faciunt. Hoc lucrum in cambio licitum eſt, in mutuo illicitum & uſuræ peccatum. Chriſtus autem hîc loquitur parabolicè, ex Iudæorum conſuetudine & uſu. Hi enim ſibi illas apud gentes permiſſas à Deo putabant. Deuter. 23. 19.*

* Cùm uſuris &c. *Non probat Chriſtus hoc loco uſuram, ſed humano more, atque (ut dictum eſt) parabolicè loquitur. Ex parabolis autem tantum accipiendum, quantum ſervit propoſito, ut hîc lucri ſtudium, non uſuræ exemplum. Ita docet S. Chryſoſt. in Matth. 20. & alibi, ceterique paſſim Interpretes.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in urbe Iericho menſe. Martio.

ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia * omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me. Et his dictis præcedebat, aſcendens Ieroſolymam.

* Omni habenti dabitur &c. *Senſus eſt: Omni diviti meritorum, quia diligenter negotiatus eſt, dabitur præmium, & abundabit; pauperi autem meritorum, quia oſcitanter negotiatus eſt, etiam id quod boni operatus fuerit, nihil proderit: quoniam omnibus ſpoliatus detrudetur in gehennam. Vide infrà cap. 170. & ſuprà cap. 63.*

CAPUT CXLVI.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta ad urbem Iericho menſe Martio.

1. *Cæci duo vociferantes poſt egreſſum Ierichunte ſanantur.*
2. *Clamore magnò; id eſt ferventi oratione lumen ſpirituale, & omnia à Deo dona obtinentur.*

Matth. 20. 29. Marc. 10. 46.

[a] ET egredientibus illis ab Iericho, ſecuta eſt eum turba multa: & * ecce duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt quia IESVS tranſiret: & clamaverunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David. Turba autem

* Ecce duo cæci. Nota: *Cùm cæci mendicique apud Iudæos frequentes, ſymbola eſſent ac typi humani generis, peccatorum tenebris obcæcati, (ut docent S. Auguſtin. tract. 44. in Ioannem & S. Gregor. hom. 2. in Euang.) cujus ſanandi causâ Chriſtus in mundum venerat; ſeptem vicibus cæcos ab eo illuminatos, in Euangelio referri.* Primi *fuêre duo illi, de quibus agit Matthæus c. 9. 27. 2. fuit dæmoniacus cæcus & mutus, de quo Matth. 12. 22. 3. cæcus ſanatus in Bethſaida, Marci cap. 8. 24. 4. cæcus à nativitate Ioan. 9. v. 1. 5. fuit cæcus ante ingreſſum urbis Iericho, Luc. 18. 35. 6. fuêre duo cæci, de quibus hoc loco agitur, vid. poſt egreſſum è Iericho. 7. fuerunt illi, qui paulò pòſt in templo ſanati ſunt, Matth. 21. 14. Vide Indicem, ſi lubet de ſingulis hiſtoriam hic reperire.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta ad urbem Iericho menſe Martio.

tem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miſerere noſtri, fili David. Et ſtetit IESVS, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi noſtri. Miſertus autem eorum IESVS, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum.

Nota. *Marcus alterum tantummodo horum duorum nominat, quia is in urbe famoſus erat. Sic ergo refert:*

[b] PRoficiſcente eo de Iericho, & diſcipulis ejus, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, ſedebat juxta viam mendicans. Qui cùm audiſſet quia IESVS Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere: IESV fili David, miſerere mei. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multò magis clamabat: Fili David, miſerere mei. Et ſtans IESVS præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes ei: Animæquior eſto: ſurge, vocat te. Qui projecto veſtimento ſuo exiliens, venit ad eum. Et reſpondens IESVS dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam. JESVS autem ait illi: Vade, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta Bethaniæ 19. Martij.

* Ante ſex dies &c. *Vid. die Veneris ante Dominicam palmarum. Poſtridie verò in ſabbato cœna hæc facta eſt à Martha, Maria Magdalena & Simone Leproſo, Lazari (ut credibile eſt) à morte ſuſcitati gratiâ. Ita Cajetan, Barradius, Toletus & alij. Notandum enim eſt, à pluribus factam hanc cœnam, teſte Ioanne:* Fecerunt autē ei cœnā.

CAPUT CXLVII.

1. *Bethaniæ in domo Simonis Leproſi Maria Magdalena alterâ vice Chriſtum Dominum unguento nardino, optimoque perfundit.*
2. *Chriſtus eam à calumnia & prodigentiæ culpa tutatur.* Matth. 26. 6. Marc. 14. 3. Ioan. 12. 1.

[d] IESVS ergo * ante ſex dies Paſchæ venit 1
Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus,
quem ſuſcitavit IESVS. Fecerunt autem ei
* cœnam ibi [a] in domo * Simonis Leproſi: [d] &
Martha miniſtrabat, Lazarus verò unus erat
ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo [b] habens * alabaſtrum, [d] accepit libram unguenti
* nardi piſtici, pretioſi, & * unxit pedes IESV, & exterſit pedes ejus capillis ſuis: [b] &
fracto alabaſtro, [a] effudit ſuper caput ipſius
recumbentis: [d] & domus impleta eſt ex odore
unguenti. [b] Erant autem quidam indignè ferentes

* Cœnam. *Vnam hanc, eandemque eſſe cœnam atque unctionem, quam referunt hi tres Euangeliſtæ, docent Ianſen. F. Lucas, Tolet. in Ioan.* 12. *pluresque Interpp. & ſatis patet ex Euangelio.*

* Simonis Leproſi. *Videtur hic, cùm lepra laboraret, à Chriſto ſanatus & converſus cum eo migraſſe è Galilæa in Iudæam, (Matth.* 19. 1.*) domumque ſibi delegiſſe in Bethania, ut Chriſti præſentiâ frueretur. Ita à Lapide. Vide de eodem ſuprà cap.* 59.

* Alabaſtrum, *vas eſt unguentarium ex alabaſtrite Lapide. Vide cap. prædictum.*

* Nardi piſtici. *Gr.* νάρδου πιστικῆς *.i. fidelis, quam Propertius appellat puram, & Plin. ſinceram. Syrus vertit hîc* capitalis *.i. præſtantiſſimæ. reperitur enim pſeudonardus. Marcus habet,* nardi ſpicati pretioſi, *quòd vid. non ex folijs, ſed ex ſpicis nardi hoc unguentum confectum fuerit, quod erat pretioſiſſimum. Nardus porrò, ſive nardum in Syria frequens naſcebatur. Ita Plin. & alij.*

* Vnxit pedes &c. *Euangeliſta hic ordinem non ſervat: priùs enim capillis pulveres pedum deterſit, & poſteà unxit. Vnguentum autem hoc liquor erat ſubtilis, minimeque pinguis.*

rentes intra ſemetipſos. [d] Dixit ergo unus ex
diſcipulis ejus, * Iudas Iſcariotes, qui erat
eum traditurus: Quare hoc unguentum non
veniit trecentis denariis, & datum eſt ege-
nis? Dixit autem hoc, non quia de egenis
pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & lo-
culos habens, ea quæ mittebantur, portabat.
[a] Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, di-
centes: Vt quid perditio hæc? poterat enim
iſtud venumdari multo, & dari pauperibus: [b] &
2 fremebant in eam. [a] Sciens autem IESUS,
ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? [d] * Si-
nite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet
illud. [a] opus enim bonum operata eſt in me.
[b] Semper enim pauperes habetis vobiscum;
& cùm volueritis, poteſtis illis benefacere:
me autem non ſemper habetis. * Quod ha-
buit hæc, fecit: prævenit enim ungere corpus
meum in ſepulturam. Amen dico vobis: Ubi-
cumque prædicatum fuerit Euangelium iſtud
in univerſo mundo, & quod hæc fecit, narra-
bitur in memoriam ejus. [d] Cognovit ergo tur-
ba multa ex Iudæis quia illic eſt: & venerunt
non propter IESUM tantùm, ſed ut Lazarum
viderent, quem ſuſcitavit à mortuis. Cogita-
verunt autem principes ſacerdotum, ut &
Lazarum interficerent: quia multi propter
illum

* Iudas Iſcariotes &c. *Ioannes de ſolo Iuda loquitur: hic enim fuit primus calumniator & aliorum incentor.*

2. *Iudas ex avaritia obloquebatur, ceteri verò eum ſecuti ſunt ex vero miſericordiæ affectu. Ita S. Auguſtin. & Interpp. paſſim.*

* Sinite illam, ut in diem &c. q. d. *Sinite, ut non fruſtra ſervare ſive ſervaſſe hoc unguentum probetur. Servavit autem non tam ex mente propria, quàm ex Spiritus ſancti inſtinctu, ut me brevi moriturum & ſepeliendum poſſet inungere. Ita Tolet.*

* Quod habuit &c. *Id eſt, quod potuit, quod ipſi licuit, fecit. Sic Euthym. & alij plerique Interpp. q. d. Non poterit cùm volet: non poterit poſteà ungere corpus meum mortuum, tametſi id admodùm deſiderabit, atque conabitur. Ita Fr. Lucas. Hinc probabiliter colligere licet, hanc eandem eſſe Mariam Magdalenam, quæ ipſo die Reſurrectionis cum unguentis ad monumentum profecta eſt.*

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Dominica Palmarum 20. die Martij.

illum abibant ex Iudæis, & credebant in IESUM.

CAPUT CXLVIII.

1. *Aſello vehitur Rex regum, & quaſi ovans inter fauſtas populi acclamationes, ad paſſionem & crucem procedit.*
2. *Phariſæorum malevolentiam retundit.*

Matth. 21. 1. Marc. 11. 1. Luc. 19. 29. Ioan. 12. 12.

1 [d]IN craſtinum autem, [a]cùm appropinquaſſet Ieroſolymis, & veniſſent * Bethphage ad montem Oliveti: tunc IESUS miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullũ cum ea, [c]aſinæ alligatum, [b]ſuper quẽ nemo adhuc hominum ſedit: [a]ſoluite, & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetã dicentẽ: Dicite filiæ Sion: [d]Noli timere filia Sion. [a]Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum * filium ſubjugalis. Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis IESUS: [&] [b]invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio: & ſolvunt eum. [c]Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid ſolvitis pullum? At illi dixerunt: Quia Dominus eum neceſſarium habet: [b]& dimiſerunt eis. [a]Et addux-

Iſa. 62. Zach. 9.

* Bethphage. *Venit Chriſtus è vicina Bethania in Bethphage vicum, qui ſitus erat ad pedem montis Olivarum.*

* Filium ſubiugalis. *i. pullum animalis onerarij, ſub iugo incedere ſoliti. Egit enim Chriſtus more pauperum, qui eodem, quo agros ſuos arant, iumento iter faciunt, & vehuntur. In quo exhibuit mirandum paupertatis, humilitatis ac manſuetudinis exemplum.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Dominica Palm. 20. Martij.

adduxerunt aſinam & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & * eum deſuper ſedere fecerunt. [d] Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus primùm: ſed quando glorificatus eſt IESVS, tunc recordati ſunt, quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei. [a] Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. [Et] [d] turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent quia venit IESVS: acceperunt * ramos palmarum, & procedebant obviàm ei, & clamabant: Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Iſraël. [c] Et cùm appropinquaret iam ad deſcenſum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelſis. [a] Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: * Hoſanna Filio David: [b] Benedictum quod

* Eum deſuper ſedere fecerunt. *Nota, Chriſtum nunc aſino vectum fuiſſe, nunc pullo, ut dicit Auguſt. lib. 2. de conſ. cap. 66. Chryſoſt. in Ioannem, Theophyl. in Matth. & Interpp. Multi quoque exiſtimant, Chriſtum primò ſuper aſinam, quæ Iudæorum populum ſignificat, iugo legis aſſuetum; poſteà verò ſediſſe ſuper pullum, per quem gentes indomitæ deſignantur; eodemque pullo vectum Ieroſolymam ingreſſum fuiſſe. Certè ſuper utrumque ſediſſe verba ipſa Matthæi & prophetiæ confirmant. Tolet. Franc. Lucas, à Lapide.*

* Ramos palmarum. *Hos ramos in ſignum lætitiæ victoriæque turba geſtabat. Per Meſſiam enim, quem regem temporalem fore credebant, victores ſe futuros, & à Romanorum ſubiectione vindicandos ſperabant. Vera tamen victoria erat, quam Chriſtus in cruce moriens reportavit.*

* Hoſanna Filio David. *Solemnis hæc acclamatio eſt, Hebræis uſitata.* Hoſanna *enim vox eſt compoſita ex Hoſa .i. Salva, & , na, .i. obſecro. Non ergo aliud ſignificat, quàm,* Salva, obſecro, videlicet regem noſtrum Meſſiam. *Has populi laudes S. Propheta David Pſalmo* 117. *prævidit, & prædixit verba ipſa, quæ turba dictura erant in hoc die triumphi Chriſti, ſeu die palmarum, quò ſignificaretur triumphus diei reſurrectionis,*

Digitized by Google

ctionis, quæ utraque dies fuit Dominica. *In hoc enim Pſalmo v. 25. ita dicitur*: O Domine, ſalvum me fac: ô Domine, bene proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini. *Pro*, ſalvum me fac, *in Hebræo eſt vox* Hoſanna. *Ita S. Hieron. in Matth. 23. & Bellarm. in hunc Pſ. Ita & Maldonatus, Barradius, Ianſenius, & alij paſſim has populi voces exponunt.*

quod venit regnum patris noſtri David: * Hoſanna in excelſis. [d] Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum à mortuis. Propterea & obviàm venit ei turba: quia audierunt eum feciſſe hoc ſignum.
[e] Et quidam Phariſæorum de turbis, dixerunt 2
ad illum: Magiſter, increpa diſcipulos tuos. Quibus ipſe ait: Dico vobis: quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.

* Hoſanna in excelſis, *ſive in* altiſsimis .i. *Hæc verba & hæc vota iterentur & acclamentur à nobis ſublatis in cælum vocibus.*

Porrò S. Hieron. Matth. 21. & in Ep. ad Damaſum paulò aliter explicat hunc locum; vid. Hoſanna Filio David: *Id eſt, iure ac meritò Filio David acclamamus*: Salvum fac, ſalva populum & mundum. *Liberavit enim David ſæpè populum; ita & nos Filius ejus promiſſus liberabit. Eſt enim cum articulo, illi filio David. Hunc ſenſum pluribus aſtruit Tolet. in Ioan. 12. & hic æquè probabilis videtur. Iudæi enim non tàm ſalutem Meſſiæ apprecabantur, quàm ab ipſo ſperabant & expectebant. Ita quoque interpretantur Theophylact. Euſeb. & Genebrardus in Pſ. 117.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Dominica Palmarum 20. die Martij.

CAPUT CXLIX.

1. *Cùm lacrymis miſerandum Ieroſolymæ excidium prænunciat.* Luc. 19. 41.
2. *In introitu ejus tota civitas commovetur.* Matth. 21. 10. Ioan. 12. 19.

* Si cognoviſſes &c. *Conjunctio, ſi, ponitur optativè q. d. ô ſi, ô utinam. & ſic nihil eſt ſupplendum. Ita Ianſen. Vel eſt apoſiopeſis ſive reticentia, ſignificans vehementem Chriſti affectum, ut vult Euthymius.*

[e] ET ut appropinquavit, videns civitatem, 1
flevit ſuper illam, dicens: Quia * ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Dominica Palmarum 20. die Martij.

* quæ ad pacem tibi : nunc autem abſcondita
ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te,
& * circumdabunt te inimici tui vallo, & cir-
cumdabunt te: & coanguſtabunt te undique:
& ad terram proſternent te, & filios tuos, qui
in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſu-
per lapidem: eò quòd non cognoveris tempus
viſitationis tuæ. [a] Et * cùm intraſſet Ieroſoly-
2 mam, commota eſt univerſa civitas, dicens:
Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt
IESUS Propheta à Nazareth Galilææ. [d] Pha-
riſæi ergo dixerunt ad ſemetipſos: Videtis
quia nihil proficimus? Ecce ~~totus~~ mundus totus
poſt eum abijt. [a] Et intravit IESUS in tem-
plum Dei.

* Quæ ad pacem tibi *Gr.* τὰ πρὸς εἰρήνην σου. *.i. quæ ad pacem tuam ſunt. q. d. O ſi tu vel hoc ſaltem die, quo te benignis adhuc oculis aſpicit Deus, noſſes ea, à quibus ſalus & felicitas tua tota pendet! nequaquam perires. Ita Euthymius & alij ſententiam perficiunt.*

* Circumdabunt te &c. *Completum fuit hoc Chriſti vaticinium ad litteram annis 38. poſt hanc prædictionem, vid. anno Chriſti 72. quando Titus in Paſchate urbem obſedit, & totam, quanta eſſet, muro uno 39. ſtadiorum circumſeptam occupavit, & in ultionem ſanguinis Chriſti & Chriſtianorum funditus evertit. Ita Ioſephus lib. 6. cap. 7. & 13. de bello.*

* Cùm intraſſet. Nota. *Exodi 12. v. 3. præcipitur, ut decima die menſis Niſan, unuſquiſque recipiat in domum ſuam agnum Paſchalem, poſt quatuor dies; decimaquartâ nimirum ejuſdem menſis die, à patreſamiliàs immolandum. Vnde hac ipſa die 10. puta Dominica Palmarum Chriſtus hoc agno figuratus, ſolemni ritu cum ramis, & acclamationibus populi intravit Ieroſolymam, poſt quatuor dies pro nobis immolandus. Ita Corn. à Lapide.*

Annus Chriſti 31.
Prædicationis 4.
Geſta in templo Dominicâ Palmarum.

CAPUT CL.

1. *In templo cæcos & claudos valentes efficit.* Matth. 21. 14.
2. *Gentiles Chriſti videndi deſiderio flagrantes, ad eum adducuntur.*
3. *Chriſtus paſsionem ſuam animo voluens, ſe frumenti grano comparat, in terra morienti, & germinanti. Vnde ſemetipſe timore commovens, Patris voce perſonante inclareſcit.*
4. *Ait ſe in cruce exaltatum omnes ad fidem & amorem ſui attracturum.* Ioan. 12. 20.
5. *Circa veſperam, ſermone abſoluto clàm redit in Bethaniam cum ſuis.*

Matth. 21. 17. Marc. 11. 11. Ioan. 12. 36.

1 ᵃET acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo: & ſanavit eos. Videntes autem principes ſacerdotum, & ſcribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna Filio David: indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique, numquam legiſtis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?
2 ᵈ Erant autem quidam * gentiles, ex his qui aſcenderant ut adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus IESVM videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus dixerunt IESV. IESVS autem

* Gentiles. *Appropinquante iam tempore converſionis gentium, quidam gentiles Deum Iſraël agnoſcere, & ex parte colere cœperunt; imò etiam ſacrificijs honorare. Conſtat ex 1. Eſdræ 6. v. 9. & 2. Machab. 3. v. 2. Ex his quoque paulo poſt Chriſtum, fuit Eunuchus ille Æthiops, de quo Act. 8. 27.*

Geſta in templo Dominicâ Palmarum.

tem reſpondit eis, dicens: * Venit hora
3 ut clarificetur Filius hominis. Amen, a-
men dico vobis, * niſi granum frumenti
cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum
ſolum manet. ſi autem mortuum fuerit,
multum fructum adfert. * Qui amat ani-
Cap. 74. & c 90. mam ſuam, perdet eam: & qui odit ani-
mam ſuam in hoc mundo, in vitam æter-
nam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat,
me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & mini-
ſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit,
honorificabit eum Pater meus. * Nunc
anima mea turbata eſt. Et quid dicam?
Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed prò-
ptereà veni in horam hanc. Pater, clarifi-
ca nomen tuum. Venit ergo vox de cælo:
* Et clarificavi, & iterum clarificabo.
Turba ergo quæ ſtabat, & audierat, dice-
bat, tonitruum eſſe factum. Alij dicebant:

* Venit hora &c. *q.d. Iſte gentilium ad me accurſus ſignificat, inſtare horam ſeu tempus, quo ego, qui modò appareo abiectæ conditionis homo, agnoſcar & celebrabor quàm latè patet orbis, Chriſtus & verus Dei filius. F. Lucas.*

* Niſi granum &c. *Chriſtus humilis quaſi granum è cælo in terram miſſum, per mortem & reſurrectionem ſuam multos atque admirandos fructus protulit.*

* Qui amat animam, *id eſt, vitam ſuam præ fide ac fidei profeſſione, hic perdet eam.* 2. Animam ſuam *.i. animæ cupiditates amans præ voluntate & mandatis meis, hic incurret mortem æternam. Contrà is qui odit animam ſuam, exponendo vitam pro fide, & reſiſtendo pravis animi affectionibus, hic cuſtodit eam in æternum. Ita S. Chryſ. Vide ſuprà cap. 74. & 90.*

* Nunc anima mea turbata eſt &c. *Chriſtus hic occaſione gentilium, mortis & paſſionis imminentis conſiderationem aſſumit, ſeque timore & horrore turbat. Vnde ait:* Pater ſalvifica me *.i. eripe me ab hora mortis inſtante. Verùm ſe ſtatim corrigens ſubdit:* ſed propterea veni in horam hanc. *Itaque abſolutè oro:* Pater; *per mortem meam* clarifica nomen tuum. *Ita Chryſoſt. Auguſtin. & Toletus. Similis fuit oratio Chriſti in horto.*

* Et clarificavi &c. *Ego Pater clarificavi nomen tuum in Baptiſmo, perque tot virtutum opera & miracula à te præſtita.* Et iterum clarificabo, *ſc. in morte, & poſt mortem, per prodigia, reſurrectionem, ac per Spiritus ſancti miſſionem; denique per gentium converſionem nomen tuum celebrabo.*

Geſta in templo Dominicâ Palmarum.

Angelus ei locutus eſt. Reſpondit IESUS,
& dixit: Non propter me hæc vox venit,
ſed propter vos. * Nunc judicium eſt
mundi: nunc princeps hujus mundi eji-
cietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à 4
terra, omnia traham ad meipſum. (hoc au-
tem dicebat, ſignificans qua morte eſſet
moriturus.) Reſpondit ei turba: Nos au-
divimus ex lege, quia Chriſtus manet in
æternum: & quomodo tu dicis: Oportet
exaltari Filium hominis? Quis eſt iſte Fi-
lius hominis? Dixit ergo eis IESUS: * Ad-
huc modicum, lumen in vobis eſt. Ambu-
late dum lucem habetis, ut non vos tene-
bræ comprehendant: & qui ambulat in te-
nebris, neſcit quò vadat. Dum lucem ha-
betis, credite in lucem, ut filij lucis ſitis.
Hæc locutus eſt IESUS, & * abijt, & ab-
ſcondit ſe ab eis. Cùm autem tanta ſigna Iſa. 53.
feciſſet coram eis, non credebant in eum: 1.
* ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur,
quem dixit: Domine, quis credidit auditui
noſtro? & brachium Domini cui revela-
tum

* Nunc judicium eſt mundi. i. *Nunc brevi judicabitur cauſa mundi, ut ſc. mundus per mortem meam liberetur à peccato & poteſtate diaboli. Ita S. Auguſtin.* 2. Iudicium. i. *condemnatio & vindicta mundi, qui Chriſtum innocentem condemnavit. S. Chryſoſt.* 3. *Condemnabitur in monte Calvariæ per crucem meam mundi ſapientia & faſtus. Iudicium enim in Scriptura ſæpè ſumitur pro condemnatione.*

* Adhuc modicum, *ſc. tempus, ego lux mundi vobiſcum ero. Græcè enim eſt* ἔτι μικρὸν χρόνον.

* Abijt &c. Exijt in Bethaniam cum duodecim, *ut dicitur in fine hujus capitis, quò recto ordine transferendum eſt id quod hîc à Ioanne dicitur per anticipationem. Omnia enim quæ hîc ſubjiciuntur, à Chriſto conſequenter dicta fuêre in templo. Ita Maldonat. qui pro hac opinione citat Chryſoſt. Auguſtin. & Rupertum.*

* Vt ſermo Iſaiæ. τὸ *ut, non finem à Deo intentum, ſed conſecutionem ſignificat: q. d. Vnde ex Iudæorum incredulitate ſecutum eſt, ut ſermo Iſaiæ, quo eam prædixit, impleretur. Ita Chryſoſt. & Cyrillus.*

tum eſt? * Propterea non poterant crede-
re, quia iterum dixit Iſaias: * Excæcavit
oculos eorum, & induravit cor eorum: ut
Iſa.6. 10. non videant oculis, & non intelligant cor-
de, & convertantur, & ſanem eos. Hæc
dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, &
locutus eſt de eo. Verumtamen & ex prin-
cipibus multi crediderunt in eum: ſed
propter Phariſæos non confitebantur, ut
è ſynagoga non ejicerentur. Dilexerunt
enim gloriam hominum magis quàm glo-
riam Dei. IESVS autem clamavit, & dixit:
Qui credit in me, non credit in me, ſed in
eum qui miſit me. Ego lux in mundum
veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris
non maneat. Et ſi quis audierit verba mea,
& non cuſtodierit: ego non judico eum.
non enim veni ut judicem mundum, ſed
ut ſalvificem mundum. Qui ſpernit me, &
non accipit verba mea: habet qui judicet
eum. Sermo quem locutus ſum, ille judi-
cabit eum in noviſſimo die. Quia ego ex
meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me
Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid di-
cam, & quid loquar. Et ſcio quia manda-
tum ejus vita æterna eſt. Quæ ergo ego
loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.
5. [b] Et circumſpectis omnibus, cùm jam ve-

* Propterea non poterant &c. *Hæ voces,* propterea, *&*, quia, *non ſumuntur propriè, nec cauſam ſignificant, ſed tantùm ſequelæ ordinem, & conſecutionis neceſſitatem (ut mox de præcedentibus dictũ.) q. d. Fieri non poterat, ut cùm Iſaias prædixerit Iudæos non credituros in Chriſtum, ipſi tamen crederent, quia non poteſt mentiri Scriptura, nec falli præſcientia Dei, qui eos non credituros per Iſaiam prædixit. Id autem prædixit, quia prævidebat eos ſuâ libertate & malitiâ non credituros Chriſto. Ita S. Chryſoſtomus, Cornelius à Lapide, & paſſim Interpp.*

* Excæcavit oculos eorum. Nota. *Propria excæcationis & obdurationis cauſa eſt propria hominis malitia, ut legitur Sap.2. v.21. Dicitur tamen Deus excæcare indirectè, quia improbis lumen veritatis & gratiæ ſenſim ſubtrahit, eiſque errorum & excæcationis occaſiones objici ſinit ad punienda eorum peccata. Vide Tolet. in Ioan. 12. & ſuprà cap. 63.*

* Exijt in Bethaniam. *Nota, Chriſtum ubi in hac Dominica, ita & duobus ſequentibus diebus, Lunæ & Martis docuiſſe in templo, veſperi verò cum diſcipulis concedebat in Bethaniam, ibidemque cœnâ ſumptâ pergebat in montem Oliveti ad orandum. quam conſuetudinem conſtanter tenuit uſque ad ultimam vitæ noctem. Duobus autem poſtremis diebus, Mercurij ſc. & Iovis manſit in Bethania, neque aſcendit Ieroſolymam, niſi ad veſperam diei Iovis, ad celebrandum Paſcha. De hac Chriſti in vigilando, orando, & prædicando conſtantia dicit S. Lucas in fine concionum ejus, cap. 21. v. 27.* Erat autem diebus docens in templo: noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo, audire eum.

ſpera eſſet hora, [a] relictis illis [b] * exijt in Bethaniam cum duodecim, [a] ibique manſit.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in via, & in Templo 21. Martij, feria 2. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLI.

1. *Poſtridie mane Bethaniâ ad templum rediens, maledicit ficulneæ, reproborum ſcilicet Iudæorum ſymbolo.* Matth. 21. 18. Marc. 11. 12.
2. *E templi atrio vendentes, ementeſque ejicit.* Matth. 21. 12. Marc. 11. 15. Luc. 19. 45.

[a] MAne autem, [b] aliâ die cùm exirent à Be- 1
thania, [a] revertens in civitatem, eſurijt.
[b] Cùmque vidiſſet à longe [a] ſecus viam, [b] ficum
habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret
in ea. Et cùm veniſſet ad eam, nihil invenit
præter folia: non enim erat tempus ficorum.
Et reſpondens, dixit ei: Iam non amplius in
æternum ex te fructum quiſquam manducet.
Et audiebant diſcipuli ejus. [a] Et * arefacta eſt
continuò ficulnea. [b] Et veniunt Ieroſolymam. 2

Et

* Arefacta eſt continuò ficulnea. *Fecit hoc Chriſtus tamquam rerum omnium Dominus, ut oſtenderet poteſtatem ſuam, quâ poſſet punire & perdere Iudæos ſi vellet; uti mox oſtendet in ejectione vendentium è templo; quam hac ſecundâ feriâ contigiſſe recto ordine Marcus recenſet. Ita docent Ianſenius, & A Lapide.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in via & in templo 21. Martij, feria 2, hebdomadæ Paſſionis.

Et cùm introiſſet in templum, * cœpit ejicere [a]omnes [b] vendentes & ementes in templo : & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit : & non ſinebat * ut quiſquam transferret vas per templum : & docebat, dicens eis : Nónne ſcriptum eſt : Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem feciſtis eam * ſpeluncam latronum. Quo audito, principes ſacerdotum, & Scribæ, [c] & principes plebis [b] quærebant quomodo eum perderent : [c] & non inveniebant quid facerent illi : [b] timebant enim eum, quoniam univerſa turba admirabatur ſuper doctrina ejus : [c] omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum. [b] Et cùm veſpera facta eſſet, egrediebatur de civitate.

* Cœpit ejicere &c. Nota. *Cùm in necem Chriſti jam principes & Phariſæi conſpiraſſent; nullo tamen auſo reſiſtere, jam alterâ vice vendentes & ementes, id eſt, innumerabilem hominum & pecudum turbam è templi atrio ejecit. in quo apparet divina Chriſti potentia, & admiranda in oculis ejus vultuque majeſtas. de qua ita loquitur S. Hieronymus ep. 140. ad Principiam:* Niſi habuiſſet & in vultu quiddam oculiſque ſidereum, numquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent. Adde, nec tantam hominum & animalium multitudinem ſemel atque iterum è templo expuliſſet. *Vide de hoc Chriſti facto ſuprà cap. 25.*

* Vt quiſquam transferret vas &c. Vas .i. *inſtrumentum ſeu ſupellectilem quamcumque, profanis ſcilicet uſibus ſervientem.*

* Speluncam latronum. *quia vid. ut latrones ſpolijs inhiant & rapinis: ita hi negotiatores ex iniqua & injuſta negotiatione, quam in ipſo templi atrio exercebant, lucrum undequaque captabant.*

CAPUT CLII.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in reditu è Bethania ad templum feriâ 3. 22. Martij.

CAPUT CLII.

1. *Apoſtoli mirantur ficulneam verbo Chriſti areſactam.*
2. *Chriſtus declarat eis, fidei, fiduciæ, orationiſque vim atque potentiam.*
3. *Petentes à Deo delictorum veniam, próximo quoque offenſas condonare oportet.*

Matth. 21. 20. Marc. 11. 20.

* Cùm mane *.i. cùm poſtridie mane feriæ tertiæ redirent è Bethania ad templum.*

* Huic monti, *ſc. monti Olivarum, juxta quem iter faciens cum Apoſtolis, hæc dixit. Marcus adjungit*: Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti &c.

[b]ET * cùm mane tranſirent, viderunt ficum 1
aridam factam à radicibus. [a]Et videntes
diſcipuli, mirati ſunt, dicentes: Quomodo
continuò aruit? [b]Et recordatus Petrus dixit ei:
Rabbi, ecce ficus, cui maledixiſti, aruit. Et
reſpondens IESVS, ait illis: Habete fidem
Dei. [a]Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & 2
non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis,
ſed [b]quicumque dixerit * huic monti:
Tollere, & mittere in mare; & non hæſitaverit
in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque
dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico
vobis, omnia quæcumque orantes petitis, cre- 3
dite quia accipietis, & evenient vobis. Et cùm
ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis
adverſus aliquem: ut & Pater veſter, qui in
cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Quod
ſi vos non dimiſeritis: nec Pater veſter, qui in
cælis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.

CAPUT CLIII.

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in templo 22. Martij feria 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLIII.

1. *Principes & Scribæ Chriſtum de poteſtate ſua ſciſcitantur.*
2. *Chriſtus viciſſim eos interrogando, reſpondet.*

Matth. 21. 23. Marc. 11. 27. Luc. 20. 1.

1 ᵃET cùm veniſſet in templum; ᶜdocente illo populum in templo, & euangelizante, convenerunt principes Sacerdotum, & Scribæ cum ſenioribus: & ajunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua poteſtate hæc facis? aut: Quis eſt,
2 qui dedit tibi hanc poteſtatem? ᵃ Reſpondens IESVS dixit eis: * Interrogabo vos & ego unum ſermonem; quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio. Baptiſmus Ioannis unde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter ſe, dicentes: Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: [&] ᶜplebs univerſa lapidabit nos: certi ſunt enim, Ioannem Prophetam eſſe. ᵃ Et reſpondentes IESV, dixerunt: Neſcimus. Ait illis & ipſe: * Nec ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio.

* Interrogabo vos &c. *Chriſtus hac ſua interrogatione tacitè fatetur poteſtatem ſuam à Deo eſſe. Senſus enim verborum ejus eſt iſte: Si Ioannis baptiſmus & prædicandi poteſtas à Deo fuit, (quod paſſim populus fatebatur) ergo multò magis poteſtas mea à Deo eſt. Ioannes enim palàm teſtatus eſt, me longè majorem ſe; me à Deo miſſum eſſe mundi Redemptorem, & Meſſiam; ſe verò Meſſiæ præcurſorem ac ſervuum eſſe. A Lapide.*

* Nec ego dico vobis &c. *Non manifeſtè aperit eis poteſtatem ſuam, ſed tacitè inſinuat id, quod toties palàm & ante oculos omnium, verbis & operibus oſtenderat.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLIV.

1. *Iudæorum pervicaciam oſtendit, duorum filiorum peradigmate. Filius priùs contumax, ſed mox reſipiſcens, publicanos ac peccatores deſignat; qui pœnitentiâ moti, divinæ legi obtemperarunt.*

2. *Alter filius verbo, non opere parens, Scribas & Phariſæos refert; qui ſimulantes ſe mandatorum Dei ſtudioſos, ementitâ juſtitiâ, & hypocriſi aliiſque ſceleribus iram cæleſtem provocaverunt.*

Matth. 21. 28.

ET cœpit illis in parabolis loqui: 1 b 12. v. 1.
a Quid autem vobis videtur? Homo
quidam habebat duos filios, & accedens
ad primum, dixit: Fili, vade hodie,
operare in vinea mea. Ille autem reſpondens,
ait: Nolo. Poſteà autem pœnitentia
motus, abiit. Accedens autem ad alte- 2
rum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens,
ait: Eo, Domine, & non ivit. Quis ex
duobus fecit voluntatem patris? Dicunt
ei: Primus. Dicit illis IESVS: Amen dico
vobis, quia publicani, & meretrices præcedent
vos * in regnum Dei. Venit enim
ad vos Ioannes in via juſtitiæ, & non
crediditis ei: publicani autem, & meretrices
crediderunt ei: vos autem videntes
nec pœnitentiam habuiſtis poſteà, ut
crederetis.

* In regnum Dei, *ſc. quò vos non contenditis, neque pervenietis.* Nota, *ſecundario ſenſu hac parabolâ ſignificari quoque duos populos, gentiles ſc. & Hebræos. Ita Ianſenius & alij.*

CAPUT CLV.

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in templo feriâ 2. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLV.

1. *Vinea Dei, Synagoga eſt, ſive Eccleſia, omnibus rebus ad frugem ferendam neceſſarijs inſtructa. Vinea enim Domini exercituum, domus Iſraël eſt. Iſa. 5. 7.*
2. *Iudæi ſervos ac prophetas Dei, ad vineam miſſos, ipſumque tandem Dei Filium occiderunt.*
3. *Hinc Chriſtus imminentem eis vindictam, ac vineam ſive Eccleſiam ab ipſis ad gentes transferendam eſſe prænunciat.*

Matth. 21. 33. Marc. 12. 1. Luc. 20. 9.

1 [c] COEpit autem dicere ad plebem parabo-
lam hanc: * Homo erat paterfamiliàs,
* qui plantavit vineam, & ſepem circumde-
dit ei, & * fodit in ea torcular, & ædificavit
turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè
profectus eſt [c] multis temporibus. [a] Cùm au-
tem tempus fructuum appropinquaſſet, [b] mi-
ſit ad agricolas in tempore ſervum, ut ab a-
2 gricolis acciperet de fructu vineæ. Qui appre-
henſum eum ceciderunt, & dimiſerunt va-
cuum. Et iterum miſit ad illos alium ſervum:
& illum in capite vulneraverunt, [c] & afficien-

* Qui plantavit vineam &c. *Chriſtus hic vinea comparat Iudæos, more ſcilicet prophetarum, à quibus frequentes ſolent ſumi parabolæ à vineis, quibus terra ſancta abundat. Singulariter verò imitatur Iſaiam cap. 5. Igitur* Paterfamiliàs *hic intelligendus eſt Deus Pater.* Vinea *eſt populus Iſraël.* Sepes *legem ſignificat, (ait Irenæus) aut Angelorum cuſtodiam (ut Ambroſ. & Hieron.) Per* Torcular *S. Hieronymus & alij intelligunt altare, in quo victimarum ſanguis exprimebatur.* Turris *deſignat templum, in quo turris, velut ſpecula. Ianſen.* Coloni *vineæ, ſunt principes & ſacerdotes populi Iudaici.* Peregrè *profectus eſt Deus, qui poſt legem in Sina datam poſteà non apparuit.* Servi *miſſi, ſunt prophetæ occiſi.* Filius *eſt Chriſtus. Vide Iſaiam ſuprà, & Cornelium à Lapide.*

* Fodit in ea torcular. *Duas habet partes torcular, prælum vid. quo vinum exprimatur; & lacum ſeu lacunam, quâ vinum recens expreſſum excipiatur. De lacu hoc, qui excavari debet, intelligenda ſunt verba,* Fodit in ea torcular.

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in tempore feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

tes contumelia dimiſerunt inanem. [b] Et rurſum alium miſit, & illum occiderunt: & plures alios, * quoſdam cædentes, alios verò occidentes. [c] Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum. [b] Adhuc ergo unum habens filium chariſſimum, & illum miſit ad eos noviſſimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum. [a] Agricolæ autem videntes filium, [c] cogitaverunt intra ſe [&] [b] dixerunt ad invicem: [a] Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus. Et apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Ajunt illi: * Malos malè perdet; & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. [c] Ille autem aſpiciens eos, ait:
[a] Numquam legiſtis in Scripturis: Lapidem, Pſ. 117.
quem reprobarunt * ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris: ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, &
dabitur genti facienti fructus ejus. Et * qui 3
ceciderit

* Quoſdam cædentes. *Matthæus dicit:* Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt.

* **Malos malè perdet.** *Marcus & Lucas dicunt hæc verba à Chriſto dicta eſſe, Matthæus verò à Scribis. Nam primò dicta fuêre à Scribis; deinde verò à Chriſto repetita fuerunt eo modo, ut ſatis intelligerent illi, contra ſe hæc proferri; unde ſtatim ſubjunxerunt:* Abſit. *quod refert Lucas. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, aliýque.*

* Ædificantes, *Iudæi ſc. qui quaſi architecti ſynagogæ, Chriſtum tamquam lapidem inutilem ab ea rejecerunt. Chriſtus tamen à Deo* factus eſt in caput anguli, *id eſt lapis capitalis, angularis, & omninò fundamentalis Eccleſiæ; ut nimirum duos parietes, gentium & Iudæorum in ſe velut angulo conjungeret. Chryſoſtomus & alij PP. Vide Bellarminum in Pſalm.* 117.

* Qui ceciderit ſuper lapidem &c. *.i. qui reſtiterit Chriſto, eumque perſecutus fuerit, punietur & peribit.* Super quem verò &c. *id eſt, cui Chriſtus totus gravi ultione ſuâ quaſi lapis incubuerit, quaſi vas figuli conteretur. Ita ferè S. Auguſtin.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum. Et cùm audiſſent principes ſacerdotum, & Phariſæi parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipſis diceret: & quærentes eum tenere, [&] mittere in illum manus in illa hora, timuerunt turbas: quoniam ſicut prophetam eum habebant.

CAPUT CLVI.

1. *Deus Pater nuptias fecit Filio ſuo, dum eum humanæ naturæ unitum, in ſponſum dedit Eccleſiæ, ut eam ſibi nunc deſponderet per gratiam; pòſt verò per gloriam nuptiæ conſummarentur in cælo.*
2. *In hac vita nuptiale convivium eſt Euangelica doctrina, & Sacramenta; præſertim auguſtiſſima Eucharistia.*
3. *Ad hoc convivium invitati Iudæi noluerunt venire; unde in eorum locum gentiles ex omnibus mundi plagis per Apoſtolos evocati ſunt.*
4. *Nemo, etiam fidelis, ad cæleſte epulum, Deique thalamos admittitur, niſi veſte nuptiali, hoc eſt, charitate fulgeat.* Matth. 22. 1.

1 ET reſpondens IESVS, dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſervos ſuos* vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum miſit

* Vocare invitatos ad nuptias. *Invitati ad nuptias tùm ante, tùm poſt incarnationẽ ſunt Iudæi. Primò enim invitati ſũt per legem Moyſi, deinde per ſervos, id eſt per Prophetas & Apoſtolos; mox rejectis Iudæis ſubſecuta eſt invitatio gentium, quæ durabit uſque ad finem mundi, quando & Iudæorum reliquijs vocatis, Chriſtus Rex venturus eſt ad judicium, ut in parabola ſubditur.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

ſit alios ſervos, dicens: Dicite invitatis: Ecce 2
* prandium meum paravi, * tauri mei & altilia
occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nup-
tias. Illi autem neglexerunt: & abierunt, 3
* alius in villam ſuam, alius verò ad negotia-
tionem ſuam: reliqui verò tenuerunt ſervos
ejus, & contumelijs affectos occiderunt. Rex
autem cùm audiſſet, iratus eſt, & miſſis exer-
citibus ſuis,* perdidit homicidas illos, & civita-
tem eorum ſuccendit. Tunc ait ſervis ſuis:
Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati
erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad * exitus
viarum, & quoſcumque inveneritis, vocate
ad nuptias. Et egreſſi ſervi eius in vias, con-
gregaverunt omnes quos invenerunt, malos
& bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumben-
tium. * Intravit autem rex, ut videret diſcum-
bentes, & vidit ibi hominem non veſtitum ve-
ſte nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc
intraſti non habens veſtem nuptialem? At
ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris: Liga-
tis manibus & pedibus ejus, mittite eum in
tene-

* Prandium. Nota. *Agitur hic de Incarnatione Domini, quæ prandio confertur ob nuptias quas fecit rex filio ſuo. Siquidem Incarnatio Domini, & nuptiæ cum Eccleſia ſponſa inchoatæ ſunt in meridie, id eſt, ſatis diu ante finem mundi. Conſummata verò & perfecta gloria beatorum, quando poſt labores diei hujus vitæ, requies æterna conſequetur ad veſperam & finem ſæculi, cœna magnæ & nuptiali comparatur à Chriſto Luca* 14. v. 16. *Ita Bellarm. de felic. æterna l.* 5. *c.* 5. *Vide ſuprà c.* 123.

* Tauri mei &c. *Hæc tantummodò ſignificant convivium opiparè paratum; inchoatum vid. ab incarnatione, ſed in cælo conſummandum. Ita S. Hieron.* Tauri, *puta ceterique cibi venatu capti, ad magnificentiam. Ita Franciſcus Lucas.*

* Alius in villam. *Villa ſignificat temporalia bona, quæ Iudæos à lege Chriſti & Euangelio avocarunt; uti & negotiatio & terrena qualibet cura atque immodica occupatio.*

* Perdidit homicidas illos, *per Titum videlicet & Veſpaſianum. de qua ſtrage & excidio urbis ac Iudæorum vide Ioſephum de bello lib.* 7. *& infrà cap.* 196.

* Exitus viarum *denotant vias gentilium, & fines orbis terrarum. q.d. Apoſtolis Chriſtus: Percurrite vias omnes ad extremum uſque, nullo etiam angulo prætermiſſo. Ita Fr. Lucas.*

* Intravit autē rex. *Chriſtus Rex ad nuptiale cōviviū ingredietur, dum veniet ad judiciū generale.* Veſtis porrò nuptialis *eſt charitas, ut docet SS. Hier. & Hilar. aliiq; paßim.*

tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. * Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

* Multi enim &c. *Vide ſuprà cap.* 138. *in fine.*

CAPUT CLVII.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

1. *Phariſæi cum Herodianis captioſè à Chriſto quærunt, an tributum Cæſari pendendum.*
2. *Chriſtus pro ſapientiâ ſuâ eis reſpondet, technaſque inſidiantium deſtruit.*

Matth. 22. 15. Marc. 12. 13. Luc. 20. 20.

1. TUnc abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, ut caperent eum in ſermone: [c] & obſervantes miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent, [b] quoſdam ex Phariſæis [a] * diſcipulos ſuos cum Herodianis, [c] ut traderent illum principatui & poteſtati præſidis: & interrogaverunt eum, dicentes: [a] Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, [c] & non accipis perſonam: [b] nec enim vides in faciem hominum: [a] dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita
2 autem IESVS * nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus.

* Diſcipulos ſuos cum Herodianis. *Herodiani de ſecta erant Iudæorum, Cæſari ejuſque tributo faventium, ſic dicti à primo Herode Aſcalonita, qui totus erat Cæſarianus; vel certè erant amici & fautores, vel domeſtici Herodis tetrarchæ, qui ratione Paſchatis erat Ieroſolymæ. Phariſæi ergo ſimul cum Herodianis Chriſto Domino hac quæſtione inſidiantur. Si enim neget Cæſari tributum pendendum, Cæſaris & Romanorum odium incurret; ſin aſſerat, plebis Iudaicæ invidiam. Alieni enim omninò erant Iudæi ab hoc cenſu ſolvendo, qui ſe populum liberum aſſerebant, nulliquе niſi Deo ſubditum. S. Hieronymus, A Lapide, & alij.*

* Nequitia. *Marcus* Verſutiam *vocat, Lucas* dolum. *Hæc enim vitia paſſim produnt Phariſæi, qui & Herodianos malitiæ ſuæ conſortes fecerant.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

cenſus. At illi * obtulerunt ei denarium. Et ait illis IESUS: Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe. Et mirati in reſponſo ejus, tacuerunt: & relicto eo abierunt.

* Obtulerunt ei denarium. *Denarius quippe pretij Regalis Hiſpanici, unus, aut plures, pro ratione cenſus facultatum uniuſcujuſque, erat tributum annuum hoc tempore pendendum. Ianſenius, Maldonatus. Quidam putant ſingulos pro cenſu ſolviſſe duos denarios, ut videtur Matth. 17. 23. ubi didrachmum duplex, id eſt quatuor denarij pro Chriſto & Petro ſolvuntur. Vide ſuprà cap. 95.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLVIII.

1. *Sadducæi ſubdolam Chriſto objiciunt quæſtionem, nimirum: Quid futurum poſt reſurrectionem de ſeptem fratribus, unius uxoris ſuccedaneis conjugibus, ac ſine prole defunctis; quis demum è ſeptem, uxore eâ potiturus ſit in cælo.*
2. *Reſpondet Chriſtus, in cæleſti regno non ultrà fore terrenas, ſed Angelicas cum Eccleſia glorioſa nuptias.*
3. *Deum non eſſe mortuorum, ſed viventium Deum: omnes enim in juſtitia mortuos, brevi à morte quaſi à ſomno ad vitam immortalem excitandos.*

Matth. 22. 23. Marc. 12. 18. Luc. 20. 27.

In illo die acceſſerunt ad eum * Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem. Et interroga-

* Sadducæi *ſectarij erant atque homines impij, qui negabant animæ immortalitatem, corporum reſurrectionem, æterna bonorum præmia, & malorum ſupplicia. Hac igitur quæſtione ſuâ, velut machinâ inſuperabili, evertere ſe poſſe putarunt Chriſti de reſurrectione doctrinam, è qua (ut ipſi volebant) multa abſurda ſequerentur. Ita Franc. Lucas & alij paſſim interpp.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

Deut. 25. 5. interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter,
ᵃMoyſes ſcripſit nobis: Si frater alicujus
mortuus fuerit habens uxorem, & hic ſine
liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus
uxorẽ, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. ᵇ Septẽ
ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus eſt, non relicto ſemine.
Et ſecundus accepit eam, & mortuus eſt:
& nec iſte reliquit ſemen. Et tertius ſimiliter. Et acceperunt eam ſimiliter ſeptem: & non reliquerunt ſemen. Noviſſima
omnium defuncta eſt & mulier. * In reſurrectione ergo cùm reſurrexerint, cujus
de his erit uxor? ſeptem enim habuerunt
2 eam uxorem. ᵃ Reſpondens autem IESVS,
ait illis: Erratis, neſcientes Scripturas,
* neque virtutem Dei. ᶜ Filij huius ſæculi
nubunt, & traduntur ad nuptias: illi
verò, qui digni habebuntur ſæculo iſto, &
reſurrectione ex mortuis, * neque nubent, neque ducent uxores: * neque enim
ultrà mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cùm ſint filij
reſurrectionis. ᵇ De mortuis autem quòd
Exod. 3. 6. 3 reſurgant, non legiſtis in libro Moyſi,
* ſuper rubum quomodo dixerit illi Deus,
inquiens:

* In reſurrectione ergo &c. *Sadducæi ex hoc abſurdo quod ſequeretur, unicam uxorem in cælo fore ſeptem maritorum conjugem, probare contendunt non eſſe reſurrectionem mortuorum. Chriſtus ignorantiam eorum oſtendit, cùm in futuro ſæculo nulla ſint terrena connubia.*

Tt

* Neque virtutem Dei. *q. d. Si cognoſceretis Dei potentiam, ſciretis utique Deum poſſe efficere, ut homines vivant Angelorum inſtar in cæleſti gloria.*

* Neque nubent, neque nubentur, *ait Matth. Nam apud antiquos, teſte Nonio Marcellino, nubere ſuit verbum commune viris ac feminis, ſicut quod in Græco textu eſt* γαμῶν.

* Neque enim ultrà mori poterunt. *In quem locum ſic ait S. Auguſtin. in Quæſt. Euang. ad Lucam*: Connubia ſunt propter filios, filij propter ſucceſſionem, ſucceſſio propter mortem: ubi ergo mors non eſt, neque connubia.

* Super rubum, *vel in rubo, ſcilicet, apparens.*

nubere n. 6.

Digitized by Google

inquiens: Ego ſum * Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum: ᶜ omnes enim vivunt ei. ᵇ Vos ergo multum erratis. ᶜ Reſpondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magiſter, bene dixiſti. ᵃ Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus.

* Deus Abraham &c. *Abraham, Iſaac, & Iacob non ſignificant ſolas eorum animas, ſed totos homines. Hi ergo, licet hominibus ſint mortui, Deo tamen vivunt, & quaſi dormiunt; quia brevi eos Deus à morte quaſi à ſomno excitabit ad vitam beatam & æternam. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius.*

Nota, *Sadducæos negaſſe reſurrectionem, eò quòd negarent animæ immortalitatem. Hac de cauſa Chriſtus hîc ex animarum immortalitate probat corporum reſurrectionem. Anima enim naturaliter propendet ad corpus, cujus eſt forma. Neceſſe igitur eſt corpus reſurgere, ne anima perpetuò exiſtat in ſtatu violento. Cùm ergo hi SS. Patriarchæ vivant ſecundùm animam; (nam Deus non eſt mortuorum Deus) neceſſe eſt eos etiam ſecundùm corpus aliquando reſurgere. A Lapide.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLIX.

1. *Legis doctore de mandato maximo interrogante, exponitur duplex mandatum; Dei nimirum ſuper omnia, & proximi propter Deum amor.*
2. *Ex his duobus cetera omnia mandata pendent, & ſicut rami multi, ex una arbore & radice naſcuntur.*
3. *Dilectio hæc omnibus præſtat holocauſtis; in quibus tota victima igne conſumpta, Deo offerebatur.*

Matth. 22. 34. Marc. 12. 28.

ᵃ PHariſæi autem audientes quòd ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum: ᵇ & acceſſit unus ex eis Legis doctor tentans eum, ᵇ qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam benè illis reſponderit, interrogavit eum quod eſſet primum omnium manda- 1

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4.

Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

mandatum. [a]Magiſter, * quod eſt mandatum
magnum in lege? [b]IESVS autem reſpondit
ei: Quia primum omnium mandatum eſt: Au-
di Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt:
c. & * diliges Dominum Deum tuum ex toto cor-
113. de tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente
tua, & ex tota virtute tua. [a]Hoc eſt maximum
& primum mandatum. Secundum autem ſi-
mile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut
teipſum. [b]Majus horum aliud mandatum non
2 eſt. [a]In his duobus mandatis univerſa lex pen-
det, & prophetæ. [b]Et ait illi Scriba: Benè
Magiſter, in veritate dixiſti: *quia unus eſt
3 Deus, & non eſt alius præter eum. Et ut dili-
gatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex
tota anima, & ex tota fortitudine; & diligere
proximum tamquam ſeipſum, majus eſt om-
nibus holocautomatibus, & ſacrificijs. IESVS
autem videns quòd ſapienter reſpondiſſet,
dixit illi: Non es longè à regno Dei.

* Quod eſt mandatum &c. *Hæc quæſtio controverſa erat apud Iudæos, quorum multi primum omnium mandatum exiſtimabant eſſe de ſacrificijs & victimis Deo offerendis. Ita Ven. Beda in Marcum & alij.*

* Diliges Dominum Deum tuũ &c. *Magni hujus mandati vis eſt (ait Bellarminus) ut diligatur Deus amore vero & ſummo, ut nihil ei præponatur, nihil adæquetur, omnia poſtponantur, ſic ut paratus ſit homo Chriſtianus cum Patriarcha Abrahamo, ſi opus ſit ad gloriam Dei, vitæ proprij & unigeniti & amantiſſimi filij ſui non parcere: neque id ſolum, ſed etiam, (ut Dominus mandat in Euangelio Luc.* 14.*) odiſſe patrem & matrem, uxorem & liberos, fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, & renuntiare omnibus quæ poſſidet; id eſt, paratum eſſe eâ promptitudine privari omnibus conſanguineis & vitâ propriâ, & facultatibus ac dignitatibus omnibus, quâ illis privaretur, ſi ea verè, & ex animo odiſſet. Ita Bellarm. de felic. æterna lib.* 3. *cap.* 8. *Hoc omninò eſt* ex toto corde *diligere. Additur verò* ex tota anima, & ex tota mente &c. *majoris explicationis causâ. Vide ſuprà cap.* 113.

* Quia unus &c. *i, quòd unus eſt Deus.* Et ut diligatur &c. *Clariùs eſt Græcè:* Et quod diligere eum ex toto corde &c. majus eſt omnibus holocauſtomatibus.

CAPUT CLX.

1. *Chriſtus Phariſæos interrogat, ex quâ ſtirpe naſci debeat Meſſias.*
2. *Dum illi reſpondent, Davidis ſobolem eſſe; Chriſtus tacitè inſinuat, ſe & Meſſiam eſſe, (quod eos latêre non debebat) & non tantùm Davidis, ſed & Dei Filium. David enim Meſſiam Dominum ſuum appellat, eique ut ſummo rerum Domino, ad Dei dexteram thronum deſignat.*

Matth. 22. 41. Marc. 12. 35. Luc. 20. 41.

1 a Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos IESVS, b docens in templo: a Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus filius eſt? * Dicunt ei: David. Ait illis: Quomo-
2 do ergo David in Spiritu b ſancto a vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare. b Et multa turba eum libenter audivit.

* Dicunt ei: David. *Videntur Phariſæi interrogati, cujus filius eſſet Chriſtus, reſpondiſſe; Scribas aſſerere, eum eſſe filium David, ac tum Dominum ſubjeciſſe id quod habet hîc Marcus & Lucas:* Quomodo dicunt Scribæ, Chriſtum filium eſſe David?

Nota. *Chriſtus hoc modo propoſuit hanc quæſtionem, ut erroneam Scribarum & Phariſæorum argueret opinionem; & ſignificaret, Chriſtum non talem eſſe Davidis filium, qualem ipſi exiſtimabant, hoc eſt, nudum hominem, ſed etiam propter divinitatem eſſe dominum ipſius: ac proinde Scribas interrogatos, cujus filius ſit Meſſias, non tantùm oportuiſſe reſpondiſſe, quod filius eſſet Davidis, ſed inſuper, & multò magis, quòd filius eſſet Dei. Ita Ianſenius.*

Annus Christi 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXI.

1. *Phariſæorum doctrinam ſequendam eſſe, non mores.*
2. *Deſcribitur eorum vanitas, ambitio, ſimulata pietas, aliaque vitia.*
3. *Præcipitur modeſtia & humilitas.*

Matth. 23. 1. Marc. 12. 38. Luc. 20. 45.

1 *TUnc IESVS locutus eſt ad turbas, & ad
diſcipulos ſuos, dicens: Super cathedram
Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. * Omnia
ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & fa-
cite: ſecundùm opera verò eorum nolite face-
re: dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim
onera gravia, & importabilia, & imponunt in
2 humeros hominum: digito autem ſuo nolunt
ea movere. Omnia verò opera ſua faciunt, ut
videantur ab hominibus: * dilatant enim phy-
lacteria ſua, & *magnificant fimbrias. Amant

* Omnia, *ſc. licita & honeſta, non adverſantia legi Dei, à Moſe tradita. Suprà enim cap. 86. & alibi monet à Phariſæorum doctrina cavendum, ubi & his capitibus varia eorum dogmata perſtringit.*

* Dilatant enim phylacteria ſua. Nota. *Deut. 6. v. 8. mandatur de præceptis Dei, ut ea ligent* quaſi ſignum in manu &c. *Quibus verbis nihil aliud præcipitur, quàm aſſidua mandatorum Dei recordatio. Iudæi verò hæc omnia ut ſonant, acceperunt. Vnde deſcripta Dei præcepta, aut eorum præcipua in membranulis corio incluſis circumdederunt brachio ſiniſtro: & quaſi coronam capiti facientes, ab aure ad aurem fronti alligarunt. Has membranulas Gr. textus* φυλακτήρια *vocat i. conſervatoria, nimirum mandatorum Dei. Ita. Fr. Lucas, & alij.*

* Magnificant fimbrias. *Iuſſi fuerunt Iudæi Num. 5. 38. de quatuor angulis palliorum ſuorum (quæ ad utrumque viri latus binos habebant angulos) ſuſpendere fimbrias; quas cùm viderent, recordarentur mandatorum Dei. Has porrò Scribæ & Phariſæi, quaſi ceteris religioſiores, vanâ oſtentatione gerebant ampliores quàm alij. Ejuſmodi veſtes videtur hic Marcus* ſtolas *appellare, dum de Scribis ait:* Qui volunt in ſtolis ambulare, *ſcilicet fimbriatis. Has vanas ſtolas & fimbrias Chriſtus reprehendit hoc loco. Erant enim hæ veſtes talares, ſeu pallia magnificis fimbriis ornata. Sic Euthym. & alij Interpp. in Marcum. Vide ſuprà, cap. 127.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in
foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. Nec vocemini magiſtri: quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus. Qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter. Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur: & qui ſe humiliaverit, exaltâbitur. 3

Væ autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia * clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introëuntes ſinitis intrare. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, * ſimulantes longam orationem: propter hoc * amplius accipietis judicium. c. 123. & c. 134. ſup.

* Clauditis &c. *v. ſuprà cap. 116. circa finem*: Tuliſtis clavem ſcientiæ. *Luc.* 11.

* Simulantes &c. *Marcus dicit*: Sub obtentu prolixæ orationis. *Sic nimirum venabantur eleëmoſynas viduarum.*

* Amplius accipietis judicium. *Lucas dicit*: Accipient damnationem majorem. *Et ſic intelligenda ſunt Matthæi verba.*

CAPUT CLXII.

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXII.

1. *Pergit Chriſtus Phariſæorum, Scribarumque mores peſſimos inſectari; eoſque ſeductionis, ſtultitiæ, perverſitatis, & aliorum ſcelerum arguere.*
2. *Quòd dum res minimas ſuperſtitioſè obſervant, grandia in ſe crimina admittant; velut* excolantes culicem, camelum autem glutientes.
3. *Quòd ob externam tantùm, ſimulatamque ſanctitatis ſpeciem, ſepulchra referant dealbata. Vnde meritò eos tandem à Deo vindice deſerendos, præmonet.* Matth. 23. 15.

1 VÆ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia * circuitis mare & aridam, * ut faciatis unum proſelytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo plus quàm vos. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: * Quicumque juraverit per templum, nihil eſt: qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti, & cæci: quid enim majus eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari, nihil eſt: quicumque autem juraverit in dono, quod eſt ſuper illud, debet. Cæci: quid enim majus eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ ſuper

* Circuitis mare & aridam. *Eſt hæc proverbialis locutio & hyperbolica, pro: Quæritis magno ſtudio & labore.*

* Vt faciatis unum proſelytum. προσήλυτος *ſignificat advenam qui à gentilitate ad iudaiſmum adductus eſt. Hos autem gentiles Scribæ & Phariſæi magno labore aucupabantur, non causâ ſalutis æternæ eorum, cùm propriam non curarent, ſed ob honorem aut lucrum à diſcipulis captandum. De hoc igitur reprehenduntur; & vel maximè quòd ita ad religionem ſuam pellectos vitijs & ſceleribus inquinarent, & ſemetipſis redderent nequiores.*

* Quicumque juraverit per templum &c. *Frivola erant hæc Scribarum ac Phariſæorum dogmata. Si quis juraſſet per templum, non cenſeri hoc juramentum, & ad nihil teneri, ſi quis hac ratione quidpiam promiſiſſet. Si quis verò juraſſet per aurum templi; hunc jureiurando obligari, & reum eſſe voti; & alia his ſimilia.*

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſsionis.

ſuper illud ſunt. & quicumque juraverit
in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo: & qui jurat in cælo, jurat
in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper
eum. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypo- 2
critæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis, quæ gra- c. 116. ſupra.
viora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem. hæc oportuit facere, &
illa non omittere. Duces cæci, * excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis
rapina, & immunditia. Phariſæe cæce,
* munda priùs quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypo- 3
critæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecio- c. 116.
ſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic & vos aforis
quidem paretis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.
Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, c. 116.
qui * ædificatis ſepulchra prophetarum,
&

* Excolantes culicem &c. *Proverbiale dictum eſt, quo exprimitur Phariſæorum hypocriſis, ſimulantium ſe religioſos in rebus minutis, cùm magnis ſe criminibus contaminarent; ſimiles ijs, qui, ſi fortè in vinum inciderit minutum animalculum, colo excipiunt grandiora verò & noxia animalia deglutire non metuunt.*

* Munda priùs. *Allegoricè reprehenditur hypocriſis, & interna commendatur mundities*

* Ædificatis ſepulchra &c *Impiè nimirum hæc agebant: 1. quia ad pompam hæc ſepulchra ædificabant (ait S. Chryſoſt.) & potius monumenta gloriæ ſibi ſtatuebant. 2. Dum hoc faciebant, patribus ſuis homicidis tacitè conſentiebant. quia ſimili maligno affectu Chriſtum eiuſque aſſeclas occidere meditabantur. 3. Et conſequenter Chriſtus arguit eorum hypocriſim in hoc facto, quo ſub ficta pietatis larva ſcelera ſua tegebant, ſicut latronum filij ſepeliunt homines à parentibus ſuis occiſos, ut latrocinium lateat. A Lapide.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

& ornatis monumenta juſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, * non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos * implete menſuram patrum veſtrorum. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ? Ideò ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem: * ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti * uſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus

s. 116.

v. ſup. c. 111.

V u

* Non eſſemus ſocij &c. *Falluntur, & mentiuntur hoc dicendo. Si enim Chriſtum prophetarum principem occiderunt; utique & prophetis vitia eorum, ſicut Chriſtus fecit, coarguentibus minimè pepercissent.*

* Implete menſuram &c. *Ex hoc verſu & ſequentibus docent Theologi, Deum regnis, rebus publicis, civitatibus & privatis hominibus certam ſtatuiſſe peccatorum menſuram, antequam ea plenè & pro meritis puniat: Ita hic Chriſtus expectavit cædem ſuam, ſuorumque Apoſtolorum, antequam everteret Ieruſalem. Ita Abulenſis quæſt. 53. & 59. alijque Interpp.*

* Vt veniat ſuper vos &c. Nota, *non intuliſſe Deum Iudæis occiſoribus pœnas ob peccata præcedentium, quaſi quæ his debebantur, illis infligeret; ſed quia tot tantaque homicidia patrata erant ab hominibus prioribus, nec ab ijs poſteri ceſſare voluerunt, nec aliorum exemplo reſipiſcere; decrevit Iudæos hos ſeveriſſime punire, prout inveterata eorum ſcelera merebantur. Ita Toletus in Luc. 11. Vide ſuprà cap. 116.*

* Vſque ad ſanguinem Zachariæ. *Hunc Zachariam patrem fuiſſe S. Ioannis Baptiſtæ, omnino probabile eſt. Ita ſentiunt SS. Cyrill. Epiphan. S. Thom. ut prefato cap. 116. dictum eſt.*

domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, non me videbitis amodò,* donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

* Donec dicatis &c. .i. *uſque ad finem mundi & diem judicij.* Tunc enim (*ait Gloſſa*) confitebuntur Dei filium, quem nunc crucifixerunt. *Ita quoque ſentiunt S. Auguſtin. Chryſoſt. Theophylact. & alij. v. c. 121. in fine.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in templo feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXIII.

1. *Vidua indigens minuta duo in gazophylacium mittit: quæ Chriſto judice maior omnibus donatio fuit.*
2. *Deus longè ultra donum, penſat donantis affectum.*

Marc. 12. 41. Luc. 21. 1.

b ET ſedens IESVS contra * gazophyla- 1
cium, aſpiciebat quomodo turba iacta-
ret æs in gazophylacium, & multi divites
jactabant multa. c Vidit autem & quamdam
viduam pauperculam mittentem * æra minu-
ta duo, b quod eſt quadrans: & convocans
diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, 2
quoniam vidua hæc pauper plus omnibus mi-
ſit, qui miſerunt in gazophylacium. c Nam
omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in mu-
nera

* Gazophylacium *locus erat ubi gaza templi ſervabatur.* Nota. *Significat hæc vox* primò *locum templi ampliorem; qualia multa erant in templo anteriori, quas cameras vulgò voces. Dicuntur autem in Scriptura paſtophoria, exedræ, gazophylacia. Quin etiam omnes exedræ ſive cameræ, quæ erant in circuitu atriorum templi, vocantur gazophylacia apud Ezechielem cap. 14. 17. licet alijs uſibus ſervirent; nimirum habitationi ſacerdotum, vel comedendis carnibus ſanctis. In alijs propriè dictis gazophylaciis ſeu cameris ſervabatur pecunia, & varia templi ſupellex. 2. hîc & alibi gazophylacium ſignificat arcam poſitam ad portam templi, qualis erat hæc, è regione cujus Chriſtus ſedebat. Ita Fr. Lucas. 3. Ioannis 8. v. 20. eadem vox ſumitur pro porticu templi ampla & ſpatioſa, in qua Chriſtus docebat; ubi porticus dicitur gazophylacium, quia in ipſa erat arca & gazophylacium, de quo hoc loco agitur. Vide ſuprà cap. 107.*

* Æra minuta duo *.i. duos nummos æreos minutiſſimi pretij.* Quadrans .i. *Teruncius. Fr. Lucas.*

nera Dei: [b] hæc verò * de penuria ſua omnia quæ habuit, miſit totum victum ſuum.

apud Lucam, ex eo quod deeſt illi.

* De penuria ſua, *quibus verbis declaratur id quod obſcuriùs dicitur*

CAPUT CLXIV.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta circa montem Oliveti feriâ 3. ante paſsionem, ad veſperam.

1. *Diſcipuli ingentia templi ſaxa, & magnificentiam ejus extollunt.*
2. *Chriſtus lamentabile ejus excidium atque everſionem prædicit.*

Matth. 24. 1. Marc. 13. 1. Luc 21. 5.

1 [a] ET egreſſus IESVS de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationem templi. [c] Et quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis lapidibus & donis ornatum eſſet, [b] ait illi unus ex diſcipulis ejus: Magiſter, aſpice * quales lapides, & quales ſtructu-
2 ræ. Et reſpondens IESVS, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? [a] Amen
C. 149. dico vobis, [c] venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

* Quales lapides. *Erat templum orbis miraculum, tum ob ſaxa marmorea, & ſtructuram admirabilem, tum ob aurum quo radiabat, teſte Ioſepho lib. 6. belli cap. 6. ubi de templo ſic dicit: Exterior ejus facies nihil quod animi & oculi mirarentur, non habebat. Cruſtis enim aureis graviſsimis undique tecta, ultra primos ortus igneo ſplendore lucebat, ut cùm intuerentur contendentium oculi, quaſi ſolis radijs averterentur.*

Nota *Apoſtolos hac templi oſtenſione intendiſſe ad commiſerationem excitare Chriſtum qui jam anteà everſionem ejus prædixerat ipſâ die triumphalis ſui in urbem ingreſſus. Hanc cauſam adferunt S. Hilar. & interpp. Vide cap.* 149.

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXV.

1. *Feria 3. ad veſperam, in monte Oliveti, Apoſtoli inquirunt de tempore excidij templi, urbis & orbis. Simul enim hæc tria interitura credebant. Huic quæſtioni adjungunt de tempore adventus Chriſti ad regni ſui poſſeſſionem.*
2. *Chriſtus ſigna prævia & communia utrique excidio eaque varia & gravia eis prænunciat; nimirum pſeudoprophetas, bella, peſtem, famem, terræmotus, perſecutiones, atque Euangelij per univerſum mundum prædicationem.*

Matth. 24. 3. Marc. 13. 3. Luc. 21. 7.

^b ET cùm ſederet in monte Olivarum con- 1
tra templum, interrogabant eum ſeparatim Petrus & Iacobus, & Ioannes & Andreas: Dic nobis, quando iſta fient? & quod ſignum erit, * quando hæc omnia incipient conſummari? ^a & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi? Et reſpondens 2
JESUS dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat. multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, ^c & tempus appropinquavit:

Nota. *Hunc ſermonem habuit Chriſtus ad Apoſtolos, cùm in reditu Bethaniam, ſederet in monte Oliveti. Alij putant habitum fuiſſe poſt cœnam Bethaniæ ſumptam, cùm de more ad orandum ſe cum Apoſtolis in montem hunc receptiſſet. Sermo autem hic poſtremus ante ultimum & inſtans Chriſti Paſcha, totus eſt de 2. ejus adventu, ac de repentino tremendoque judicij die. Unde docet vigilantiam, orationem & præparationem ſedulam in hunc diem, maximè neceſſaria eſſe.*

* Quando hæc omnia incipient conſummari &c. *.i. quando templum, civitas & ſæculum ſeu mundus perire incipient? hæc enim tria arbitrabantur uno eodemque tempore peritura. Rogant ergo 1. quando hæc mala urbi & orbi eventura eſſent. 2. quod ſignum præceſſurum eſſet ante urbis & generale mundi excidium, ipſiuſque adventum. Ita SS. Hieronymus & Hilarius. Exiſtimabant nempe Apoſtoli templum perire non poſſe, niſi ſimul & mundus periret. Expectabant quoque regnum & adventum Domini glorioſum, de quo audiverant eum loquentem Matth.* 16. 27. Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui &c. *Unde de his omnibus interrogant, & ſignum prævium ſcire cupiunt.*

Annus Christi 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti fer. 3. hebdomadæ Paſſionis.

vit:ᵃ & multos ſeducent: nolite ergo ire poſt eos. ᵃ Audituri enim eſtis prælia & opiniones præliorum, ᶜ & ſeditiones. ᵃ Videte ne turbemini. oportet enim hæc fieri, ᶜſed nondum ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum. Et terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ & fames, terroreſque de cælo, & ſigna magna erunt. ᵃ Hæc autem omnia initia ſunt dolorum ᵇ Videte autem voſmetipſos. ᶜ Ante hæc omnia injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides, propter nomen meum. ᵇ Tradent enim vos in concilijs, & in ſynagogis vapulabitis, ᵃ & occident vos: ᶜ* continget autem vobis in teſtimonium.ᵇ Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini [&] ᶜ quemadmodum reſpondeatis, ᵇ ſed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquimini: non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſanctus. ᶜ Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri. * Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis: & morte afficient ex vobis. ᵃ Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum: ᶜ & capillus de capite veſtro non peribit. ᵃ Et tunc ſcandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſedu-

V u 3

* Contingет autem vobis in teſtimonium *Marcus dicit*, in teſtimonium illis. *i. contra illos: Senſus eſt: Mala hæc, quæ patiemini ab adverſariis & impiis hominibus ſervient vobis loco publicorum teſtimoniorum perfidiæ & crudelitatis ipſorum adverſus vos, per quæ manifeſtum erit, juſtè illos à Deo puniri tùm hoc tempore, tum in die judicij Divinam vindictam minimè evaſuros.*

* Trademini autem &c. *Marcus habet*: Tradet autem frater fratrem in mortem. & conſurgent filij in parentes, & morte afficient eos.

Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

ſeducent multos. Et quoniam abundavit * iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. c In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. a Et * prædicabitur hoc Euangelium in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: * & tunc veniet conſummatio.

* Iniquitas .i. *infidelitas, hæreſis, perſecutio, tyrannis, omniſque impietas.*

* Prædicabitur hoc Euangelium &c. Nota. *Signum hoc etiam templi & urbis excidio prævium fuit. nam ante illud, Euangelium prædicatum fuit per præcipuas orbis partes & provinciâs: omninò tamen & propriè complendum eſt hoc ſignum ante orbis conſummationem (ut docent S. Hieronymus & alij PP.) quando omnes gentes, quæ ſunt in rerum natura, Euangelium audient.*

* Et tunc veniet conſummatio. *Imaginabantur Apoſtoli, brevi adfore rerum finem. Verùm docet Chriſtus non ita brevi adfuturum, ſed priùs etiam medias inter perſecutiones prædicandum Euangelium in toto orbe, antequam veniat* conſummatio, *id eſt rerum, & mundi finis. Græcè enim eſt* τὸ τέλος. *Ita S. Hieron. Beda, & alij. S. Chryſoſt. verò & Græci PP. intelligunt hic per* conſummationem *finem gentis Iudaicæ, urbiſque ac templi excidium. Verùm Chriſtus non determinat de utrius conſummatione ſeu fine loquatur. vult enim tàm hoc ſignum prædicationis Euangelij, quàm præcedentia de utriuſque fine ſeu conſummatione intelligi; nimirum tùm ante everſionem ſeu finem templi ac civitatis Ieroſolymorum, tùm ante finem mundi, Euangelium prædicandum omnibus gentibus univerſi orbis. Quod quidem factum fuit per præcipuas orbis partes ante urbis templique exitium, ſed pleniſſimè fiet ante mundi conſummationem, ut priùs dictum fuit. Et hac ratione conciliantur Patres atque Interpretes. Ita Franc. Lucas Matth. 24. & ante eum Dionyſius Carthuſ.*

CAPUT CLXVI.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſsionis.

CAPUT CLXVI.

1. *Deſolationem horrendam, deteſtabilem, funeſtamque profatur; Romanorum vid. irato profanoque exercitu civitatem ſanctam obſidente, idola ſua ſignaque impia circumferente: cui acceſſura templi auguſtiſsimi per ſeditioſos cives profanatio; tunc enim inſtare urbis gentiſque excidium ac fugæ tempus eſſe denunciat.*

2. *Monet Apoſtolos, ne pſeudochriſtis & pſeudoprophetis credant, falsò Meſsiam oſtentantibus; adventum enim ſuum ad judicium toti mundo fore ſpectabilem ac manifeſtum.*

Matth. 24. 15. Marc. 13. 14. Luc. 21. 20.

1 c CVm autem videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem [&] a *abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele

Nota, *ſigna huius capitis propria eſſe urbis everſioni.*

* Abominationem deſolationis. *Per hypallagen abominatio deſolationis eſt deſolatio abominabilis, inquit Vatablus. Syrus dicit:* portentum immundum vaſtationis, *id eſt, rem abominandam ac deteſtandam, quæ extremam minitetur deſolationem.*

Gravis eſt quæſtio, quæ ſit hæc abominatio deſolationis. *Porrò omiſsis variis variorum ſententiis,* 1. *valde probabile videtur, deſignari his verbis, exercitum Romanorum Ieruſalem obſidentium, qui mox urbi temploque vaſtationem & interitum erat allaturus. Gentiles enim hos, eorumque idola aurea argenteáve, quæ circumferebant, quæque in ſignis vexilliſque deportabant, abominabantur Iudæi. Vnde pro* abominatione deſolationis, *quæ eſt apud Matthæum, S. Lucas dicit:* Cùm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem. *Ita S. Auguſtin. ep. 80. ad Heſychium, Orig. hom. 29. in Matth. Caietan. Salmeron, Pererius hîc, & Suar. q. 59. a. 6. diſp. 54. ſect. 5.*

2. *Non minùs probabilis eſt plurimorum expoſitio, qui* deſolationem *hanc, eam eſſe interpretantur, quæ à ſeditioſis civibus facta eſt; hi enim Iudæorum ſceleratiſsimi, qui ſe ipſi zelotas dixerunt, & civitatem templumque viſi ſunt contra Romanos velle defendere, nefariè in cives ſuos ac ſacerdotes graſſati ſunt; imò & templi ſacratioris adyta cæde ſacerdotum atque omni flagitiorum genere contaminarunt, vereque ac propriè effecerunt ex eo ſpeluncam latronum, teſte Ioſepho lib. 18. antiq. & lib. 2. belli. Nec tantum in poſteriori obſidione ſub Tito, ſed neque in priori, duce Seſtio Floro, Syriæ præſide, etiam in interiori templi parte, à cæde ac ſanguine civium aliiſque ſceleribus ſibi temperarunt. Hinc, ut idem*

Annus Christi 31.
Prædicationis 4
Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſsionis.

Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto, Dan. 9. 27.
[b]ubi non debet: [a]qui legit intelligat: [c]tunc
ſcitote quia appropinquat deſolatio ejus:
tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, diſcedant: &
qui in regionibus, non intrent in eam:
[b]& qui ſuper tectum, non deſcendat in
domum, nec introëat, ut tollat quid de
domo ſua: & qui in agro erit, non revertatur retrò tollere veſtimentum ſuum:
[c]quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur
omnia quæ ſcripta ſunt. [a]Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.
* Orate autem ut non fiat fuga veſtra in
hieme vel ſabbato. [c]erit enim preſſura
magna ſuper terram, & ira populo huic,
[&] [a]tribulatio magna, *qualis non fuit
ab initio mundi uſque modò, neque fiet.
[c]Et cadent in ore gladij: & captivi ducentur in omnes gentes, & Ieruſalem calcabitur à gentibus: * donec impleantur
tempora

ut idem Ioſephus lib. 2. de bello cap. 25. ait: Poſt Seſtij caſus adverſos, nobilium Iudæorum multi tamquam è navi peritura ex civitate enatabant. *De hoc autem opportuno fugæ tempore Apoſtoli ac fideles hic à Chriſto præmonentur:* Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant &c. *Ita hanc* abominationem *exponunt Abulenſis, Ianſen. Barrad. Heſſelius ac Baronius an. Chriſti 68. aliíque non pauci.*

3. *Vt plena ſit perfectaque huius difficilis loci explicatio, utrumque ſenſum conjungunt Euthymius, Franc. Luc.us, & à Lapide in Danielis 9. hoc modo: Quamprimùm videritis civitatem & templum à Romanorum abominando exercitu foris obſideri; nec minùs ab æquè execrando civium impiorum exercitu templum ſanctum occupari, uno quidem oppugnante, altero verò propugnante; uno ob idola, altero ob ſcelera palàm abominando; utroque nihil niſi deſolationem minitante;* tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes &c.

* Orate autem &c. *Loquitur hic Chriſtus humano more & ſecundùm vulgi opinionem. Hieme enim incommodum eſt fugere, & ſabbato prohibebat religio ultra mille aut bis mille paſſus iter facere; nimis rigidè enim vulgus putabat, ſabbatum etiam cum vitæ periculo obſervandum eſſe.*

* Qualis non fuit &c. *Si nempe hæc Iudæorum tribulatio cum particularibus gentium ac regionum tribulationibus conferatur; non autem cum univerſali totius mundi interitu.*

* Donec impleantur tempora &c. *.i. uſque ad mundi finem.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

tempora nationum.[a] * Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies
2 illi. * Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. [b] Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. [a] Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, * nolite credere. * Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem: ita erit & adventus Filij hominis. * Ubicumque
Cap. 132. fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.

* Et niſi breviati &c. *i. niſi pauciores dies à Deo decreti eſſent, quàm vel Iudæorum culpa, vel Romanorum ira exigebat, omnes Iudæi interirent.*

* Tunc ſi quis vobis. *Hæc ſequentia verba ad ſigna quoque excidij urbis (de quibus hactenus) propriè referri, docent Franciſcus Lucas, & A Lapide.*

* Nolite credere. *Nam adventus meus ad judicium non erit abſconditus &c.*

* Sicut enim fulgur &c. *q.d. Adventus meus glorioſus inſtar fulguris erit, vid. inexpectatus; & non in angulo, ſed toti mundo conſpicuus. Ita SS. Chryſoſtomus & Hieronymus.*

* Vbicumque fuerit &c. *Vide ſuprà cap. 132.*

CAPUT CLXVII.

Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſsionis.

CAPUT CLXVII.

Excidij orbis, adventus Chriſti ac judicij ultimi ſigna propria & portenta exponuntur, nimirum;

1. *Solis, lunæ & ſtellarum obſcuratio.*
2. *Virtutum cæleſtium, elementorum, ac totius univerſitatis horror & commotio.*
3. *Crucis in aëre radiantis aſpectus.*
4. *Hinc impiorum planctus & conſternatio: juſtos verò eriget & confirmabit ſpes atque fiducia.*

Matth. 24. 29. Marc. 13. 24. Luc. 21. 25.

[b] * IN illis diebus poſt tribulationem illam, 1
[c] erunt ſigna in ſole & luna, & ſtellis:
[a] ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen
ſuum, [b] & ſtellæ cæli erunt * decidentes, [c] &
in terris preſſura gentium præ confuſione ſo-
nitus maris, & fluctuum: areſcentibus homi- 2
nibus præ timore, & expectatione, quæ ſu-
pervenient univerſo orbi: nam * virtutes cæ-
lorum movebuntur: [a] & tunc parebit * ſignum 3
Filij hominis in cælo: & tunc plangent om-
nes tribus terræ: & videbunt Filium hominis
venientem in nubibus cæli cum virtute mul-
ta & majeſtate [b] & gloria. [a] Et mittet Ange-
los ſuos cum tuba, & * voce magna: & con-
gregabunt

* In illis diebus. *Apud Matthæum legitur,* Statim autem poſt tribulationem dierum illorum. *ubi* Nota, *Chriſtum ſtatim ab excidio Ieroſolymæ tranſire ad excidium mundi quaſi mox ſecuturum; tùm quia tempus hoc breve eſt æternitatis intuitu; unde* hora noviſſima *dicitur* 1. *Ioan.* 2. *v.* 18. *tùm ut omnes expectatione diei judicij teneat ſuſpenſos & attentos.*

* Decidentes .i. *videbuntur hominibus ſtellæ de cælo cadere, quia ſubitò deſtituentur lumine, quaſi in cælo amplius non ſint; ita ut cælum omne cæcum ſine ullis luminibus appareat. Franc. Lucas, & alij.*

* Virtutes cælorum &c. *Gr.* δυνάμεις. 1. *Firmamenta & cardines cælorum commoveri videbuntur.* 2. *Potentiæ & influentiæ cælorum in hæc inferiora turbabuntur unà cum turbatis cæli motionibus. A Lapide.*

* Signum Filij hominis, *videlicet Crux ab Angelo præferenda. Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alij paſſim.*

* Voce magna, *ſcilicet tubæ inſonantis* Surgite mortui &c.

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

gregabunt electos ejus à quatuor ventis, * à
ſummis cælorum uſque ad terminos eorum.
4 ᶜ His autem fieri incipientibus, reſpicite, &
levate capita veſtra: quoniam appropinquat
redemptio veſtra. ᵃ* Ab arbore autem fici di-
ſcite parabolam: cùm jam ramus ejus tener
fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æ-
ſtas: ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſci-
tote quia propè eſt in januis, [&] ᶜpropè eſt
regnum Dei. ᵃ Amen dico vobis, quia * non
præteribit generatio hæc, donec omnia hæc
fiant. * Cælum & terra tranſibunt, verba au-
tem mea non præteribunt.

* A ſummis cælorum &c. *S. Marcus habet*, à ſummo terræ uſque ad ſummum cæli. *.i. ab uno extremo terræ uſque ad alterum, quod cælo eminus ſpectantibus jungi videtur.*

* Ab arbore autem &c. *S. Lucas dicit*: Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: cùm producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas. *Senſus eſt: Sicut ficus (quæ paſſim obvia erat in Palæſtina) vel alia arbor, germinare & fructus producere incipiens, ſolis & æſtatis nobis propinquantis ſymbolum eſt; ita hæc omnia à me dicta Iudicij vicini & mundi conſummationis ſigna ſunt.*

* Non præteribit &c. *.i. Omnia hæc fient priuſquam genus humanum finiatur.*

* Cælum & terra &c. *Dicit Chriſtus verba ſua cælo & terrâ, firmiſſimis totius machinæ mundi corporibus firmiora & conſtantiora eſſe. Cælum enim & terra mutabuntur; non quidem ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm præſentem ſtatum, quo ſerviunt rerum generationi & corruptioni, quem mutabunt cum meliore ſtatu non abſque maxima ipſorum & totius univerſi perturbatione. Ita Franc. Lucas.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXVIII.

1. *Vigilanter & circumſpectè agendum eſſe. nam dies judicij nulli cognitus eſt, & hominibus incogitantibus improviſus obveniet.*
2. *Cavendum à crapula atque ebrietate, & inſtanter orandum.*
3. *Epiſcopis ac paſtoribus vel maximè, ut gregem ſuum ſervent & paſcant, vigilandum eſſe.*

Matth. 24. 36. Marc. 13. 32. Luc. 21. 34.

[b] DE die autem illo vel hora * nemo 1
ſcit, neque Angeli in cælo, neque
Filius, [a] niſi * ſolus Pater. [c] Attendite au-
tem vobis, ne fortè graventur corda ve- 2
ſtra in crapula, & ebrietate, & curis hu-
jus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina
dies illa: tamquam laqueus enim ſuper-
veniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem
omnis terræ. [a] Sicut autem in diebus Noë, Sup. cap. 132.
ita erit & adventus Filij hominis. ſicut
enim erant in diebus ante diluvium come-
dentes & bibentes, nubentes & nuptui tra-
dentes, uſque ad eum diem, quo intravit
Noë in arcam, & non cognoverunt, do-
nec venit diluvium, & tulit omnes: ita
erit & adventus Filij hominis. Tunc duo cap. 132.
erunt in agro: unus aſſumetur, & unus
relinquetur. duæ molentes in mola: una
aſſumetur, & una relinquetur. [b] Videte,
vigilate, & orate: neſcitis enim quando
tempus ſit [&] [a] qua hora Dominus ve-
ſter

* Nemo ſcit &c. *Noverat hunc diem Chriſtus ut Deus, imò etiam ut homo privatus, quia Verbo unitus; non tamen ut erat publicus ad homines legatus, quia Pater voluit hunc diem eſſe ſecretum, ut homines omni tempore vigilarent, & ad eum ſe compararent. Ita PP. & Interpp. S. Hieron. Chryſoſt. Orig. Beda, Theophyl. in hunc locum, Suar. 3.p.qu.10. art.2.*

* Solus Pater. *Dictio,* ſolus, *non excludit Filium & Spiritum ſanctum, ſed tantummodò creaturas, quod Euthymius & alij annotant.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

ſter venturus ſit. [c] Vigilate itaque omni
tempore orantes, ut digni habeamini fu-
gere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſta-
Cap. 118. re ante Filium hominis. [a] Illud autem ſci-
tote, quoniam ſi ſciret paterfamiliàs qua
hora fur venturus eſſet, vigilaret utique,
& non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo
& vos eſtote parati, quia qua neſcitis
3 hora Filius hominis venturus eſt. [b] * Sic-
ut homo qui peregrè profectus reliquit
domum ſuam, & dedit ſervis ſuis pote-
ſtatem cujuſque operis, & janitori præ-
Cap. 119. cepit ut vigilet. [a] * Quis, putas, eſt fide-
lis ſervus, & prudens, quem conſtituit
dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis
cibum in tempore? Beatus ille ſervus,
quem cùm venerit dominus ejus, inve-
nerit * ſic facientem. amen dico vobis,
quoniam ſuper omnia bona ſua conſti-
tuet eum. Si autem dixerit malus ſervus
ille in corde ſuo: Moram facit dominus
meus venire: & cœperit percutere con-
ſervos ſuos, manducet autem & bibat
cum ebrioſis: veniet dominus ſervi illius
in die, qua non ſperat, & hora qua igno-
rat: & * dividet eum, partemque ejus po-
net.

* Sicut homo &c. *Supplenda eſt ſententia hoc vel ſimili modo: Nam filius hominis veniet* ſicut homo qui peregrè profectus &c.

* Quis putas &c. *Hæc dicta propriè pertinent ad Epiſcopos & Prælatos, quorum eſt, gregi ſuo congruum cibum, id eſt doctrinam & Sacramenta impertiri. Ita Hilar. Beda, & alij.* Quamquam in commune (*ait S. Hilar.*) nos ad indefeſſam vigilantiæ curam adhortetur; ſpecialem tamen populi principibus; id eſt Epiſcopis, in expectatione adventus ſui ſolicitudinem mandat.

* Sic facientem, *vid. prudenter ac fideliter officio paſcendi regendique populi fungentem.* Ianitoris *autem nomine S. Petrus hîc deſignari videtur. Ita Ianſen. & Franc. Lucas. Vide eadem monita ſuprà cap.* 119.

* Divide eum &c. *Separabit eum à familia ſua, & à conſortio Sanctorum (ait S. Hieron.)* partemque ejus ponet cum hypocritis *.i. ſervis pigris, qui ad oculum domini*

net cum hypocritis. illic erit fletus, & ſtridor dentium. [b] Vigilate ergo, (neſcitis enim quando dominus domus veniat: * ſerò, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

ni ſerviunt, aliàs otiantur. Sic in Proverbiorum libro paſſim hypocrita ſumitur pro impio, quod aliud agat quàm profiteatur, ſeu præ ſe ferat.

* Serò, an media nocte. Nota: *Nocte potiſſimùm, quæ ad ſomnum invitat, monemur vigilare. Recenſentur autem quatuor præcipuæ noctis partes, ſive vigiliæ; ut intelligamus omni vitæ ætate, imò omni temporis momento vigilandum eſſe. Ita Euthymius, & Theophylactus.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXIX.

1. *Regnum cælorum nuptijs confertur regalibus; ad quas prudentes tantummodò, ſeduláque virgines admiſſæ ſunt; fatuæ verò & ignavæ repulſam paſſæ.*
2. *Prudentes animæ ſunt, quæ fidem aſtruunt operibus bonis; fatuæ verò, quæ ſola fide, quaſi inani lampade contentæ.*
3. *Lampas lucens, & oleo abundans opera bona denotat, à charitatis olivo ignem ac lucem mutuantia.*

Matth. 25. 1.

* Tunc ſimile erit. *Regnum cælorum comparatur hîc regalibus nuptijs, ut ſuprà cap.* 119. *Moris autem erat ut ſponſus veſpere adiret ædes ſponſæ, ubi honorificè exceptus ſponſam inde ad ædes ſuas deducebat, ibique nuptias celebrabat, & conſummabat. Pueri autem & virgines tam ſponſo quàm ſponſæ obviàm procedebant, tædas è ſpina præferentes.*

* TUnc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades

Sponſus *ergo hîc eſt Chriſtus.* Virgines, *ſunt fideles, quia in fide ſinceri ſunt & integri.* Decem *numerantur, quia denarius numerus ſymbolum eſt univerſitatis.* Prudentes *ſunt, quæ fidem habent cum operibus bonis.* Lampas *enim lucens, & oleo abundans ſignificat bona opera, quæ à charitatis oleo procedunt & lucent. Ita S. Auguſtin. ſerm.* 23. *de verbis*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſsionis.

pades ſuas, exierunt obviàm ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: ſed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum: prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviàm ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Noviſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille reſpondens, ait: Amen dico vobis, neſcio vos. Vigilate itaque, quia neſcitis diem, * neque horam.

verbis Domini. Fatuæ *ſunt, quæ bonis operibus deſtitutæ, ſolam habent fidem (ut docet S. Hilar.) hinc & oleo carent, & lampades habent extinctas. Licet enim hominibus per fidei profeſſionem, & Sacramentorum communicationem, ſpeciemque honeſtam ardere videantur; in morte tamen & judicio patebit eas verè fuiſſe extinctas.*

Inſuper mora *ſponſi, eſt tempus pœnitentiæ & bonorum operum in hac vita.* Dormitare, *eſt mori. Dormire, eſt mortuum eſſe.* Clamor *eſt vox tubæ. Reliqua ferè ſunt emblematica. Ita à Lapide, & Bellarm. lib. 5. de æterna felicit. cap. 6. quem vide; item S. Gregorius homil. 12. in Euang. ubi ſic ait* : O ſi ſapere in cordis palato poſſit, quid admirationis habeat, quod dicitur: Ecce ſponſus venit; *quid dulcedinis* : Intraverunt cum eo ad nuptias; *quid amaritudinis*: Et clauſa eſt janua!

* Neque horam, *quâ ſcilicet Filius hominis ad judicandum venturus eſt.*

CAPUT CLXX.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſsionis.

CAPUT CLXX.

Parabolæ expoſitio.

1. *Chriſtus à ſuo in cœlum aſcenſu varia fidelibus dona elargitur, toto hujus vitæ decurſu.*
2. *In die noviſſimo Iudex univerſorum rediturus eſt, donorum omnium, naturæ, gratiæ, bonorumque externorum rationem exacturus.*
3. *Operarios ſtrenuos præmijs remunerabitur; ignavos verò boniſque operibus vacuos ad ſupplicia condemnabit.* Matth. 25. 14.

Nota. *Parabolæ hujus de talentis, & alterius de minis Luc. 19. v. 12. idem ſcopus eſt; vid. oſtendere quam rationem gratiæ datæ exacturus à nobis ſit Chriſtus in die judicij. Vide ſup. cap. 145.*

1 * SIcut enim homo peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et * uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique * ſecundùm propriam virtutem, & profectus

Cap. 145.

* Sicut enim homo &c. *Supple ex præcedenti, ſic erit regnum Dei, vel, ſic erit adventus Filij hominis ad judicium.*

* Vni dedit quinque talenta. *Talentum, vox eſt Græcis & Latinis uſitata. Notandum eſt autem; talentum non eſſe nummi nomen, ſed ponderis, ſive nummorum certo pondere cuſorum, ſive maſſarum auri, argenti, alteriùſve metalli, quod definiunt qui de ſacris ponderibus ſcribunt, ſexcentis auri drachmis ſive aureis francicis, ſi nimirum de talento Attico ſermo eſt. Ita Budæus lib. de aſſe. Si verò de Hebraico agatur, talentum unum valebit duodecim millibus drachmarum ſive aureorum, ut ſuprà cap.* 100.

Per talenta *intellige quælibet Dei dona; gratias nimirum gratum facientes, & gratis datas; dona inſuper naturæ, ac dona bonaque externa. Hæc enim omnia Deus inæqualiter & pro libitu hominibus diſtribuit, ut quiſque ijs utatur ad Dei gloriam, & ſuam aliorumque ſalutem. Agitur autem hic potiſſimùm de gratijs gratis datis, ut docent S. Chryſoſtomus, & Franciſcus Lucas. Hanc porrò talentorum diſtributionem explicat Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 8. & ſeqq.* Aſcendens (*Chriſtus*) in altum &c. dedit dona hominibus &c. *Vide Bellarmin. de felic. æterna lib. 5. c. 4 ubi per* talenta, *accipit etiam animas fidelium Prælatis creditas.*

* Secundùm propriam virtutem. *Gr.* δύναμιν, *poteſtatem, robur, vires. Quamvis enim gratia prima non detur ſecundùm naturales vires & merita, nullaque ſit in natura ad gratiam diſpoſitio; gratias tamen gratis datas, & ſtatus, ut magiſtratum, epiſcopatum,*

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in monte Oliveti feria 3. hebdomadæ Paſſionis.

profectus eſt ſtatim. Abijt autem qui quin-
que talenta acceperat, & operatus eſt in eis, &
lucratus eſt alia quinque. Similiter & qui duo
acceperat, lucratus eſt alia duo. Qui autem u-
num acceperat, abiens fodit in terram, & ab-
2 ſcondit pecuniam domini ſui. Poſt multum
verò temporis venit dominus ſervorum illo-
rum, & poſuit rationem cum eis. Et acce-
dens qui quinque talenta acceperat, obtulit
alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque
3 talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuper-
lucratus ſum. Ait illi dominus ejus: Euge ſerve
bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis,
ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium
domini tui. Acceſſit autem & qui duo talenta
V.c. 145. acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidiſti
mihi, ecce alia duo lucratus ſum. Ait illi do-
minus ejus: * Euge ſerve bone & fidelis, quia
ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te con-
ſtituam, intra in gaudium domini tui. Acce-
dens autem & qui unum talentum acceperat,
ait: Domine, ſcio quia homo durus es; metis
ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſpar-
ſiſti: & timens abij, & abſcondi talentum tuum
in terra: ecce habes quod tuum eſt. Reſpon-

patum, ſacerdotium &c. ſæpè Deus viribus naturæ contemperat; neque hominem ad ſtatum aliquem aut gradum eligit, niſi ei ferendo par ſit, & naturâ idoneus, aut quem ipſe idoneum faciat. Ex hoc ergo Chriſti dicto non ſequitur, ſingulis conferri Dei dona ſecundùm meriti ſui modum. Ita A Lapide, Ianſenius, Franciſcus Lucas.

* Euge ſerve bone &c.

Hoc loco duæ res fidelibus promittuntur: 1. Poteſtas ampliſſima, illis verbis, Super multa te conſtituam. *Quæ autem ſint illa* multa, *explicat Matth.* 24. 47. 'Super omnia bona ſua conſtituet eum. *.i. Poteſtatem dabit ei in omnes res inferiores, & conſortem faciet imperij, quod habet Deus ipſe in mundum univerſum. 2. Promittitur gaudium maximum:* Intra in gaudium Domini tui. *id eſt, non gaudium hoc aut illud, de hoc vel illo bono; ſed ipſum gaudium abſolutè, ipſa voluptas, ipſa dulcedo; denique gaudium, quo gaudet Deus, in quo ſunt omnia infinita. Hoc porrò gaudium non intrabit in Sanctos, ſed ipſi intrabunt in illud, quod inſtar maris immenſi undique circumdabit, & circumfluet beatos. In hunc ſenſum exponit hæc verba Bellarminus de felicitate æterna lib.* 5. *cap.* 4.

dens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis: & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura. * Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. * omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & * quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem ſervum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium.

* Tollite itaque ab eo &c. *Reprobi ſpoliabuntur bonis omnibus.* *Quod verò ſequitur*, date ei qui habet, *emblema eſt parabola, quo tamen tacitè innuit Chriſtus, dandum fideli ſervo donum à pigro ablatum non idem numero, ſed ſpecie, ſi deſit; neque ad uſum (præterierit enim tempus meriti) ſed ad gaudij, honoris & gloriæ acceſſionem. Ita Franc. Lucas.*

Nota *hic (quod alias dictum) in parabolis neceſſe non eſſe, ut accommodentur omnia rebus ſignificatis, ſed ſatis eſſe, ut id accommodetur, quod in parabola præcipuum eſt, ut docet S. Chryſoſt. hom. 48. & 65. in Matth. & Bellarm. ſuprà, aliique Interpretes.*

* Omni enim habenti &c. *Probat Chriſtus id quod priùs dixit, vulgari hoc allato proverbio,* Ditioribus dari, pauperibus ſemper auferri; *quod nimirum apud homines parum æquum eſt, apud Deum verò juſtiſſimè fit.* Omni habenti, *videlicet Dei dona, id eſt, bene rectéque eis utenti (nam ille demum verè habet, qui rectè utitur)* dabitur *plus donorum. Senſus ergo eſt: Hæc certiſſima ſententia divino conſilio decreta eſt, ut qui rectè uſus fuerit donis ſibi à Deo creditis, is amplioribus augeatur. Ita S. Auguſtin. lib. 2. quæſt. Euangg. qu. 46 & S. Chryſoſt. in hunc locum.*

* Quod videtur habere, *nempè quia inutilis ſervus habet Dei munera, tamquam ſi non habeat: otiosè enim & ſine fructu habet, non eis utens, aut ſe alioſve juvans. Simili enim modo dicimus,* Avaro tam deeſſe quod habet, quàm quod non habet. *Sic Franc. Lucas, & A Lapide.*

CAPUT CLXXI.

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXXI.

1. *Chriſti Iudicis in ſecundo & glorioſo adventu maieſtas.*
2. *Electorum ab improbis ſeparatio.*
3. *Primùm pro electis; deinde contra ſceleſtos ac reprobatos ſententia feretur.*
4. *Miſericordiæ officia recenſentur pro omni bonorum operum genere, quæ à juſtis Dei cauſa & amore ſuſcepta; ab impiis verò neglecta.* Matth. 25. 31.
5. *Chriſtus mortem ſibi mox in Paſchate inſtantem prædicit.* Matth. 26. 1.

1 CVm autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & * omnes Angeli cum eo,
tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: &
* congregabuntur ante eum omnes gentes, &
2 ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat
oves ob hœdis: & ſtatuet oves quidem à dex-
3 tris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet
rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, * poſſidete paratum vobis
4 regnum * à conſtitutione mundi. * eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me:

* Omnes Angeli. *Omnes cum Chriſto ad judicium venient, à primo ſupremi, uſque ad ultimum infimi ordinis & chori, cælis eva cuatis, inquit S. Chryſoſtomus.*

* Congregabuntur, *ſc. in vallem Ioſaphat, Ioël 3. v. 2. & 12.*

Yy 2

* Poſsidete. *Gr.* κληρονομήσατε. *id eſt hereditate ſeu jure hereditario poſſidendum accipite, ut veri heredes Patris, & coheredes mei. Duplici enim titulo dabitur Sanctis gloria cæleſtis; primo, hereditatis, utpote filijs; ſecundò, mercedis, utpote promeritis.* Nota *porrò vocari primùm juſtos ad coronam, pòſt verò amandari reprobos ad ſupplicium, ut intelligamus Deum promptiorem eſſe ad præmiandum quàm ad puniendum.*

* A conſtitutione mundi, *ponitur pro, ab æterno.*

* Eſurivi &c. *Eſurivi in membris & fratribus meis, & dediſtis mihi manducare &c.*

Nota 1. *Sub uno genere bonorum operum, puta miſericordiæ corporalis intelligi vult Chriſtus omnia alia virtutum genera. Tantùm enim exempli causâ profert unius generis opera,*

Digitized by Google

me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus te? ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens rex, dicet illis: Amen dico vobis: Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. eſurivi enim, & * non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.

opera, maximè facilia, & omnibus obvia, & à quibus, ſaltem ope, conſilio, commiſeratione præſtandis nemo ſe excuſare poteſt. Simul ut illa ſeriò nobis commendet. Denique ut oſtendat, quanto præmio remuneraturus ſit alia longè excellentiora opera, ſi pro his minimis regnum æternum largiatur. Ita Tirinus.

* Non dediſtis mihi &c. *Nota* 1. *inter hos non cenſeri infideles. Ratio enim judicij hic à Domino commemorata, non ad omnes homines pertinet, ſed tantùm ad fideles. nam infideles non potiſſimùm ob neglecta miſericordiæ opera condemnabuntur, ſed ob neglectam fidem. Porrò infideles in illo die ſuam ſecum deferent condemnationem, eamque mox ex conſpecto ſigno Filij hominis in cælis apparente, ſunt agnituri. Ita Ianſen.*

Nota *denique ex has judicij forma rectè colligi, judicium non in momento peragendùm eſſe, uti fiet reſurrectio; ſed, ut docet S. Auguſtinus lib.* 20. *civit. cap.* 14. *ſingulorum in particulari tam examen, quàm ſententia proferetur ſpirituali & internâ locutione. Durabit igitur judicium aliquo tempore.*

Annus Christi 34. Prædicationis 4. Geſta in monte Oliveti feriâ 3. hebdomadæ Paſsionis.

Luc. 21. 37. nam. ᶜ * Erat autem diebus docens in templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire
Matth. 26. 1. eum. ᵃ * Et factum eſt: cùm conſummaſſet
5. IESVS ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet: & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

* Erat autem diebus docens &c. *Hæc verba ponuntur à D. Luca immediatè poſt ſermonem hunc Domini in monte Oliveti habitum, nec alibi commodè poni poſſunt; uti hic intexit ea Ianſen.* Dies *autem, quibus* Chriſtus *docuit* in templo, *intelligendi ſunt, Dominica Palmarum, & duo inſequentes dies, feriâ 2. & 3. ut ſuprà dictum.*

* Et factum eſt &c. *Videlicet feriâ 3. ad veſperam, & fortè ſerâ jam nocte, abſoluto videlicet hoc ſermone prolixo.*

Annus Christi 34. Prædicationis 4. Geſta Ieroſolymæ feriâ 4. hebdomadæ Paſsionis.

CAPUT CLXXII.

1. *Principes in atrio Pontificis in necem Domini conſpirant.*
2. *Iudas in hoc concilio de proditione ejus paciſcitur.*

Matth. 26. v. 2. & 14. Marc. 14. v. 1. & 10. Luc. 22. v. 1.

1. ᶜ APpropinquabat autem dies feſtus Azymorum, * qui dicitur Paſcha. ᵃ Tunc

* Qui dicitur Paſcha. *Nota, Paſcha & feſtum Azymorum duas fuiſſe celebritates, ut conſtat Levit. 23. v. 5. A priori autem poſterior quoque Paſcha dicebatur. Vſus enim Azymorum incipiebat ſimul cum eſu agni, & per dies ſeptem durabat, quibus non niſi azymis Iudæi veſcebantur, idque in memoriam liberationis ex Ægypto, quæ in Paſchate contigit, quando ob feſtinationem, cùm deeſſet tempus fermentandi panem, ſolo azymo contenti eſſe debebant. Paſcha autem ſive Agnus Paſchalis unà cum azymis comedendus erat 14. die menſis primi Niſan ad veſperam. Dies verò hic vocatur, & eſt partim 14. partim 15. quia veſpera illa quâ celebrabant Paſcha, incipiebatque uſus azymorum ſecundùm computum naturalem pertinebat ad diem præcedentem, ſc. 14. ſecundùm computum verò feſtorum pertinebat ad ſequentem, ſcilicet decimam quintam. Et hoc eſt quod ait Ioannes cap.* 13. ante diem feſtum Paſchæ, *i. pridie*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta Ieroſolymæ feriâ 4.

die 15. diei, ſcilicet die 14. ad veſperam, ut ſequitur. Nota 2. vocem Paſcha ſumi 1. pro feſto Paſchali. 2. pro victima & agno. 3. pro alijs hoſtijs Paſchalibus, ut hic & c. 190. infrà.

a* Tunc congregati ſunt principes ſacerdotū, & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & concilium fecerunt, ut IESVM dolo tenerent & occiderent: c timebant verò plebem. a Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. c Intravit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim. & abijt b ad ſummos ſacerdotes, ut proderet eum illis: c & locutus eſt cum principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis: a & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? b Qui audientes gaviſi ſunt, & promiſerunt ei pecuniam ſe daturos, [&] a conſtituerunt ei triginta * argenteos: c & ſpopondit. a Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet c ſine turbis. 2

* Tunc congregati &c. *Hoc eſt mane feriæ quartæ. Porrò Iudas id reſciens, eodem tempore ipſos adijt, Chriſtumque eis vendidit, ut habet communis Eccleſiæ ſenſus, idque ex verbis Matthæi ſatis colligitur. Vnde ob Dominum in hoc concilio venditum, veteres Chriſtiani ſolebant feriâ 4. jejunare, ut ait S. Auguſtin. Epiſt. 86. Ita Cornelius à Lapide, Suarez, & alij.*

* Argenteos. *Probabilius videtur, argenteum fuiſſe dimidium ſicli, & duplum denarij, duaſque tantummodo drachmas appendiſſe. Vnus ergo argenteus continebat dimidium florenum Brabanticum. Ita Suar. Ribera & alij in Matth. 26.*

CAPUT CLXXIII.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

1. *Chriſtus Petrum & Ioannem Bethaniâ Ieroſolymam mittit, cœnaculum, & agnum paſchalem paraturos.*
2. *Cum duodecim Apoſtolis Paſcha celebrat.*

Matth. 26. 17. Marc. 14. 12. Luc. 22. 7.

c* VEnit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & miſit Petrum 1

* Venit autem dies azymorum. *Matth. & Marc. dicunt,* Prima die azymorum, *id eſt, die Iovis manè. Vocatur autem dies ſynecdochicè, quia ad veſperam diei 2. comedebant Paſcha & Azyma. Veſpera quidē hac poſt ſolis occaſum propriè ſpectabat ad diem ſequentem;* Paſcha *tamen .i. agnus occidebatur ipſo die Iovis ſive 14. diei menſis, ut poſt tres circiter horas & ſolis occubitum comederetur, quando ritu ſacro incipiebat dies 15.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

Petrum & Ioannem,dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus. At illi dixerunt: * Vbi vis paremus? Et dixit ad eos: [a]Ite in civitatem: [&] [c]ecce introëuntibus vobis in civitatem,occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: ſequimini eum * in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamiliàs domus: [a]Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis: [c]ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum: & ibi parate. [a]Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis IESVS: [b]& venerunt in civitatem, & invenerunt ſicut
2 dixerat illis, & paraverunt Paſcha. * Veſpere autem facto venit: [c]& cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.

* Vbi vis paremus? Nota. *Sacrificium agni Paſchalis, magis in ejus comeſtione, quàm in immolatione conſiſtebat. Hinc à patrefamiliàs, vel à quopiam de familia ab eo deſignato poterat immolari & aſſari; uti & panes azymi, & lactucæ agreſtes, cum quibus comedendus erat agnus, parari. Quæ omnia hic Petrus & Ioannes præſtitêre. Solebat autem agnus immolari horâ 9. hoc eſt 3. pomeridianâ, teſte Ioſepho lib. 7. de bello c. 17 ut ſuprà.*

* In domum. *Traditio eſt, hanc domum in monte Sion ſitam, fuiſſe Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, fuitque ſocius S. Pauli. In hac latuerunt Apoſtoli poſt necem Domini: in hac Chriſtus redivivus apparuit: in eadem Spiritum ſanctum die Pentecoſtes receperunt. Quocirca hæc domus verſa eſt in Eccleſiam: in ea enim ædificata eſt Sion, omnium Eccleſiarum maxima & ſanctiſsima. Ita Cornelius à Lapide, Baronius, Ianſen.*

* Veſpere autem &c. *Nota, Chriſtum & Iudæos eadem die à lege præſcripta celebraſſe Paſcha; nimirum 14. die menſis Niſan, qui reſpondet partim Martio noſtro, partim Aprili, vid. ad veſperam illius diei, ut ſuprà Patet ex principio hujus capitis, vid. ex Matth. 26. & Marc. 14. Omnes enim affirmant die azymorum, quando* neceſſe erat occidi Paſcha &c. *Chriſtum illud celebraſſe. Ita S. Auguſtin. S. Hieron. & alij apud Tolet. in Ioannis 13.*

CAPUT CLXXIV.

CAPUT CLXXIV.

1. *Mirabili exemplo, cæli ac ſoli monarcha, dum vilium piſcatorum, imò & nefandi proditoris ſui lavat pedes, mortalibus cunctis humilitatem æquè ut charitatem prædicat.* Ioan. 13. v. 1.

2. *Primâ vice Apoſtolos præmonet, ſe ab uno ipſorum, menſæ accumbentium prodendum.*
Matth. 26. 21. Marc. 14. 18. Ioan. 13. 1.

* Antè diem *.i. nocte præcedente lucem feſtivitatis Paſchalis, ſeu 14. Lunæ ad veſperam. Hunc eundem diem ratione veſpera, à qua Iudæi computu ſacroſeſta ſua inchoabant, Matthæus & Marcus vocant* primum diem Azymorum, *ſive ipſum feſtum Paſchæ, ut ſuprà.*

* In finem &c. *Poſt agni comeſtionem peractam inter 6. & 7. horam veſpertinam, primùm lotione pedum, deinde S. Euchariſtiæ inſtitutione. demum concione prolixâ, nihil niſi amorem ſpirante, perfectiſſimam oſtendit dilectionem, quam uſque ad vitæ ſuæ finem moriendo conſummavit Chriſtus.*

d* ANte diem feſtum Paſchæ, ſciens IESVS quia venit hora ejus, ut tranſeat 1
de hoc mundo ad Patrem: cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, * in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iſcariotæ: ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit: ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Reſpondit IESVS, & dixit ei: Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſteà. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Reſpondit

ſpondit ei IESVS: * Si non lavero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes, ſed & manus, & caput. Dicit ei IESVS: * Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum: proptereà dixit: Non eſtis mundi omnes. Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua: cùm recubuiſſet iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & benè dicitis: ſum etenim. Si ergo ego lavi pedes veſtros, Dominus, & Magiſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis: ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis: Non eſt ſervus major domino ſuo: neque Apoſtolus major eſt eo, qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: * ego ſcio quos elegerim: ſed * ut
Pſ. 40. 10. adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum.

Zz

* Si non lavero te &c. *q. d. Si obſtinatè perſiſtas voluntati meæ repugnando, non habebo te amicum, nec ſocium menſæ, maximè Euchariſticæ.* Non *enim minatur hîc Chriſtus Petro gratiæ gloriæque cœleſtis privationem, ſed familiaritatis ſuæ, & ſacræ Euchariſtiæ, ad quam ablutio & mundities ordinabatur. Ita Cornelius à Lapide, & Toletus.*

* Qui lotus eſt &c. *Alludit ad eos qui poſtquam in balneis loti ſunt, pedes abluunt, qui terram calcando maculantur. q. d. Qui ſpiritualiter ablutus eſt per baptiſmum, aut pœnitentiam, huic nihil ſupereſt, niſi ut animum quoque à vitioſis affectionibus mundet; idque vel maximè ante Euchariſtiam. Ita S. Auguſtin. Rupert. & alij.*

* Ego ſcio quos elegerim. *ſc. ad apoſtolatum ſcivi quinam eo digni futuri eſſent, & qui indigni; qui perſeveraturi, qui non. A Lapide & alij.*

* Vt adimpleatur Scriptura. *Supplenda eſt ſententia hoc modo: Vt adimpleatur Scriptura, elegi etiam proditorem, de quo ſcriptum eſt Pſ.* 40. Qui manducat mecum panem &c. *.i. familiaris meus dolo & fraude, videlicet oſculo pacis ſupplantavit me. Significat autem ſic Chriſtus, ſe Iudam elegiſſe ex Patris voluntate Scripturis manifeſtata. Ita Tolet.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feria 5. hebdomadæ Paſſionis.

ſuum. Amodò dico vobis, priusquàm fiat:
ut cùm factum fuerit, credatis quia ego
ſum. Amen, amen dico vobis: * Qui ac-
cipit ſi quem miſero, me accipit: qui au-
tem me accipit, accipit eum qui me miſit.
Cùm hæc dixiſſet IESVS, * turbatus eſt 2
ſpiritu: & proteſtatus eſt, & [b] diſcumbenti-
bus eis & manducantibus [d] dixit: Amen,
amen dico vobis: Quia * unus ex vobis
tradet me, [b] qui manducat mecum. [d] Aſ-
piciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſi-
tantes de quo diceret: [a] & contriſtati val-
de, cœperunt ſinguli dicere: Numquid
ego ſum Domine? At ipſe reſpondens, ait:
[b] Unus ex duodecim, [a] qui intingit mecum
manum in paropſide, hic me tradet. Fi-
lius quidem hominis vadit, ſicut ſcrip-
tum eſt de illo: væ autem homini illi, per
quem Filius hominis tradetur: bonum erat
ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Reſpon-
dens autem Iudas, qui tradidit eum,
dixit: Numquid ego ſum, Rabbi? Ait illi:
Tu dixiſti.

* Qui accipit &c. *Adjicit hoc Chriſtus, ne dejicerentur Apoſtoli, quaſi propter humilitatem prædictam contemnendi eſſent.*

* Turbatus eſt ſpiritu. *Ex triſtitia videlicet ac dolore cordis (ait S. Athanaſius) turbavit ſemetipſum ob Iudæ malitiam & pervicaciam.*

* Vnus ex vobis &c. Nota, *Matthæum & Marcum* Chriſti *prædictionem de proditore Iuda, præponere S. Euchariſtiæ inſtitutioni, Lucam verò poſtponere. Vnde S. Auguſtin. lib. 3. de conſ. Euang. cap. 1. Euthym. Tolet. & alij in Ioannem, probabilius aſſerunt, tam ante, quàm poſt Euchariſtiam, Chriſtum de tam nefario crimine Apoſtolos præmonuiſſe, ut paulò pòſt re ipſà minus perturbarentur. 2. ut Chriſtum non ignoranter, nec invitè, ſed ultrò pati intelligerent. 3. ut Iudæ conſcientiam pungeret, & ad pœnitentiam ſtimularet.*

CAPUT CLXXV.

Digitized by Google

CAPUT CLXXV.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſſionis.

1. *Paſcha hoc ſuum ac cœnam, ultimam fore præfatur; atque ita tacitè ſuis valedicit.*
2. *Sacroſanctam Euchariſtiam inſtituit.* Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 15. & 19.
3. *Denuò proditorem inſinuat poſt S. Euchariſtiam.* Luc. 22. 21.

1 c ET ait illis: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos. a Dico autem vobis: * non bibam amodo de hoc genimine vitis, c donec regnum Dei veniat, a cùm illud bibam vobiſ-
2 cum novum in regno Patris mei. b Et manducantibus illis accepit IESVS panem, c gratias egit, a & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum, c quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. a Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, di-

Zz 2 cens:

* Non bibam amodo &c. *Hebræorum mos erat, ut in agni Paſchalis cœna, calix vini circumferretur, quē paterfamiliâs priùs libabat, deinde ad omnes convivātes in orbem mittebat, ut Hebræi tradunt.* De hoc genimine, vel generatione, *(ut Lucas habet) ſeu fructu vitis, id eſt vino; non verò de Euchariſtia, hæc verba intelligenda eſſe, longè probabilius eſt: id enim diſertè aſſerit Lucas, qui utramque Chriſti cœnam, tàm agni Paſchalis, quàm Euchariſtiæ (quas Matthæus brevitati ſtudens convoluit, & in unum redigit) diſtinctè enarrat; atque ante Euchariſtiam, tùm de cœna agni, tùm de vini calice inter Apoſtolos dividendo, hæc à Chriſto dicta eſſe affirmat; deinde ipſam Euchariſtiæ inſtitutionem ſubjicit. His ergo verbis Euchariſtiam præcedentibus,* ex hoc non manducabo &c. *& iis quæ ſubdit,* non bibam de hoc genimine vitis &c. *ſignificat Chriſtus, ultimam hanc ſuam cœnam eſſe cum Apoſtolis ante mortem, iiſque ultimum Vale dicit. Ita S. Hieron. Beda, Theophyl. F. Lucas, Maldonat. aliique in Matth. 26.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſſionis.

cens: Bibite ex hoc omnes. * Hic eſt enim ſan-
guis meus novi teſtamenti, qui c pro vobis,
[&] a pro multis effundetur in remiſſionem
peccatorum. c Verumtamen ecce manus tra- 3
dentis me, mecum eſt in menſa. Et quidem Fi-
lius hominis, ſecundùm quod definitum eſt, va-
dit: verumtamen væ homini illi per quem tra-
detur. Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis
eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet.

* Hic eſt enim ſanguis meus &c. *Lucas habet*, Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo .*i. Hic calix eſt inſtrumentum ſive ſignaculam novi teſtamenti per ſanguinem meum, quem ſc. continet.*

Nota. *Marcus bis Chriſti verbis per praoccupationem (ut ait Ianſen.) præmittit*, Et biberunt ex illo omnes. *Vnde colligitur ex communiori PP. ac DD. ſententia, Iudam cum ceteris Apoſtolis ſampſiſſe S. Eucbariſtiam, & creatum fuiſſe ſacerdotem atque Epiſcopum. His enim verbis*, hoc facite in meam commemorationem. *Apoſtolos omnes creatos fuiſſe ſacerdotes æquè atque Epiſcopos docet à Lapide. De Iuda quoque dicitur Pſal.* 108. Epiſcopatum ejus accipiat alter. *Quæ verba de propriè dicto Epiſcopatu intelligit Suarez in* 3. *p. qu.* 73. *art.* 5. *diſp.* 41. *Dictum ergo Chriſti*, hoc facite &c. *ſic intellige, q. d. Chriſtus: Sicut ego nunc conſecro, ſacrifico, &c. item ſicut ego vos ſacerdotes & Epiſcopos inſtituo & ordino; ita vos atque ſucceſſores veſtri eadem facite, poteſtate à me acceptâ. V. A Lapide in Matth.* 26.

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

CAPUT CLXXVI.

1. *Ioanni proditorem Iudam deſignat.*
2. *Iudas notatus abit è cœnaculo, & Apoſtolorum collegio.* Ioan. 13. 23.

ERat ergo recumbens unus ex diſcipulis 5
ejus in ſinu IESV, quem diligebat IE-
SVS. Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit
ei: Quis eſt, de quo dicit? Itaque cùm recu-
buiſſet ille ſupra pectus IESV, dicit ei: Domi-
ne, quis eſt? Reſpondit IESVS: Ille eſt, cui ego
intin-

Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſſionis.

intinctum panem porrexero. Et * cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. * Et poſt buccellam, introivit in eum ſatanas. Et dixit ei IESVS: Quod facis, * fac citiùs. Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei. quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixiſſet ei
IESVS: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem
2 feſtum: aut egenis ut aliquid daret. Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuò. Erat autem nox. Cùm ergo exiſſet, dixit IESVS: * Nunc clarificatus eſt Filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo: * & continuò clarificabit eum.

* Cùm intinxiſſet panem, *non Euchariſticum, (ut quidam putant) ſed fruſtum panis azymi, in jus ſeu condimentum intinctum.*

* Et poſt buccellam *hanc* introivit in eum ſatanas. *i. præbuit ſatanæ plenum in ſe ingreſſum; quia cùm videret ſe illo buccellæ indicio declaratum; exacerbatum animum prorſus obfirmavit, ut perficeret crimen à ſe deſtinatum. Chryſoſt. Euthym. & alij.*

* Fac citiùs. *Hæc ſunt verba Chriſti prædicentis, exprobrantis, mortem contemnentis, denique Iudam rejicientis ab Apoſtolorum contubernio. S. Chryſoſt.*

* Nunc clarificatus eſt Filius hominis. *Gr.* ἐδοξάσθη, *glorificatus eſt, id eſt clarus ac celebris efficietur. q. d. Ego, qui Filius hominis ſum, glorioſè manifeſtabor eſſe ſimul Filius Dei; & Filius Dei, qui in me latebat, innoteſcet mundo.* Et Deus clarificabit eum in ſemetipſo. *id eſt, non indigebit clarificatione externa, ſed Divinitas in eo exiſtens declarabit ipſum hominem Dei Filium eſſe, videlicet operibus admirandis in morte geſtis, glorioſâ ejus reſurrectione, & alijs quæ geſta ſunt poſteà. Ita Tolet.*

* Et continuò *&c. id eſt, non diu poſt mortem gloriâ illuſtrabit eum.*

Digitized by Google

CAPUT CLXXVII.

1. *Apoſtoli rurſum inter ſe de primis ſedibus contendunt.*
2. *Iterum ambitio eorum à Chriſto reprimitur, & humilitas commendatur.* Luc. 22. 24.

FActa eſt autem & * contentio inter eos, 1
* quis eorum videretur eſſe major. Dixit
autem eis : Reges gentium dominantur eo- 2
rum : & qui poteſtatem habent ſuper eos, * be-
nefici vocantur. Vos autem non ſic : ſed qui
major eſt in vobis, fiat ſicut minor : & qui præ-
ceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis major
eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nónne qui
recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum,
ſicut qui miniſtrat. Vos autem eſtis, qui per-
manſiſtis mecum in tentationibus meis. Et
ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater
meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper men-
ſam meam in regno meo : & ſedeatis ſuper
thronos judicantes duodecim tribus Iſraël.

* Contentio *hæc facta eſt occaſione (ut videtur) verborum Chriſti,* Manus tradentis me, mecum eſt in menſa. *quod & S. Lucam innuere docet Tolet. & alij. Dum enim acriùs inter ſe diſquirunt quis illorum futurus eſſet proditor, & quiſque pro ſe adferret ea, per quæ alienus videri poſſet ab hac perfidia, & fortè de Petro jam petra Eccleſiæ deſignato, aliiſque Chriſto charioribus ageretur; inter triſtia in ambitioſam illam de primatu contentionem delapſos eſſe credibile eſt. Sic ferè F. Lucas.*

* Quis eorum videretur eſſe maior. *.i. quis primum poſt Chriſtum locum habiturus eſſet.*

* Benefici εὐεργέται, *ut quidam Ægyptiorum reges à beneficentia vocati ſunt.*

CAPUT CLXXVIII.

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXXVIII.

1. *Exponit Apoſtolis novum euangelicæ dilectionis mandatum.* Ioan. 13. 33.
2. *Petrum nimiùm viribus ſuis fidentem de trina ſua ante gallicinium, & noctis terminum negatione præmonet.* Ioan. ſuprà, v. 38. Luc. 22. 34.
3. *Apoſtolis omnibus ſignificat, mala imminentia, perſecutiones, vitæque pericula brevi tanta fore, ut iuxta humanam prudentiam neceſſe videatur, incolumitati ſuæ conſulere, emptâ perâ pro annona, & gladio ad vitam tuendam.* Lucas ſuprà.

1 d Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum. Quæretis me: & ſicut dixi Iudæis: * Quò ego vado, vos non poteſtis venire: & vobis dico modò. * Mandatum novum do vobis: Vt diligatis invicem, * ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes quia

* Quò ego vado &c. *Nondum poterant Chriſtum ſequi mortem ſub. undo, quod poſteà fecerunt, à Spiritu ſancto roborati.*

* Mandatum novum do vobis, &c. *Novum eſt* 1. *quia Chriſtus diſtulit hoc exponere uſque in hunc diem.* 2. *Quia tale præceptum numquam fuerat datum. Eſt enim de dilectione quâ Chriſtiani, hoc nomine & titulo quod ſub uno capite Chriſto, & in uno corpore ſunt, ſe mutuò diligunt. In quo præcepto mirabilis elucet Chriſti providentia, & dilectio erga ſuos, dum ſingulos ab omnibus diligi præcipit: Non eſt ergo hoc præceptum de dilectione proximi, quod ad omnes homines diligendos extenditur, de quo aliàs locutus fuit Chriſtus; ſed de dilectione, quam Chriſtiani inter ſeipſos, eò quòd Chriſtiani ſunt, habere teneantur; idque propter Chriſtum, cui velut membra uniti & inſerti ſunt. Ita Tolet.*

* Sicut dilexi vos. *Hæc verba cum ſequentibus jungenda ſunt, ut docent F. Lucas, & Toletus. Chriſtus proponit ſeipſum exemplum ejus quod jubet: non quòd amorem ipſius aſſequi valeamus, ſed ut ad ſimilem ſaltem tendamus ſcopum. Senſus ergo huius ſententiæ eſt: Do vobis mandatùm ut invicem diligatis; nimirum ut ſicut ego vos dilexi, ita vos alios diligatis, ſitque mutuus amor inter vos omnes, ſicut inter me & vos. Dignum enim eſt, ut quos ego dilexi, vos etiam diligatis.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habue-
ritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus: Do-
mine, quò vadis? Reſpondit IESVS: Quò
ego vado, non potes me modò ſequi: ſequêris
autem poſteà. Dicit ei Petrus: Quare non poſ- 2
ſum te ſequi modò? animam meam pro te po-
nam. Reſpondit ei IESVS: Animam tuam pro
me pones? [c] * Simon, Simon; * ecce ſatanas
expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: ego
autem rogavi pro te * ut non deficiat fides tua:
& tu aliquando conversus confirma fratres
tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus
ſum & in carcerem & in mortem ire. At ille
dixit: [d] Amen, amen [e] dico tibi Petre, * non can-
tabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe
me. Et dixit eis: Quando miſi vos ſine ſac- 3
culo,

* Simon, Simon &c. *Hæc Chriſti verba, uſque ad finem huius capitis, hoc loco ponit Ianſen. Primùm enim Chriſtus prædixit Apoſtolis adverſa eis obventura; poſt verò ſubjecit ſermonem reliquum dulcem & conſolatorium.*

* Ecce ſatanas &c. *q. d. Simon, Simon, multùm viribus tuis fidis; ſed audi aliud: Ecce ſatanas apud Patrem meum depopoſcit vos, ſicut olim Iobum, ut tentationum impulſu agitaret ac diſſiparet vos, fideque perditâ, perderet vos gregemque meum univerſum:* Ego autem rogavi pro te, *Eccleſiæ meæ capite futuro, ut non extinguatur fides tua. Et tu brevi à peccato negationis tuæ converſus, in fide doctrinaque confirma fratres & coapoſtolos tuos fideleſque omnes, ne errent & intereant. Et hoc privilegium tibi, ac ſucceſſoribuis tuis volo eſſe perpetuum. Satis enim manifeſtè Chriſtus hic Petrum ceteris omnibus præficit. Ita S. Cyprian. Leo, Ianſen. Bellarm. l. 4. de Rom. Pont. c. 3.*

* Vt non deficiat fides tua. Nota. *Non defecit fides Petri, ſed vacillavit modico tempore. Petrum enim non negaſſe fidem, ſed tantùm peccaſſe contra fidei profeſſionem, Theologi magni & multi docent, ut ait Suar. tract. de fide, diſp. 9. ſect. 3. Quod ſi ad tempus etiam fidem perdidit, non tamen ea defecit, quia mox eam fervore quoque majori reſumpſit.*

* Non cantabit &c. *Intellige de primario & completo galli cantu, ſeu gallicinio, quod fit circa tertiam noſtram matutinam. Vide infrà cap. 183. circa initium.*

Nota, *S. Auguſtinum de conſ. Euangel. lib. 3. c. 2. docere, credibilius eſſe & probabilius juxta ipſa Euangeliſtarum verba, diverſis occaſionibus Petrum à Chriſto de negatione præmonitum; & ſæpiùs eum expreſſiſſe præſumptionem ſuam. Idem ſentiunt Fr. Lucas, à Lapide,*

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſſionis.

cŭlo, & pera, & calceamentis, numquid
aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Ni-
hil. Dixit ergo eis: Sed nunc * qui habet
ſacculum, *tollat; ſimiliter & peram: * &
qui non habet, vendat tunicam ſuam, &
emat gladium. Dico enim vobis, quoniam
adhuc hoc, quod ſcriptum eſt, oportet im-
Iſa. 53. 12. pleri in me: Et cùm iniquis deputatus
eſt. * Etenim ea quæ ſunt de me, finem
habent. At illi dixerunt: Domine, ecce
duo gladij hîc. At ille dixit eis: * Satis eſt.

à Lapide, & Toletus in Ioan. qui aſſerit, eos hiſtoriæ ordinem turbare, qui has Chriſti prædictiones non diſtinguunt. Alterâ ergo vice de his præmonitus fuit Petrus à Chriſto, cùm jam in via eſſent ad montem Oliveti, quod referunt Matthæus cap. 26. & Marcus c. 14. ut infrà c. 183.

* Qui habet ſacculum &c. *Hæc non ſunt jubentis, ſed quid futura perſecutio exigere videatur, prænunciantis. Loquitur Chriſtus humano more, & juxta communem hominum prudentiam. Ita Franc. Lucas, & alij.*

* Tollat *.i. ſecum deferat eò quò abire cogetur*, ſacculum, *id eſt, marſupium, quo pecuniam ſervet*. peram, *quâ ſc. recondat cibum.*

* Et qui non habet, *ſc. gladium*, vendat tunicam ſuam &c.

* Etenim ea quæ ſunt de me, *ſc. ſcripta*, finem habent, *id eſt, jam finiuntur & perficiuntur.*

* Satis eſt, *ſcilicet, verborum hac de re; benè habet. Sic enim ſolet abrumpi ſermo eorum, qui non intelligunt ea quæ dicuntur.*

CAPUT CLXXIX.

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

CAPUT CLXXIX.

Pars prima ſermonis Domini.

Varijs rationibus mœrentes Apoſtolos conſolatur.

1. *Quia vadit parare eis locum in regno cœleſti, ad quod ipſe eſt via, veritas, & vita.*
2. *Quia ipſe eſt idem ac Pater, unuſque Deus; cujus gratiâ, cuncta quæ petierint, conſecuturi ſunt.*
3. *Quòd pro ſe abſente, Spiritum ſanctum eis miſſurus ſit.*
4. *Quòd pacem eis veram, æternamque quaſi teſtamento relinquat.* Ioan. 14. 1.

NOn turbetur cor veſtrum. * Creditis in 1
Deum, & in me credite. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quominus, dixiſſem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis. Et * quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis. Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire? Dicit ei IESVS: Ego ſum via, veritas & vita. nemo venit ad Patrem, niſi per me. Si cognoviſſetis me, & Pa- 2
trem meum utique cognoviſſetis: & * amodò cognoſcetis eum, & vidiſtis eum. Dicit ei Philippus:

* Creditis in Deum &c. *id eſt, Sicut in Deum creditis & confiditis, ita & in me credite & confidite nam ego idem ſum qui Pater. Hebraiſmus eſt ſicut illud Ioannis* 5.17. Pater meus uſque modò operatur, & ego operor, *id eſt: Quemadmodum Pater meus uſque modò operatur &c. Tolet.*

* Quò ego vado &c. *Quò ego vadam, ſcire poteſtis ex meis dictis, licet actu non ſciatis, niſi obſcurè & confuſè, non autem diſtinctè, & in particulari, quomodo ſcilicet ego ſum via, Pater autem meus ſit meta & terminus viæ.*

* Amodò cognoſcetis eum. *Deinceps cognoſcetis eum, brevi à Spiritu ſancto illuminandi.* & vidiſtis eum. *,i. vidiſtis Patrem in me exiſtentem, ſed nondum agnoviſtis eum.*

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

lippus : Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Dicit ei IESUS : Tanto tempore
vobiſcum ſum : & non cognoviſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodò tu dicis : Oſtende nobis Patrem? Non
creditis, quia ego in Patre, & Pater in me
eſt? Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo
non loquor. Pater autem in me manens, ipſe
facit opera. Non creditis quia ego in Patre,
& Pater in me eſt? Alioquin propter opera
ipſa credite. Amen, amen dico vobis, qui
credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe
faciet, & * majora horum faciet : quia ego
ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis
Patrem in nomine meo, hoc faciam : ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me
in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me,
3 mandata mea ſervate. Et ego rogabo Patrem,
& alium * Paraclitum dabit vobis, ut maneat
vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem
mundus non poteſt accipere, quia non videt
eum, nec ſcit eum. vos autem cognoſcetis
eum; quia apud vos manebit, & in vobis
erit. Non relinquam vos orphanos : veniam
ad vos. Adhuc modicum, & * mundus me
jam non videt. Vos autem videtis me : quia
ego vivo, & vos vivetis. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos
in me, & ego in vobis. Qui habet mandata
mea, & ſervat ea : ille eſt, qui diligit me. Qui
autem diligit me, diligetur à Patre meo : &
ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.

* Majora horum faciet. *Majus enim fuit, umbrâ Petri ſanatos eſſe infirmos, quàm tactu fimbriæ Chriſti, ut dicit S. Auguſtin.*

* Paraclitum, παράκλητον *.i. advocatum, exhortatorem, conſolatorem.*

* Mundus me jam non videt. *Poſt modicum tempus mundus me non videbit, ſc. poſt mortem meam: vos autem videbitis me:* quia ego vivo *.i. poſt reſurrectionem meam, vitam vivam glorioſam. hinc* & vos vivetis, *quia ego vos aliquando à morte reſuſcitabo.*

ſum. Dicit ei Judas, non ille Iſcariotes: Domine, *quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo? Reſpondit IESUS, & dixit ei: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: qui non diligit me, ſermones meos non ſervat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus: ſed ejus, qui miſit me, Patris. Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Pacem relin- 4
quo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: *quia Pater major me eſt. Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat: ut cùm factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiſcum, *venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut manda-

* Quid factum eſt &c. *id eſt, Quid cauſæ eſt &c. Reſpondet Chriſtus, ſe non tantùm Apoſtolis, ſed etiam omnibus credentibus, ac mandata ſua ſervantibus ſeipſum manifeſtaturum.*

* Ad eum veniemus. *Deus & Sanctiſſima Trinitas, quæ ubique eſt, ac proinde immobilis eſt, dicitur venire & manere per novam operationem in juſto, quia ſuam gratiam illi donat, conſervat, promovet, & unà cum libero arbitrio, ipſum iuvans cooperatur. Ita S. Auguſtin. Chryſoſt. Cyrill. & alij.*

* Quia Pater major me eſt, *ſc. quà homo ſum. Sic enim Chriſtus ibat ad Patrem quà homo erat, & mortem ſubiturus; ut mox in cælum conſcendens, ſibi honorem & gloriam, Apoſtolis autem Spiritum ſanctum à Patre impetraret. quæ magna erat gaudij cauſa. A Lapide.*

* Venit enim princeps &c. *id eſt, jam jam venturus eſt diabolus per ſuos ſatellites, ut me capiat, & occidat: ſed in me, in quo nullum eſt peccatum, nihil habet juris.*

mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. * Surgite, eamus hinc.

* Surgite, eamus hinc. *Probabilius eſt, Chriſtum hic domo nondum exiſſe, ſed deinceps ſtando novum & longiorem ſermonem reſumpſiſſe uſque ad caput 18. S. Ioannis. His autem verbis promptam ſuam ad mortem pergendi voluntatem oſtendit, quod mox fecit. Ita Ianſen. Maldonat. & alij.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feria 5. hebdomadæ Paſsionis.

CAPUT CLXXX.

Pars 2. Sermonis Domini.

1. *Chriſtus quà homo, viti ſe comparat, fideles autem palmitibus, ſi vid. Chriſto per fidem & charitatem conjuncti permanſerint.*
2. *Exhortatur ſuos ad Dei, & proximi dilectionem.*
3. *Prædicit eorum, poſt mortem ſuam, perſecutiones: contra quas eos à Spiritu ſancto muniendos pollicetur.* Ioan. 15. 1.

1 * EGo ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. * Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. * Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt fer-

* Ego ſum vitis vera. *Comparat ſe viti Chriſtus ob multas rationes; & in primis, quia veriſſimos atque optimos gratiæ & gloriæ fructus profert. 2. Inſinuat quoque per hanc vitem & uvas, ſacram Euchariſtiam, cujus ſpecies ſunt panis & vinum. Denique ſignificat hac ſimilitudine paſſionem & mortem ſuam: quia ſicut uvæ calcantur, ut fiat vinum; ita in paſſione ſua calcatus fuit Chriſtus, ut tam ſe, quàm nos reſuſcitaret ad gloriam. Ita Toletus.*

* Omnem palmitem &c. *q. d. Omnis, qui per fidem & Baptiſmum mihi inſertus eſt, ſi non ferat fructum bonorum operum, tolletur à Patre meo.*

* Iam vos mundi eſtis &c. *Ex quo baptizati fuerant Apoſtoli & Chriſto inſiti, multos ſacros ſermones audierant à Chriſto, quibus fuerunt edocti, admoniti, ab ignorantia, cupiditate, & amore rerum temporalium purgati; ac deinde à Spiritu ſancto expiati & illuminati in dies, ut fœcundi palmites uberiores fructus protulère. Fr. Lucas.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

re fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Sicut dilexit me
Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione 2
mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. * Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſervos: quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. * Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis; & fructus veſter maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo,

* Majorem hac dilectionem &c. *Modum, quo ipſe dilexit nos, declarat, ut nos invicem ſic diligamus.*

* Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, *ſc. ut eſſetis mei amici, diſcipuli & Apoſtoli. Ita Chryſoſt. & Cyrillus. Non ergo loquitur hic de prædeſtinatione, vel electione ad gloriam: hanc enim Chriſtus non ſibi, ſed Patri tribuere ſolet. Patri enim tribuitur providentia, cujus pars eſt prædeſtinatio & electio ad gloriam. A Lapide.*

Annu: Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in Cœnaculo feria 5. hebdomadæ Paſſionis.

meo, det vobis Hæc mando vobis, ut
3 diligatis invicem. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, proptereà odit vos mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: * ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia neſciunt eum qui miſit me. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit: & Patrem meum odit. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Sed * ut adimpleatur ſermo, qui in lege eorum
Pſ. 24. 19. ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratis. Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.

* Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt, *à contrario ſenſu intelligi debet: At meum non ſervaverunt, nec veſtrum igitur ſervabunt.*

* Vt adimpleatur &c. *ut, non finem intentum, ſed id quod ex Iudæorum incredulitate & obſtinatione ſecutum eſt, ſignificat. q. d. Atque ita ſecutum eſt quod David propheta prædixit, ſcilicet quòd Iudæi* gratis, *id eſt ſine cauſa Chriſtum odio proſequerentur.*

CAPUT CLXXXI.

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXXXI.

Pars 2. Sermonis Domini.

1. *Pergit Apoſtolos præmonere de afflictionibus & crucibus ſibi inſtantibus; quas facilè Spiritus ſancti conſolatoris, & mundi victoris auxilio ſuperaturi ſint.*
2. *Semetipſum ac ſuos, ærumnis, mortibuſque deſtinatos mulieri confert, in partu quidem laboranti, ſed editâ prole gaudenti.*
3. *Spondet orantibus Patrem, bona omnia ob merita Filij obventura.* Ioan. 16. 1.

HÆc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. * Abſque ſynagogis facient vos: 1
ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus ſum vobis: ut cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis. * Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram. Et nunc vado ad eum qui miſit me; & nemo ex vobis interrogat me: Quò vadis? Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam: * Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autẽ abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem: quia non crediderunt in me: de

* Abſque ſynagogis facient vos. *Græcè una dictio eſt pro, abſque ſynagogis, ἀποσυναγώγους, exortes ſynagogæ facient vos. Privabunt vos ſynagogis, expellent vos à commerciis ſuis & converſationibus. quod maximæ erat apud Iudæos ignominiæ.*

* Hæc autem &c. *q. d. Nondum opus erat ea vobis dicere, cùm degerem vobiſcum; at quia jam diſcedo, idcirco nunc præmoneo.*

* Si enim non abiero &c. *Oportebat enim ut mors & glorificatio Chriſti præcederent Spiritus ſancti adventum, juxta illud Ioan. 7. 39.* Nondum enim erat Spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus,

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

De peccato quidem, quia non crediderunt in me: * de juſtitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me: * de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt. Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia * de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. * Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex diſcipulis ejus ad invicem: Quid eſt hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit, Modicum? neſcimus quid loquitur. Cognovit autem IESUS,

 quia

* De juſtitia &c. *Senſus eſt: Spiritus ſanctus convincet falſam eſſe mundi juſtitiam; me verò ſolum juſtum eſſe oſtendet, omniſque juſtitiæ fontem & parentem, quia per mortem vado regnaturus cum Patre; unde patebit, me ab eodem eſſe miſſum ad mundum juſtificandum: mox enim mittam Spiritum ſanctum, qui fideles juſtificet. Ita S. Chryſoſt.*

* De judicio autem &c. *Spiritus ſanctus arguet mundum de judicio, ut ſc. cognoſcat mundus judicium ſuum .i. condemnationem, cùm ſit damnatus in ſuo principe & capite, ſc. diabolo. Summa ſuperiorum quatuor verſiculorum eſt, mundum à Spiritu ſancto convincendum, quòd peccati ſit ſervus, juſtitiâ vacuus, & æternâ damnatione dignus, eò quòd non credat in Redemptorem; quin potius ſpreto eo, juſtitiæ doctore & auctore, adhæreat hoſti diabolo, à Deo damnato & proſcripto. Hæc autem omnia fecit Spiritus ſanctus per Apoſtolos. Ita Fr. Lucas.*

* De meo accipiet. *Quoniam Spiritus ſanctus conſubſtantialis Filio eſt, proceditque per eum; ideò ait:* Quia de meo accipiet. *Ita S. Cyrillus.*

* Modicum, & jam &c. *q.d. Ego poſt modicum paſſurus ſum & moriturus, unde non videbitis me: ſed poſt aliud modicum iterum videbitis me, quia poſt triduum reſurgam. Cyrillus, Chryſoſt. & alij.*

quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me? Amen, amen dico vobis: quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini,
ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. * Mu- 2
lier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. * Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen
dico vobis: ſi quid pètieritis Patrem in nò- 3
mine meo, dabit vobis. Uſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc * in proverbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palàm de Patre annuntiabo vobis. in illo diè in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc palàm loqueris, & proverbium nullum dicis. nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feria 5. hebdomadæ Paſſionis.

* Mulier &c. *Comparat Chriſtus tempus mortis ſuæ dolori parturientis; reſurrectionem verò ſuam gaudio poſt partum.*

* Et in illo die, &c. *Poſt reſurrectionem vid. non erit opus me interrogare, quia Spiritus ſanctus docebit vos omnia. Reſpicit Chriſtus ad id quod dictum eſt ſuprà*, quia volebant eum interrogare. *Ita hæc verba exponunt Rupertus, Euthym. & alij.*

* In proverbijs *.i. tamquam per proverbia & parabolas, hoc eſt ſermone obſcuriore, nec omninò manifeſto. q. d. Quæ hactenus dixi de modico, de Spiritu ſancto, de abitu ad Patrem, de gaudio veſtro &c. jam vobis videntur obſcura, & quaſi anigmata: ſed brevi poſt Reſurrectionem meam per dies 40. cùm vobis aperiam ſenſum Sacræ Scripturæ, hæc omnia clariſſimè percipietis. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Pleniſſimè verò per Spiritum ſanctum illuminati fuerunt Apoſtoli.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

opus eſt tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo exiſti. Reſpondit eis IESUS: Modò creditis? Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed * confidite, ego vici mundum.

* Confidite, ego vici mundum, *ſc. inchoatè mundum vici, & jam plena erit in morte mea victoria.* Mundum *vocat omnia quæ in mundo ſunt, honores, divitias, voluptates, timores, perſecutiones, malos homines, dæmones, & quidquid eſt aliud, quo homo à Deo avertitur.* Confidite. *q. d. Habete fiduciam quòd vos quoque hæc omnia meâ virtute vincetis. Tolet. Ribera & alij.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſſionis.

CAPUT CLXXXII.

1. *Appropinquante jam paſſionis tempore Patrem orat pro ſua ac Patris glorioſa illuſtratione.*
2. *Pro ſingulari diſcipulorum cuſtodia ac ſalute.*
3. *Denique pro toto in ſe credentium grege, ut omnes ſint cor unum & anima una, Patrem deprecatur.* Ioan. 17. 1.

1 HÆc locutus eſt IESUS: & ſublevatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, * clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te, * ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESUM Chriſtum. Ego

* Clarifica Filium tuum *δόξασον, i. glorifica & manifeſta Filium tuum; vid. poſt mortem meam & opprobria: glorifica me per miracula, per reſurrectionem & gloriam corporis, per aſcenſionem & miſſionem Spiritus ſancti, per converſionem gentium; ut omnis hæc mea gloria ad te redeat.* Nota *hoc loco paſſim idem ſignificare has voces, clarificare & glorificare, claritatem & gloriam. A Lapide, Franc. Lucas & alij.*

* Solum Deum verum. *Vox, ſolum, non excludit Filium nec Spiritum ſanctum, ſed tantùm idola.*

Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſsionis.

Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate, quam habui priùs, quàm mundus eſſet, apud te. Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo: Tui erant, & * mihi eos dediſti: & ſermonem tuum ſervaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt: quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt, & cognoverunt verè quia à te exivi, & crediderunt quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo: 2
* Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi: quia tui ſunt: & omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt: & clarificatus ſum in eis. Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: * ut ſint unum ſicut & nos. Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, * ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut ego non Pſ. 108.

* Mihi eos dediſti, *ſc. completè, quantum eſt ex parte tua, per vocationem & gratiam; & quantum eſt ex parte ipſorum, quia ſponte gratiæ cooperati ſunt, ut mihi per fidem & obedientiam adhæreant, in iiſque perſeverent. His ergo verbis paſſim ſignificantur electi ab æterno ad gloriam. Ianſen.*

* Non pro mundo rogo. Nota *Chriſtum pro omnibus omninò, etiam pro iis qui perituri ſunt, oraſſe, ut patet Luc. 23. 34. & 2. Cor. 5 14. hic tamen peculiariter orat non pro mundo, ſed tantùm pro ſuis Apoſtolis ac diſcipulis, quia eis hac oratione valedicens benedixit, idque oratione ferventi, ut conſervarentur in fide, gratia, & concordia. Ita Corn. à Lapide.*

* Vt ſint unum, *ſc. conſenſu, voluntate & ſpiritu, ſicut & nos unum ſumus naturâ & eſſentiâ. Ita S. Ambroſ. & alij.*

* Vt Scriptura &c. *τὸ ut, non finem intentum, ſed conſecutionem ſignificat. q. d. Atque ita factum eſt ut impleretur Scriptura, quæ pſ. 108. Iudæ perditionem deſcribit:* Dum judicatur, exeat condemnatus, *ubi ad litteram intelligit S. Petrus Act. 1. 20.*

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in Cœnaculo feriâ 5. hebdomadæ Paſſionis.

non ſum de mundo. Non rogo ut tollas eos de
mundo, ſed ut ſerves eos à malo. De mundo
non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt.
Sicut tu me miſiſti in mundũ,& ego miſi eos in
mundum. Et * pro eis ego ſanctifico meipſum:
3 ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro
eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: ut omnes
unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut
& ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus
quia tu me miſiſti. Et * ego claritatem, quam
dediſti mihi, dedi eis: ut ſint unum ſicut & nos
unum ſumus. Ego in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum: & cognoſcat mundus quia
tu me miſiſti, & dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: * ut videant claritatem
meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante
conſtitutionem mundi. Pater juſte, mundus te
non cognovit: ego autem te cognovi: & hi
cognoverunt quia tu me miſiſti. Et notum feci
eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio,
quâ dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

* Pro eis ego ſanctifico meipſum. *.i. dico, conſecro, offero me tibi, Pater, ut ſanctam hoſtiam, ut per eam & ipſi ſanctificentur. Ita Cyrill. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.*

* Ego claritatem τὴν δόξαν *gloriam, hoc eſt, divinitatem, quam mihi homini dediſti, dedi eis jam recèns in Euchariſtia. hac enim ratione, divina eos natura mea participes feci. Ita S. Cyrill. hiſce verbis:* Filium enim Dei naturâ Patri unitum, corporaliter ſubſtantialiterque accipientes, clarificamur, glorificamurque, ſupremæ facti naturæ participes. *Ita & Fr. Lucas & alij.*

* Vt videant claritatem meam &c. *.i. gloriam animæ & corporis, quam dare mihi decreviſti ab æterno. 2. claritatem, id eſt divinitatem & gloriam meam, quam mihi dediſti & huic carni univiſti. Tolet. Verbum autem,* volo, *non eſt imperantis, ſed precantis, ac deſiderium proponentis. Ita S. Cyprianus.*

Nota. *Paſſio Chriſti incepit ab hora, quæ nobis eſt nona veſpertina feriæ quintæ, & duravit uſq; ad tertiā pomeridianam feriæ ſextæ. De quo ita ait Bellarm. De gemitu columbæ lib. 2. cap. 3. Verè Chriſti paſſio, ſine ulla intermiſſione horas octodecim complexa eſt; videlicet novem ab hora noctis tertia uſque ad duodecimam, & novem ab hora prima diei uſque ad nonam. Sed neque his horis novem nocturnis, & novem diurnis, Chriſti Paſſio tota conſummata eſt nam tota ejus vita perpetua paſſio, & crucis paſſio dici potuit; ſiquidem ab ipſa conceptionis hora cognovit ſibi crucem eſſe paratam; eamque libentiſſimè acceptavit pro honore Patris, & ſalute hominum; & ſemper eam ante oculos mentis ſic habuit, ut verè dici poſſit, toto vitæ ſuæ tempore in cruce pependiſſe. Ita Bellarm.*

PASSIO
DOMINI NOSTRI
IESV CHRISTI.

Digitized by Google

Annus Chriſti 34.
Prædicationis 4.
Geſta in monte Oliveti nocte Paſſionis.

CAPUT CLXXXIII.

1. *Chriſtus cum undecim Apoſtolis mœrens ad montem Oliveti, & hortum Gethſemani pergit.* Matth. 26. 30. Marc. 14. 26. Luc. 22. 39. Ioan. 18. 1.
2. *In itinere Apoſtolis omnibus ſcandalum prædicit: Petrum quoque alterâ jam vice, negationum inſtantium commonefacit.* Matth. & Marc. ſuprà.
3. *Triſtitiâ in ſe mortali provocatâ, ter Patrem orat; & toties diſcipulos ſomno ac mœrore preſſos viſitat.* Matth. 26. 37. Marc. 14. 33. Luc. 22. 41.
4. *Totâ ſui abdicatione, ſummaque mentis contentione ſupplicanti, & jam ad agoniam ac ſanguinis ſudorem redacto conſolator è cælo Angelus apparet.* Luc. 22. 43.

1 [d] HÆc cùm dixiſſet IESUS, [a] & hymno dicto, [d] egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, [&] [c] ibat ſecundùm conſuetudinem in montem Olivarum. [a] Tunc dicit illis IESUS:
2 Omnes vos * ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus, ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor. Ait illi IESUS: [b] Amen dico tibi,

Zachar. 13. 7.

* Scandalum patiemini. *Probabile eſt, Apoſtolos, capto Domino fugientes, fidem non amiſiſſe, ſed diffidentiâ, puſillanimitate, ac timore perculſos Chriſtum deſeruiſſe, ac venialiter tantùm peccaſſe, itáque in* ſcandalum, *id eſt, offenſam & peccatum incurriſſe. Suar. tract. de fide, diſp. 9. ſect. 3. in fide tamen reſurrectionis omnes videntur hæſitaſſe. Vnde in Paraſceves Officio omnes extinguuntur candelæ, unicâ dumtaxat ardente relictâ; quòd ſc. B. Virgo ſola Chriſtum à morte reſurrecturum ad lumen vitæ, crediderit: Patet enim ex Euangelio, Apoſtolos hoc myſterium difficillimè credidiſſe. A Lapide.*

Digitized by Google

Annus Chriſti 34. Prædicationis 4. Geſta in horto Gethſemani nocte Paſſionis.

tibi, quia tu hodie in nocte hac, * priuſquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Etſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant. Et veniunt * in prædium, cui nomen Gethſemani: [d] ubi erat hortus, in quem introivit ipſe & diſcipuli ejus. [a] Et dixit diſcipulis ſuis: Sedete hîc, donèc vadam illuc, & orem. [c] Orate, ne intretis in tentationem. Et ipſe avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis. [a] Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, [b] * cœpit pavere, & tædere, [a] contriſtari, & mœſtus eſſe. Tunc ait 3
illis: * Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem

* Priuſquam gallus vocem bis dederit. Nota, τὸ *bis, apud Marcum accipiendum eſſe pro duobus diverſis temporibus, non autem ſimpliciter, ut diverſum ſignificet ſonum: tres verò reliqui Euangeliſtæ de uno tantummodo galli cantu mentionem faciunt, nimirum de ſecundo, quia hîc primarius eſt, & ab hominibus maximè obſervari ſolet: & ab hoc, ultima noctis pars, quæ quarta olim dicebatur vigilia, propriè dicitur gallicinium: duabus enim potiſſimùm vicibus, galli nocte canere conſueverunt; ſemel non diu poſt medium noctis; & ſecundò, cùm adhuc duæ aut tres, vel circiter noctis horæ ſuperſunt, quando in cantu perſeverant uſque ad tempus quod conticinium dicitur. Hæc porrò tempora ſolus Marcus diſtinguit, ac de ſecundo dicit:* Antequam gallus vocem bis dederit. *reliqui verò Euangeliſtæ non diſtinguunt, idemque tempus ſimpliciter vocant galli cantum, quia is præcipuus eſt, ac propriè dicitur gallicinium, ut dictum eſt. Ita Ianſen. & alij.*

* In prædium &c. *Gethſemani, fundus erat, ſive agèr ſuburbanus, ad radices montis Oliveti, ut ait S. Hieron. de locis Hebraicis. Non fuit ergo pagus. Gr.* εἰς χωρίον, *.i. agrum ſeu prædium cui hortus arboribus conſitus adjunctus erat, veriſimiliter & domus; quam Chriſtus non fuit ingreſſus. Hortus autem, erat ei conſuetum per noctes oratorium. Fr. Lucas.*

* Cœpit pavere. *Vox* cœpit *ſignificat Chriſtum non priùs contriſtatum fuiſſe, quàm dum liberè triſtitiam in ſe admiſit, utpote dominus paſſionum.*

* Triſtis eſt anima mea &c. *Cauſa huius triſtitiæ primaria fuit, viva apprehenſio inſtantis mortis pœnarumque acerbiſſimarum; has enim omnes Chriſtus hîc vivaciſſimè ſibi ut præſentes proponens deprecatur. Quæ apprehenſio tantum ei angorem intulit; ut gemeret, tremeret, langueret, palleſceret, viribus deficeret; imò ut ſudaret ſanguinem. Nimirum voluit ſic expiare lætitiam & delectationem Adami in uſu pomi vetiti, & quam*

Geſta in horto Gethſemani nocte Paſsionis.

tem : ſuſtinete hîc, & vigilate mecum. [b] Et
cùm proceſſiſſet paululum, [c] poſitis genibus,
[a] procidit in faciem ſuam [b] ſuper terram: & ora-
bat, ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora, & di-
xit: Abba Pater, [a] Pater mi, [b] omnia tibi poſſibi-
lia ſunt : [a] * ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix
iſte : verumtamen * non ſicut ego volo, ſed
ſicut tu. [c] Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, &
veniſſet ad diſcipulos ſuos, invenit eos dor-
mientes præ triſtitia, & ait illis : Quid dor-
mitis ? [b] Et ait Petro : Simon, dormis ? [a] Sic
non potuiſtis una hora vigilare mecum ? [c] Sur-
gite, [a] vigilate, & orate, ut non intretis in ten-
tationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro
autem infirma. [b] Et iterum abiens oravit, eun-
dum ſermonem dicens : [a] Pater mi, ſi non po-
teſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat
voluntas tua. [b] Et reverſus, denuo invenit
eos dormientes, (erant enim oculi eorum
gravati) & ignorabant quid reſponderent ei.
[a] Et relictis illis iterum abiit, & oravit tertiò,
4 eundem ſermonem dicens. [c] Apparuit autem
illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus

 in

quam habent ſinguli, dum peccant, in ſuis delitiis, opibus, honoribus. Ita à Lapide, Fr. Lucas, Ianſen.

Notandum *eſt autem triſtitiam hanc non tantum fuiſſe in appetitu ſenſitivo, ſed etiam in voluntate Chriſti, ſàltem ſecundùm partem ejus inferiorem, quæ naturaliter reſpicit & amat bonum naturæ ſuæ, ſcilicet vitam & ſanitatem; refugit verò, oditque mortem & dolores, de iiſque contriſtatur. Id ita eſſe, patet ex verbis Chriſti,* Verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu. *Voluntate ergo ſuâ naturaliter volebat liberari à morte.*

* Si poſsibile eſt &c. *Abſolutè hoc erat poſſibile, ſed impoſſibile erat poſito Dei decreto de redimendo homine per mortem Chriſti, quod non ignorabat Chriſtus. Quare abſolutè hîc non vult, nec orat contrarium voluntati Patris æquè ac ſuæ; ſed tantùm exponit naturale deſiderium, ſive voluntatem ſuam inefficacem & conditionatam, quæ naturaliter horrebat mortem, optabatque ab ea liberari : liberè tamen & ſecundùm rationem ſe Deo contrarium volenti, ſcilicet ut moreretur, planè ſubdebat. Ita Corn. à Lapide.*

* Non ſicut ego &c. *Luc.* Non mea voluntas; ſed tua fiat.

Annus Chriſti 34.
Geſta in horto Gethſemani, nocte Paſsionis.

in agonia, prolixiùs orabat. * Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. ᵇ Et venit tertiò ᵃ ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite jam, & requieſcite. ᵇ Sufficit. ᵃ Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis

* Et factus eſt ſudor &c. *Et, poſitum eſt pro, Nam. Lucas enim per hyſteron proteron præmiſit Angeli apparitionem, quæ erat poſtponenda. Poſt hanc enim non ſudavit Chriſtus ſanguinem, ſed ante eam.* ᵛ· Et, *ergo, id eſt Nam, ſignificat cauſam apparentis Angeli fuiſſe præcedentem agoniam ac ſudorem ſanguineum. Ita paſſim interpretes.*

Sudoris *hujus inauditi cauſa principalis cenſetur, prædicta mortis ac malorum omnium ac ſingulorum ſibi imminentium conſideratio, quæ in Chriſto fuit clariſſima ac diſtinctiſſima. cùm enim natura tantam ſuppliciorum acerbitatem, & tantum peccatorum noſtrorum pondus ſibi imponendum ſummè refugeret; & è contrario charitas Chriſti & obedientia paterna eum efficaciſſimè ad ea acceptanda & perpetienda propelleret, factum eſt, ut ex hac agonia, & veluti colluctatione, naturæ impetus victus ſanguineum ſudorem emiſerit: ſanguis enim introrſum refugiens, mox ſummo impetu extrorſum ad ſuperficiem repulſus, ſimul cum ſudore per poros corporis foras largiter eſt effuſus. Ex quo patet & quantoperè natura ſupplicia illa refugerit, & quantâ vi ſpiritus, naturam vicerit, eamque ad illa amplectenda impulerit; & quantum in utroque anima illa innocentiſſima ſit perpeſſa. Ita Leſſius de diu. perfect. lib. 12. cap. 17. Atque hinc colligitur, potius ex actu fortitudinis, quàm ex timore, hujus ſudoris emiſſionem proveniſſe. Idem docet Suarez, & à Lapide, & verba S. Lucæ innuunt.*

Denique notandum eſt, vocem agoniam, non ſignificare certamen, pugnam; aut luctam carnis & ſpiritûs, qualis in nobis eſt: caro enim, ut patet, in Chriſto ſubjecta fuit ſpiritui divinæque voluntati. Græcis autem ἀγωνία propriè ſignificat timorem, trepidationem, horrorem & angorem. Lucas ergo tres illas paſſiones ſponte à Chriſto admiſſas, quas alij duo Euangeliſtæ ei tribuerunt, pavorem ſc. triſtitiam & angorem, verbo unicò, agoniâ complexus eſt. Audi demum de hoc Chriſti angore S. Gregorium lib. 24. Moral. c. 7. ſic loquentem: Appropinquante morte Chriſtus noſtræ mortis in ſe certamen expreſſit; qui vim quamdam terroris ac formidinis patimur, cùm per ſolutionem carnis, æterno appropinquamus judicio. Neque enim tunc cujuſlibet anima immeritò terretur, quando poſt puſillum hoc invenit, quod in æternum mutare non poſſit. *Ita S. Gregor.*

Porrò ut mœrori omnium Chriſtus medeatur, ſicut dolor ejus ſenſibilis, qui ex reali corporis læſione naſcebatur, fuit maximus inter omnes dolores, quos mortales homines in hac vita

Digitized by Google

minis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet.

vita paſſi ſunt, vel aliquando patientur, juxta probabilem Theologorum ſententiam, & communem piorum fidelium ſenſum : ita internus hic quoque Chriſti dolor, ſ u triſtitia humana ac naturalis, talis fuit, qualem nullus hominum habuit, nec habebit. Quod expende in toto hoc paſſionis Domini decurſu. Ita ex D. Thoma docet Suarez qu. 46. art. 8. diſp. 33. ſect. 2.

Annus Chriſti 34.
Geſta in horto Gethſemani nocte Paſſionis.

CAPUT CLXXXIV.

1. *Hoſtibus obviàm vadens oſculo Iudæ proditur.*
Matth. 26. 47. Marc. 14. 43. Luc. 22. 47. Ioan. 18. 2.
2. *Cohortem militum ac ſervorum turbam unà cum duce proditore, verbo ſuo reſupinos ſternit.*
Ioan. 18. 5.
3. *Petro, diſcipuliſque defenſionem prohibet, & Malcho aurem reſtituit.*
4. *Datâ hoſtibus poteſtate, manus in ſe nefarias intentari patitur, & vinciri non renuit.*
Matth. 26. 51. Marc. 14. 46. Luc. 22. 49. Ioan. 18. 10.

1 [d] SCiebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter IESVS convenerat illuc cum diſcipulis ſuis. [b] Et adhuc eo loquente; [d] cùm accepiſſet * cohortem, & à Pontificibus, & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis & facibus, & armis : [a] & cum eo

* Cohortem, *quam ſc. principes à Pilato impetraverant hortatu Iudæ, qui exiſtimavit ſe poſſe Chriſti potentiam multitudine ſuperare; malitiâ nempe & avaritiâ mentem ejus excacante, ut docet Cyrillus. Liquet porrò hîc adfuiſſe mille milites, ut patet ex voce* χιλίαρχος *apud Ioannem. Ita S. Chryſoſt. Tolet. & alij.*

Iudas inſuper noctis tempus elegit, ne fortè de die populus Chriſtum liberaret: viderat enim præcedentibus diebus, clarâ luce neminem auſum fuiſſe in eum manus immittere. Præter militum cohortem aderat miniſtrorum turba, & aliqui ex principibus, magiſtratibus templi & ſenioribus, ut ex S. Luca patet.

Geſta in horto Gethſemani nocte Paſſionis.

turba multa, cum gladijs & fuſtibus, miſſi à principibus ſacerdotum, [b] & ſcribis & ſenioribus: [&] [c] antecedebat eos. [b] Dederat autem traditor ejus ſignum eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè. [a] Et confeſtim accedens ad IESUM, dixit: Ave Rabbi. Et * oſculatus eſt eum. Dixitque illi IESUS: Amice, ad quid veniſti? [c] Iuda, oſculo Filium hominis tradis? [d] IESUS itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: * Quem quæritis? Reſponderunt ei: IESUM Nazarenum. Dicit eis IESVS: Ego ſum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis. Vt ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: IESVM Nazarenum. Reſpondit IESVS: Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire: ut impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam. [a] Tunc acceſſerunt & manus injecerunt in IESVM, & tenuerunt eum. [c] Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, * quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio? [d] Simon ergo Petrus 2

* Oſculatus eſt eum. *Iudas dato oſculo, & verbis Chriſti auditis, obſtinatè in propoſito permanens, redijt ad cohortem, quam velut dux præceſſerat. Mox verò ad vocem Chriſti,* Ego ſum *(quod nomen eſt majeſtatis) unà cum turba univerſa proſtratus fuit in terram. Ita Chryſoſt. Tolet. alijque.*

* Quem quæritis: &c. *Obſervanda hic quatuor miracula, brevi tempore à Chriſto facta. 1. enim hujus turbæ oculi ita divinitus fuêre detenti* ἀορασίᾳ, *ut Chriſtum jam oſculo proditum agnoſcere non potuerint, ut notat Chryſoſt. 2. Providentiâ Chriſti factum fuit, ut nulli è diſcipulis, ne Petrus quidem, fuerint comprehenſi. 3. Miranda fuit verbi Chriſti potentia, quâ omnes velut fulmine proſtrati fuêre, adeò ut ſe ſuſtinere & regere non valerent, quaſi paralyſi percuſſi. 4. Aurem dexteram Malcho reſtituit, tùm ad exemplum manſuetudinis & patientiæ, tùm ne criminationi eſſet locus, quòd Dominus publicis juſtitiæ miniſtris reſtitiſſet.*

* Quod futurum erat, *nempe quòd etiam vincula Domino injecturi eſſent, quodque vinctum adducturi eſſent ad ſupplicium. Ita Ianſen.*

Annus Chriſti 34.
Geſta in horto Gethſemani nocte Paſſionis.

Petrus habens gladium, eduxit eum, & percuſ-
ſit Pontificis ſervum : & abſcidit auriculam
ejus dexteram. Erat autem nomen ſervo Mal-
3 chus. [c] Reſpondens autem IESVS, ait: * Si-
nite uſque huc. Et cùm tetigiſſet auriculam
ejus, ſanavit eum. [a] Dixit ergo IESVS Petro:
Mitte gladium tuum in vaginam. [a] Omnes e-
nim qui acceperint gladium, gladio peribunt.
[d] Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam
illum? [a] An putas, quia non poſſum rogare
Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſ-
quam * duodecim legiones Angelorum? Quo-
modo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic
oportet fieri? In illa hora dixit IESVS turbis,
[&] [c] ad eos, qui venerant ad ſe, principes
ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſenio-
res: [a] Tamquàm ad latronem exiſtis cum gla-
diis & fuſtibus comprehendere me: quotidie
apud vos ſedebam docens in templo, & non
4 me tenuiſtis: [c] ſed hæc eſt hora veſtra, & po-
teſtas tenebrarum. [a] Hoc autem totum * fa-
ctum eſt, ut adimplerentur Scripturæ prophe-
tarum. [d] Cohors ergo, & tribunus, & miniſtri
Iudæorum comprehenderunt IESVM, & liga-
verunt eum. [a] Tunc diſcipuli omnes relicto eo
fugerunt. [b] * Adoleſcens autem quidam ſeque-

* Sinite uſque huc .i. *Permittite ut huc uſque in me ſæviant, & me comprehendant. nam & longè graviora mihi ab his toleranda ſunt. S. Auguſt.*

* Duodecim legiones. *Legio Romanorum, agmen erat militare maximi numeri, in qua variant omninò auctores. Nam D. Hieronymus quidem & Theophylactus putant fuiſſe ſex millium, alij verò longè plurium fuiſſe arbitrantur .V. cap. 39.*

* Factum eſt .i. *permiſſum eſt à Deo, ut impia turba ſponte & ex malitia ſua hæc faceret; & ſic Scripturæ adimplerentur.*

* Adoleſcens &c. *Fuit hic fortè famulus, vel filius villæ ſeu prædij poſſeſſoris, ſtudioſus IESV, ut ait Tolet. & alij. Adoleſcens autem hic ſolo involutus linteamine lecti ſui, è ſtrato exiliens (ut apparet) auſus eſt turbam ſequi, ut videret quò Chriſtus abduceretur. Collige ex hac militum petulantia & malitia, quantus fuerit eorum in Chriſtum furor; & non ſine miraculo Apoſtolos ex eorum manibus evaſiſſe.*

Geſta in domo Caiphæ nocte Paſſionis.

batur cum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum. At ille reiectâ ſindone, nudus profugit ab eis.

CAPUT CLXXXV.

1. *Vinctus IESVS ad Annam ignominiosè abducitur.* Ioan. 18. 13.
2. *Inde mox ad Caipham pontificem, & ſacerdotum concilium raptatur.*

Matth. 26. 57. Marc. 14. 53. Luc. 22. 54. Ioan. 18. 24.

3. *Petrus Dominum eminus ſecutus, & in atrium Caiphæ ingreſſus, miniſtris improbis ſe miſcet. Ibidem.*
4. *IESVS à pontifice interrogatur, & à ſervo alapâ cæditur.* Ioan. 18. 19.

d ET adduxerunt eum ad Annam primùm. Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. * Erat autem Caiphas, qui conſilium

* Erat autem Caiphas.

Nota 1. *his verbis præponendum eſſe verſum hunc, qui poſtponitur à S. Ioanne,* Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. *Ita enim hoc loco legit Cyrill. lib. 11. c. 38. Nam ea quæ hîc ſequuntur de alapa Chriſto inflicta, & de trina Petri negatione, contigerunt in domo Caiphæ, ut patet ex Matthæo, Marco & Luca. Ita docent Ianſen. Tolet. à Lapide, Tirinus, & alij paſſim. Porrò Ioannes cùm ad Caipham ſermone delapſus eſſet, narrat ſimul quæ apud eum geſta ſunt, priuſquam meminiſſet Dominum ad ipſum perductum. Alij verò pro,* miſit, *legunt,* Miſerat eum Annas ligatum ad Caipham. *Græcè enim eſt,* ἀπέστειλεν αὐτὸν, *quod rectè ſic verti poteſt. Ita Ianſen. & Tolet. Apud Annam ergo nihil geſtum legitur, niſi quòd vinctum Dominum, ut venerat, miſerit ad ſummum pontificem & concilium.*

2. Nota *hîc, Caipham plurimum detuliſſe Annæ tamquam ſocero, & ſummæ auctoritatis viro, qui priùs fuerat ſummus pontifex; quæ dignitas cùm ex prima origine ſua eſſet perpetua, quaſi adhuc colebatur in Anna; inſuper quinque filios habuit idem Annas ſummos pontifices, teſte Ioſepho lib. 20. Antiqu. cap. 8. Alij probabilius quoque arbitrantur, Annam & Caipham largitionibus apud Romanos obtinuiſſe, ut alternis annis ſacerdotio fungerentur; omnia enim apud Romanos Iudæoſque ijs temporibus fuiſſe venalia, non*

une

Geſta in domo Caiphæ, nocte Paſsionis.

conſilium dederat Iudæis: Quia expedit, unum
hominem mori pro populo. [b] Et adduxerunt
2 IESVM [a] ad Caipham principem ſacerdotum,
ubi Scribæ & ſeniores, [b] & omnes ſacerdotes
3 [a] convenerant. Petrus autem ſequebatur eum
à longè, [d] & alius diſcipulus. Diſcipulus autem
ille erat notus pontifici, & introivit cum IESV
in atrium pontificis. Petrus autem ſtabat ad
oſtium foris. Exivit ergo diſcipulus alius, qui
erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & intro-
duxit Petrum [a] uſque in atrium principis ſa-
cerdotum. [d] Stabant autem ſervi & miniſtri
ad prunas [c] in medio atrij: [d] quia frigus erat:
& calefaciebant ſe: [c] & circum ſedentibus illis
erat Petrus in medio eorum, [b] & ſedebat cum
miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe, [a] ut vi-
4 deret finem. [d] * Pontifiex ergo interrogavit
IESVM de diſcipulis, & de doctrina ejus. Re-
ſpondit ei IESVS: Ego palàm locutus ſum
mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, & in
templo, quò omnes Iudæi conveniunt: & in
occulto locutus ſum nihil. Quid me interro-
gas? interroga eos, qui audierunt quid locu-
tus ſim ipſis: ecce hi ſciunt quæ dixerim ego.
Hæc

uno loco indicat Ioſephus. Et hoc S. Ioannes cap. 11. 49. & 51. & cap 18. v. 13. inſinuat, eum ubique dicit Caipham fuiſſe pontificem anni illius, quaſi alternis annis ille & Annas pontifices ſolerent eſſe: annuos enim ſummos ſacerdotes tunc fuiſſe tradit Beda in Luc. 3. Hinc ambo quaſi pontifices habebantur. Et ſic appoſitè exponitur locus ille Luc. prædicto cap. Sub principibus ſacerdotum Anna & Caipha. *Ita Ianſen. & Maldonat. Vide ſuprà cap. 15.*

* Pontifex. Nota. *Dum hæ voces*, Pontifex, ſummus ſacerdos, princeps ſacerdotum, *(pro quibus Gr. ſemper eſt eadem dictio ἀρχιερεύς) ſingulariter exprimuntur, tantùm ſignificari eum, qui verè erat omnium primus ſacerdos: nam ſi etiam alius quiſpiam eo nomine tunc in ſingulari numero dictus fuiſſet princeps ſacerdotum aut pontifex, Marcus ſanè & Lucas tollendæ ambiguitatis cauſâ debuiſſent ei proprium nomen addidiſſe. Vnde certò colligitur unicum tantummodò fuiſſe ſummum pontificem ſeu principem ſacerdotum, quem ſolus Matthæus Caipham nominat. Nec verò Annas uſquam vocatur pontifex. Dum tamen in plurali numero exprimuntur principes ſacerdotum, pontifices, ſive ſummi ſacerdotes, intelliguntur hîc paſsim qui in hoc ordine primarij, quique aliquando ſummum ſacerdotium obierant. Ita Ianſen.*

Geſti in domo Caiphæ nocte Paſſionis.

Hæc cùm dixiſſet, unus aſſiſtens miniſtrorum * dedit alapam IESV, dicens: Sic reſpondes pontifici? * Reſpondit ei IESVS: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis? * Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

* Dedit alapam &c. Quid hoc impudentius? Exhorreſcat cœlum, contremiſcat terra de Chriſti patientia, & ſervorum impudentia, *ait Chryſoſt. in Ioan.* 18.

* Reſpondit ei IESVS &c. *Chriſtus fortiter, fidenter, prudenterque reſpondit, & (ut ait Chryſoſt.) minimè arroganter, ſed veritate fretus. Id enim veritatis maximum eſt argumentum, dum quis inimicos in eorum quæ dicit, teſtimonium adducit.*

* Et miſit eum *id eſt*, miſerat eum, &c. *Vide de hoc verſu ſuprà in marg.*

Annus Chriſti 34. Geſta in domo Caiphæ nocte Paſſionis.

CAPUT CLXXXVI.

1. *Falſa teſtimonia apud Caipham ſilens patitur.*
2. *Reus mortis in concilio pronunciatur.*
3. *Per ſummum dedecus, ſputis impiorum ſpecioſus forma præ filiis hominum conſpurcatur.*
4. *Ceu falſus vates velatâ facie illuditur; colaphis, palmiſque diverberatur; ſannis atque contumeliis per reliquam noctem laceſſitur.*

Matth. 26. 59. Marc. 14. 55. Luc. 22. 63.

a PRincipes autem ſacerdotum, & * omne 1 concilium quærebant falſum teſtimonium contra

* Omne concilium, τὸ συνέδριον ὅλον, *ſc. concilium ſummum, ſi non univerſum, at magna ex parte congregatum. Erat in hoc concilio ſolum figura judicij, reverà autem latronum conventiculum. Iudicum enim eſt vera quærere teſtimonia; hi autem quærebant falſa. Iudicum eſt, innocentem mortis faucibus eripere; hi innocentem morti tradere ſitiebant fictis accuſationibus. Non enim dixerat Chriſtus:* Ego diſſoluam templum, *ſed,* ſoluite *vos. Non dixerat ſe illud ædificaturum, ſed ſuſcitaturum, alludens ad corpus ſuum exanimandum & ſuſcitandum. Denique cùm dicunt,* templum hoc manufactum &c. τὸ manufactum, & non manufactum *Chriſti verbis adjiciunt, ut ait Victor Antiochen. quò nimirum mendax hoc teſtimonium gravius & ſpecioſius appareat coram ſenatu.*

Annus Chriſti 34.

Geſta in domo Caiphæ nocte Paſſionis.

contra IESUM, ut eum morti traderent : & non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent : [b] & convenientia teſtimonia non erant. •Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt : Hic dixit, [b] quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego diſſoluam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conveniens teſtimonium illorum. Et exurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogavit IESVM, dicens : Non reſpondes quidquam ad ea, quæ tibi obiiciuntur ab his ? Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei : [a] Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei [b] benedicti ? [a] Dicit illi IESVS : * Tu dixiſti : [b] ego ſum. [a] Verumtamen dico vobis, * amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſti-

2 menta ſua, dicens : * Blaſphemavit : quid adhuc egemus teſtibus ? ecce nunc audiſtis blaſphemiam : quid vobis videtur ? [b] Qui omnes condemnaverunt eum : [&] [a] reſpondentes

3 dixerunt : Reus eſt mortis * Tunc expuerunt

 in

* Tu dixiſti. *q. d. dixiſti quod res eſt : ita eſt ut dixiſti. Sunt enim hæc verba civiliter concedentis, & ſic veritatem confitentis, ut vitetur arrogantiæ nota.*

* amodò videbitis &c. *id eſt ab hoc tempore, vel, poſt hoc tempus, non videbitis me habitu hominis contempti & rei, ſed habitu filij Dei, & Iudicis vivorum & mortuorum. Iudices enim omnes his verbis IESVS divini judicij commonuit. A Lapide in Matth. 26.*

* Blaſphemavit. *q d. Contumelioſe & impiè locutus eſt adverſus Deum & Chriſtum regem, arrogans ſibi honorem Dei & Chriſti.*

* Tunc expuerunt &c. *Chriſtus totâ reliquâ nocte per tres, ut minimum, horas variis & atrocibus injuriis doloribuſque affectus afflictuſque fuit, 1. ſc colaphis, & alapis ſive palmis. 2. ſputis. 3. contumeliis & conviciis,* Prophetiza nobis Chriſte &c. *4. quod ei vulſerint genas, barbam expilarint, aliiſque indignis modis tractarint, & prædixit Iſaias cap.*

Annus Chriſti 34. Geſta in domo Caiphæ nocte Paſſionis.

in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt. [e] Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et velaverunt eum: [b] & miniſtri alapis eum cædebant. [a] * alij autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit? [c] Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum. 4

cap. 50. 6. & Lucas innuit. 5. paſſus eſt autem injuriam & dolorem ex negatione Petri, qui erat caput Apoſtolorum. Atque hæc omnia mirâ animi ſuavitate, aquè ac fortitudine ſuſtinuit.

* alij autem palmas &c. *Hi nimirum alaparum percuſſione non contenti etiam verba contumelioſa addidere.* Palma *porrò, ſive alapa verber eſt, quod manu explicatâ in maxillam impingitur;* colaphus *verò quod pugno, ſive manu contractâ in collum, dorſum vel caput infligitur, juxta illud Comici: Colaphis tuber eſt totum caput. De his injuriis Chriſto illatis ſic ait S. Chryſoſt. homil. in Matth. 26.* Quid enim illi contumeliæ, poteſt exæquari? In faciem illam, quam fluctus maris reveriti ſunt, quam ſol in cruce videndo radios occuluit, ſpuebant, caput percutiebant &c.

Anuus Chriſti 34. Geſta in domo Caiphæ nocte Paſſionis.

CAPUT CLXXXVII.

1. *Petrus tertiò Dominum ſuum abnegans atque abiurans ſe diris devovet.*
2. *Chriſti oculo illuſtratus mox reſipiſcit, atrium deſerit, atque amarè plorat.* Matth. 26. 69. Marc. 14. 66. Luc. 22. 56. Ioan. 18. 17. & 25.

* in atrio deorſum. *Per gradus enim aſcendebatur ad aliud atrium, in quo erat Chriſtus in judicio: quem locum probabilius eſt, pariete diviſum fuiſſe ab atrio in quo erant miniſtri. Conſilia enim debebant eſſe ſecreta, & miniſtrorum tumultus principes ac ſacerdotes perturbaſſet. Unde ſequitur Petrum à Chriſto ſpiritualiter tantum fuiſſe conſpectum. Ita Ianſenius & alij.*

[a] PEtrus vero ſedebat foris [b] * in atrio deorſum: [a] & acceſſit ad eum una ancilla, [d] oſtiaria [b] ſummi ſacerdotis: & cum vidiſſet Petrum [c] ſedentem ad lumen, [&] [b] calefacientem ſe, [c] dixit: Et hic cum illo erat: [&] [b] aſpiciens illum, ait: Et tu cum IESU Nazareno eras: [d] numquid & tu ex diſcipulis es homi- 1

Annus Chriſti 34.
Geſta in domo Caiphæ noćte Paſſionis.

hominis iſtius? [a] At ille negavit coram omni-
bus, dicens: Non ſum: [c] mulier non novi illum:
[b] neque ſcio, neq; novi quid dicas. Et * exiit fo-
ras ante atrium, & gallus cantavit. [a] Exeunte
autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait
his qui erant ibi: Et hic erat cum IESU Na-
e zareno. [d] Erat autem Simon Petrus ſtans, &
calefaciens ſe. Dixerunt ergo ei: Numquid &
tu ex diſcipulis ejus es? [a] Et iterum negavit
cum juramento, [d] & dixit: Non ſum, [a] quia
non novi hominem. [c] Et intervallo facto quaſi
horæ unius, [b] rurſus qui aſtabant, dicebant
Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es: [a] &
loquela tua manifeſtum te facit. [d] Dicit ei
unus ex ſervis, cognatus ejus, cujus abſtulit
Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto
cum illo? [a] Tunc * cœpit deteſtari, [b] anathe-
matizare, & jurare: Quia neſcio hominem
iſtum, quem dicitis. [c] Et continuò adhuc illo
2 loquente, [b] gallus iterum cantavit. [c] Et con-
verſus Dominus reſpexit Petrum: [b] & recor-
datus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei IE-
SUS: Priùs quàm gallus cantet bis, ter me
negabis. [a] Et egreſſus foras flevit amare.

* Exiit foras ante atrium, *εἰς τὸ προαύλιον. in pro atrium ſive in veſtibulum atrij, intra domum ſcilicet, & portæ proximum. Vnde quod ſequitur:* Exeunte autem illo januam, *intelligendum eſt de janua, non domus, ſed atrij.*

* cœpit deteſtari &c. *ſemetipſum ſc. deteſtatus eſt. Græcè eſt, καταναθεματίζειν id eſt, devovere, maledicere, & diriſſima ſibi imprecari. Euthym Franc. Lucas, & alij, Interpp.*

Nota *cum Toleto, omnes tres negationes ad ignem contigiſſe, in malorum miniſtrorum circulo; nullâ etiam apud Annam, quod ex ipſis quoque Euangeliſtis clarè probat idem Toletus atque alij. Idem quoque tradunt Origenes tract. 25. in Matth. & Cyrillus l. 11. cap. 48.*

Nota *inſuper, Petrum non amiſiſſe fidem, ſed peccaſſe contra fidei profeſſionem, negando ſe Chriſti diſcipulum eſſe. Hanc enim ab omnibus receptam doctrinam tradit S. Auguſtin. tract. 113. Vide Tolet. in cap. 18. Ioan. annot. 11.*

Annus Christi 34. in domo Caiphæ prima luce feriæ 6. Paſſionis Domini.

CAPUT CLXXXVIII.

1. *Prima luce rurſum in frequentibus Iudicum comitiis interrogatur.*
2. *Iterum ſe Dei filium confeſſus, condemnatur: & mox ab univerſo concilio ad Pilatum præſidem vinctus trahitur.*

Matth. 27. 1. Marc. 15. 1. Luc. 22. 66. & c. 23. 1.

ET * ut factus eſt dies consilium in- 1
ierunt omnes principes ſacerdotum,
& ſeniores populi, & Scribæ adverſus
IESUM, ut eum morti traderent. Et
duxerunt illum in concilium ſuum, dicen-
tes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis:
* Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi
autem & interrogavero, non reſponde-
bitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc au- 2
tem erit Filius hominis ſedens à dextris
virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu
ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis,
quia ego ſum. At illi dixerunt: Quid ad-
huc deſideramus teſtimonium? ipſi enim
audi-

* ut factus eſt dies &c. *Principes qui ante diem concilium ſolverant, ſummo mane iterum convenerunt, quia non omnes noctu adfuerant; ut nimirum jam legitima videretur Chriſti condemnatio in hoc ſummo & pleno concilio, quod Synedrium magnum dicebatur, & conſtabat doctis in lege Dei judicibus 72. eratque inſtar Athenienſis Areopagi. In hoc enim non niſi cauſæ graviſſimæ, & ad ſummam reip. pertinentes tractari ſolebant; nempe apud tres ordines, videlicet 1. ſacerdotum primariorum. 2. ſeniorum, ſeu magiſtratuum, qui plerique erant Phariſæi. 3. Scribarum & Legiſperitorum. Ita Franc. Lucas.*

* Si vobis dixero &c. 1. *Si veritatem dixero vobis, non credetis mihi, quemadmodum & hac nocte, & alias ſæpe expertus ſum. Sin autem & interrogavero vos, unde convincere vos poſſim, & veritatem vobis demonſtrare; ſcilicet me Chriſtum eſſe; non reſpondebitis mihi. Vnde non eſt quod reſpondeam vobis. Innuit interim Chriſtus citando verba Davidica pſalmi celeberrimi. 109 (qui de Chriſto eſt) ſe Meſſiam eſſe ac Dei filium, cui ſeſſio ad dexteram Patris promiſſa eſt; ſeque aliquando venturum in nubibus cœli judicem univerſorum. Vide hic magnanimitatem IESV; qui inter medios judices, pontifices & hoſtes damnandus ad mortem, minatur tamen eis ſuum reditum ad judicium ultimum, & vel ipſis maximè judicibus pavendum. Cornel. à Lapide.*

Luc. 23. 1. 2.

audivimus de ore ejus. *Et ſurgens omnis multitudo eorum, [b] ſummi ſacerdotes, cùm ſenioribus, & Scribis, & univerſo concilio, * vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilati præſidi.

CAPUT CLXXXIX.

Annus Chriſti 34. Geſta Ieroſolymis feria 6. Paſſionis Domini.

1. *Iudas conſcientiâ ſcelerum victus, & ſpe ſalutis unà cum argenteis abjectâ, laqueo vitam claudit.*
2. *Ager figuli, innocui ſanguinis pretio coëmitur in peregrinorum ſepulturam.* Matth. 27. 3.

1 TUnc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet; * pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus, dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, receſſit: & abjens laqueo ſe ſuſpendit. Principes au-
2 tem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere * in corbonam: quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pre-

* pœnitentiâ ductus, *μεταμεληθεὶς quæ vox non eſt ad mentem redeuntis, & ſeſe emendantis; ſed ob admiſſum crimen ſe excruciantis. eò ſolùm quod conſcientia peccatorum ſceleſtum hominem etiam invitum ſtimulet ac remordeat. Defuit enim Iudæ ſpes, & multò magis erga Deum offenſum amor. Ita F. Lucas, aliique interpp.*

* In corbonam, *i. in gazophylacium, ærarium, vel arcam templi. Vide cap.* 81. & 163.

* Pretium appretiati, *ſc. Meſſiæ, triginta argenteis venumdati, & tam vili pretio æſtimati, illius, qui ineſtimabilis eſt, ut ait Theophyl. quod per ironiam, decorum pretium à Propheta vocatur.*

* pretium appretiati, quem appretiaverunt à filijs Iſraël: & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Zach. 11. 12.

Annus Chriſti 34. Geſta Ieroſolymis feria 6. Paſsionis Domini.

CAPUT CXC.

1. *Chriſtus in prætorio relictus cum ſatellitibus, apud præſidem ad Iudæos egreſſum accuſatur.* Ioan. 18. 28. Luc. 23. 2.
2. *Iudæis religionis obtentu ad prætorij fores remanentibus, intus à Pilato præſide examinatur.* Matth. 27. 11. Marc. 15. 2. Luc. 23. 3. Ioan. 18. 33.
3. *Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, fatetur.* Ioan. 18. 36.

* Adducunt ergo IESUM &c. *vid. principes & omnis multitudo, ut ſuprà cap. 188. ait S. Lucas. Non enim ſufficiebat eis mittere eum, ſed omnes qui ipſum condemnaverant, comitati ſunt; tùm ut omnium auctoritate & præſentiâ, populus Chriſtum liberare prohiberetur; tùm ut ab univerſo ſenatu Pilatus urgeretur, abſque cauſæ cognitione, mortis in eum ſententiam ferre.*

d * ADducunt ergo IESUM à Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipſi non introjerunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis adverſus hominem hunc? Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum. Dixerunt ergo 1

ergo ei Iudæi : • Nobis non licet interficere
quemquam. * Vt ſermo IESU impleretur, ſig-
nificans qua morte eſſet moriturus. ᶜ Cœpe-
runt autem illum accuſare , dicentes : Hunc
invenimus ſubvertentem gentem noſtram, &
prohibentem tributa dare Cæſari , & dicen-
2 tem ſe Chriſtum regem eſſe. ᵈ Introivit ergo
iterum in prætorium Pilatus , & vocavit IE-
SUM. • IESUS autem ſtetit ante præſidem,&
interrogavit eum præſes , dicens : Tu es Rex
Iudæorum ? ᵈ Reſpondit IESVS: • A temetipſo
hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Reſpon-
dit Pilatus: Numquid ego Iudæus ſum? Gens
tua , & pontifices tradiderunt te mihi : quid
feciſti ? Reſpondit IESVS : * Regnum meum
3 non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſ-
ſet regnum meum, miniſtri mei utique decer-
tarent, ut non traderer Iudæis: nunc autem
regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque ei
Pilatus: Ergo rex es tu ? Reſpondit IESVS :
Tu dicis quia rex ſum ego. Ego in hoc natus
ſum,

Annus Chriſti 34.
Geſta in prætorio Pilati feria 6. Paſſionis.

• Nobis non licet &c. *Valde probabile eſt, Iudæos non potuiſſe ſententiam capitis in aliquē ferre, ſine præſidis Romani auctoritate. S. Thomas & alij. Inſuper volebant Chriſtum crucifigi per Pilatum. quod genus mortis non erat ſecundum legem eorum, ſed Romanorum ſupplicium. Reſpondent ergo hic malitioſe , ſibi non licere quemquam interficere etiam Pilato conſentiente, vid. ob ſolemnitatem diei; ut ſic Chriſtus abſque mora per Romanos crucifigeretur. Vide hæc fuſius apud Toletum.*

* Vt ſermo &c. *Nimirum ſe tradendum gentibus, & ab eis crucifigendum. Hoc enim predixit Chriſtus Ioan.* 12. 32. Et ego ſi exaltatus fuero à terra. &c. *Item Matth.* 20. 19 *& alibi.*

* A temetipſo &c. *q. d. Interrogáſne ut judex, an à temetipſo, ut veritatem intelligas?*

* Regnum meum &c. Quid magnum fuit Regi ſæculorum , regem fieri hominum ? Non enim Rex Iſrael Chriſtus ad exigendum tributum , vel exercitum ferro armandum , hoſteſque viſibiliter debellandos : ſed Rex Iſraël, quòd mentes regat, quòd in æternum conſulat, quod in regnum cœlorum credentes, ſperantes amanteſque perducat. *Ita S. Auguſtin. tract.* 50. *in Ioannem.*

ſum, & ad hoc veni in mundum, * ut teſtimonium perhibeam veritati: Omnis * qui eſt ex veritate audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterum exivit ad Iudæos.

* Vt teſtimonium &c. *q. d. Ne putes me falsò regnum mihi adſcribere: ego ad hoc veni, ut veritatem mundo aperiam, ut regnum meum annuntiem, & cognoſcant homines verum Deum & quem miſit Chriſtum mundi Salvatorem. Ex quibus verbis Pilatus ſubobſcurè intellexit, regnum aliquod profiteri Chriſtum, ſublimius tamen iſtud, & non terrenum, quale Iudæi mentiebantur.*

* qui eſt ex veritate *.i. qui ex Deo eſt, quem Deus prima veritas elegit, & Spiritu ſuo regit atque gubernat. Ita Chriſtus dixerat Iudæis Ioan.* 8. 47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.

Annus Chriſti 34. Geſta in prætorio feria 6. Paſsionis.

CAPUT CXCI.

1. *A Pilato innocens prima vice renunciatur.* Luc. 23. 5. Ioan. 18. 38.
2. *Principes nefarium Barabbam Chriſto præferunt.* Ioan. 18. 39.
3. *Chriſtus ſemel, iterumque ad falſas criminationes tacet.* Matth. 27. 12. Marc. 15. 3.

1 [c] Ait autem Pilatus * ad principes ſacerdotum, & turbas: [d] Ego * nullam invenio in eo cauſam. Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum?
2 Clamaverunt ergo rurſum omnes, dicentes: Non

* ad principes &c. *Nota, hæc verba, quæ ſequuntur de Barabba, à Pilato principibus dicta fuiſſe, & ab aliis Euangeliſtis prætermiſſa, quod certiſſimè tenendum eſſe, affirmat Toletus, citatque pro hac opinione Cyrillum, Auguſtin. & Chryſoſt. Reliqui porrò tres Euangeliſtæ referunt plebis poſtulationem & cum plebe acta à Pilato, de Chriſti aut Barabbæ demiſſione ut hic ſequitur cap.* 193. *Prius ergo quod hic refertur fuit Pilati inventum ad Chriſtum dimittendum; idque accidit ante miſſionem ejus ad Herodem; poſterius verò fuit à populo profectum poſt Chriſtum ab Herode remiſſum. Sic Tolet.*

* nullum invenio &c. *Lucas ait*: Nihil invenio cauſæ in hoc homine.

Annus Christi 34.
Geſta in palatio Herodis. feria 6. Paſſionis.

Non hunc, ſed Barrabbam. Erat autem Barabbas latro. [b] Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis: [a] & cum accuſaretur à
3 principibus ſacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus. Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? [b] Non reſpondes quidquam? vide in quantis te accuſant. [a] Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.

CAPUT CXCII.

1. *Ad Herodem quaſi populi perturbator miſſus, ab inceſto Principe, & exercitu ejus contemnitur; albaque veſte illuſus ad præſidem remittitur.*
2. *Præſes iterum Christum innocentem aſſerit.*

Luc. 23. 5.

1 [c] AT illi invaleſcebant dicentes: Commovet populum, docens per univerſam Iudæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognovit quod * de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo IESV gravisus eſt valdè. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autem principes ſacerdotum & Scribæ conſtanter

Eee accu-

* De Herodis poteſtate. *Herodes hic Antipas dictus, Aſcalonitæ filius, S. Ioannis interfector, tetrarcha fuit Galilææ. Vnde Chriſtus in Nazareth, Galilææ oppido educatus, Herodi ſubditus cenſebatur: quia tamen in Iudæa comprehenſus & accuſatus; non minus ad Pilatum ſpectabat hoc judicium.*

Geſta in palatio Herodis feriâ 6. Paſſionis.

accuſantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo : & * illuſit indutum
veſte alba , & remiſit ad Pilatum. Et facti
ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die :
nam antea inimici erant ad invicem. Pilatus
autem vocatis principibus ſacerdotum , & 2
magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos : Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi avertentem populum , & ecce ego coram vobis interrogans , nullam cauſam inveni in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum , & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. * Emendatum ergo illum dimittam.

* Illuſit indutum veſte alba. *Græca verſio & Syra ſignificant Chriſtum, antequam veſte albâ indueretur, variis aliis modis illuſum fuiſſe. Græcè enim eſt : καὶ ἐμπαίξας, & poſtquam illuſiſſent, indutum veſte alba remiſit. Erat autem hæc veſtis 1. ambientium magiſtratum. 2. principum. 3. morionum. Notat ergo hac ratione Herodes, Chriſtum affectaſſe regnum, ſed ex fatuitate. Myſticè verò deſignat habitus hic Chriſti innocentiam , victoriam, gloriam , immortalitatem. Horum enim ſymbolum erat candor veſtis.*

* Emendatum *.i. caſtigatum , correptum , ut paulò poſt vertitur. Gr. παιδεύσας, poſtquam eum per lictores meos caſtigavero, ſcilicet ob leve aliquod delictum, quod contra vos commiſiſſe potuit.*

CAPUT CXCIII.

Annus Chriſti 34. Geſta rurſum in prætorio fer. 6. Paſsionis.

CAPUT CXCIII.

1. *Vniverſa populi turba Chriſtum Barabbæ homicidæ, & latroni poſtponit.*
 Matth. 27. 15. Marc. 15. 6. Luc. 23. 17.
2. *Præſidis interim Pilati uxor juſtitiam ejus teſtatur.*
 Matth. 27. 19.
3. *Pilatus quoque tertiò eum innoxium affirmat.*
 Matth. 27. 23. Marc. 15. 14. Luc. 23. 22.
4. *Demum omnis culpæ expers, omniſque auctor ſanctitatis homo Deus, ſervi inſtar nequiſſimi, flagris miſerandum in modum toto corpore laceratur.*
 Matth. 27. 26. Marc. 15. 15. Ioan. 19. 1.

1 a PEr diem autem ſolemnem conſueverat præſes populo * dimittere unum vinctum, b quemcumque petiſſent. a Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas, b qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium. Et * cum aſcendiſſet turba, * cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis. a Congregatis ergo illis, b reſpondit eis, [&] a dixit Pilatus: b Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? a Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an IESVM, qui dicitur Chriſtus? b Sciebat enim quod per invidiam
2 tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes. a Sedente autem illo pro tribunali, * miſit ad eum uxor ejus,

Eee 2

* Dimittere unum vinctum &c. *Probabile eſt, veterem fuiſſe Iudæorum traditionem & conſuetudinem, Cæſaris decreto firmatam, ut in memoriam liberati ex Ægypto populi, in die ſolemni Paſchæ vinctus unus è carcere liberaretur. Vnde Lucas de Pilato loquens dicit hic:* Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum, unum.

* Cùm aſcendiſſet turba, *propius ſc. ad Lithoſtroton & tribunal Pilati.*

* Cœpit rogare. *Supple, ut etiam nunc faceret ſicut conſueverat. Euthymius.*

* Miſit ad eum uxor &c. *Probabilius videtur, hos terrores & inſomnia uxoris Pilati profecta fuiſſe à Deo, ad magis teſtandam Chriſti innocentiam. Hanc autem* uxorem

Geſta rurſum in prætorio feriâ 6. Paſſionis.

ejus, dicens: Nihil tibi, & juſto illi. multa
enim paſſa ſum hodie per viſum propter
eum. Principes autem ſacerdotum, & ſenio-
res perſuaſerunt populis, [&] [b] concitave-
runt turbam,[a] ut peterent Barrabbam, IESVM
vero perderent. Reſpondens autem præſes,
ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti?
[c] Exclamavit autem ſimul univerſa turba, di-
cens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.
[b] Pilatus autem [c] volens dimittere IESVM,
[b] iterum reſpondens, ait illis: * Quid ergo
vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum
clamaverunt: [a] Crucifigatur: [c] crucifige, cruci- 3
fige eum. Ille autem tertiò dixit ad illos:
Quid enim mali fecit iſte? nullam cauſam
mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, &
dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis po-
ſtulantes ut crucifigeretur; & invaleſcebant
voces eorum: [a] Crucifigatur: [b] crucifige eum.
[d] Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM, & 4
* flagellavit.

CAPVT CXCIV.

uxorem agnoviſſe IESVM eſſe Meſſiam, in eumque credidiſſe, & eſſe ſalvatam opinatur Chryſoſt. Origenes & alij. Menologium quoque Græcorum Proculam hanc vocat, & catalogo ſanctorum adſcribit. Ita Barradius & alij interpp.

* Quid ergo vultis &c. *Matthæus habet:* Quid igitur faciam de IESV, qui dicitur Chriſtus? *qui & vulgò Chriſtus appellatur, quemque paucis ante diebus publicis honoribus ut regem veſtrum recepiſtis.*

* Flagellavit. *Diram & atrocem fuiſſe Chriſti flagellationem ſcribunt paſſim auctores, multiſque probant.* Conſtat *enim de doloris Chriſti acerbitate tùm ex corporis ejus temperamento optimo, tum ex militum horum barbarie atque immanitate, quam ubique oſtenderunt à prima Domini comprehenſione. Adde, Chriſtum à Romanis flagellatum fuiſſe apud quos non erat certus plagarum numerus. 2. Probatur vel maximè ex prophetiis variis, qualis eſt illa Iobi* 16. 15 Concidit me vulnere ſuper vulnus. *& pſ.* 128. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores. *i. quaſi fabri dorſum meum velut incudem contuderunt. Hebraicè verti poteſt:* Araverunt aratores dorſum meum. *Item ex prophetia Iacob. Gen.* 49. 11. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. *Per* ſtolam *enim &* pallium *carnem deſignat, & per* vinum *ſanguinem, ut ait Tertull. l. 4. contra Marc. 3. Probatur ex Chriſti verbis*

bis Luc. 12. 50. Baptiſmo autem habeo baptizari. *Ubi paſſionem ſuam vocat baptiſmum, in quo ut totum corpus olim aqua perfundebatur; ita Chriſtus hic indicare videtur, ſe quaſi in balneo ſanguine ſuo perfundendum, quod maximè accidit in flagellatione.*

4. *Probatur ex ſacra ſindone, quæ eſt Auguſtæ Taurinorum. In hac enim etiamnum apparent hæ plagæ multis locis inſtar foſſarum, non abſimiles ijs, quas in Martyribus ſcorpiones efficere ſolebant. Vide hæc fuſius apud Domit. Platum de Paſſione Domini.*

Denique expende, Chriſtum hîc columnæ alligatum omninò nudum fuiſſe, ex omnium ſententia, ut ait Suar. Unde probabiliter infertur, nudum quoque & abſque ullo tegumento cruci affixum fuiſſe, ut habet communior PP. opinio. Ita Suar. qu. 46. *art.* 8: *diſp.* 36. *ſect.* 4.

Annus Chriſti 34. Geſta in prætorio, feria 6. Paſsionis.

CAPUT CXCIV.

A cohorte militum, ficti perſonatique regis inſtar
1. *Contemnitur. Et primùm quidem veſte coccineâ,*
2. *Tum coronâ ſpineâ, deinde arundineo ſceptro;*
3. *Denique verberibus, ſputis, aliíſque indignis modis*
4. *Ludificatur atque affligitur.*

Matth. 27. 27. Marc. 15. 16. Ioan. 19. 2.

TUnc milites præſidis ſuſcipientes IESUM, [b] duxerunt eum in atrium prætorij: & [a] congregaverunt ad eum * univerſam
1 cohortem: & exuentes eum, * chlamydem
2 coccineam circumdederunt ei; & plectentes * coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput

ejus,

* Univerſam cohortem *prætoriam ſc. eandemque quæ Chriſtum in horto comprehenderat. Hæc cohors excubias agebat in arce Antonia, quæ erat inter templum & prætorium; modoque convocatur ad ſpectandum Chriſti illuſiones.*

* Chlamydem coccineam &c. *Ioannes dicit*: veſte purpureâ circumdederunt eum. Nota, *coccum granum eſſe inficiens veſtes colore rubro, ad purpuram accedente. Purpura autem rara ac pretioſa regum erat inſigne.*

* Coronam de ſpinis. *Non fuit hæc corona de junco marino, (ut quidam putant) huic enim nullæ vel in ſuſte, vel in ramis ſpinæ adhærent, ſed tantùm acumina in ſpinas deſinunt. Deinde quæ hactenus aſſervatæ reperiuntur ex eadem corona ſpinæ, ex ſentibus eſſe decerptæ noſcuntur. Ita Baron. a. Chriſti* 34. *Item Corn. à Lapide oculatus teſtis qui refert,*

refert, duas hujus coronæ ſpinas, quas S. Helena ex Ieruſalem Romam in S. Crucis baſilicam tranſtulit, longas eſſe & acutas inſtar craſſarum acicularum. Hæ

ejus & arundinem in dextera ejus. [d] Et ve- 3
niebant ad eum, [a] & genu flexo ante eum, il- 4
ludebant ei, [b] & cœperunt ſalutare eum, [a] di-
centes: Ave rex Judæorum. Et expuentes in
eum, acceperunt arundinem, & percutiebant
caput ejus: [b] & ponentes genua adorabant
eum, [d] & dabant ei alapas.

ſunt igitur ſpinæ, quæ Domini tempora & fœdaverunt, & lancinaverunt, *ut ſcribit Tertullianus lib. de corona militum ſub finem.*

Nota, *& admirare ſublimem Euangeliſtarum Philoſophiam cum S. Chryſoſt. qui ait,* eos quæ turpiſsima videntur, ad unguem expoſuiſſe, nihil celantes, nec erubeſcentes, ſed eximiam putantes gloriam (ut profectò eximia eſt) quod Dominus orbis talia pro nobis pati voluerit. *Ita ille homil. 86 in Matth. Subdit verò atque exhortatur omnes his verbis:* Sæpius, oro, hæc attentè legamus, hæc ut decet audiamus, hæc in cordibus noſtris inſcribamus. Hæc enim pulcherrima & glorioſiſsima ſunt: in his ego ſummoperè glorior; nec minus mihi ſui dolores ſublimem efferunt, quam mille mortui quos excitavit.

Annus Chriſti 34. Geſta in prætorio feria 6. Paſsionis.

CAPUT CXCV.

1. *Pilatus Dominum flagris lacerum, fictis cruentiſque inſignibus illuſum populo exhibet: & quartâ vice innocentiam ejus populo declarat.* Ioan. 19. 4.
2. *Mox de novo blaſphemiæ crimine accuſatum denuò eum in prætorio examinat.* Ibidem v. 9.
3. *Manus coram populo abluit.* Matth. 27. 24.
4. *Dimiſſo Barabbâ, IESVM tradit crucifigendum.* Matth. 27. 26. Marc. 15. 15. Luc. 23. 24. Ioan. 19. 16.

[a] EXivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit 1
eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut
cognoſcatis quia nullam invenio in eo cau-
ſam (Exivit ergo IESVS portans coronam
ſpineam, & purpureum veſtimentum.) Et
dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidiſſent
eum

Annus Christi 34.
Geſta in prætorio feriâ 6. Paſſionis.

eum pontifices, & miniſtri, clamabant, dicen-
tes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus:
Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim
non invenio in eo cauſam. Reſponderunt ei
Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum le-
gem debet mori, * quia filium Dei ſe fecit. Cùm
ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis
2 timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum: &
dixit ad IESVM: Vnde es tu? IESVS autem
reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus:
Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem ha-
beo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimit-
tere te? Reſpondit IESVS: * Non haberes po-
teſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum
eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi,
majus peccatum habet. Et exinde quærebat
Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clama-
bant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus
Cæſaris. Omnis enim, qui ſe regem facit, con-
tradicit Cæſari. Pilatus autem cum audiſſet
hos ſermones, adduxit foras IESVM: & ſedit
pro tribunali, in loco, qui dicitur * Lithoſtrotos,
Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem
Paraſceve

* Quia Filium Dei ſe fecit. *Hic aliam adferunt accuſationem, ſcilicet blaſphemiæ, quod peccatum ex lege, morte puniendum erat, ut patet Levit.* 24. 16. *Pilatus autem ad hæc verba extimuit, nam ut gentilis, ſuſpicabatur Chriſtum alicuius falſi Dei filium eſſe. Ita Cyrillus, aliique communiter.*

* Non haberes poteſtatem &c. *quaſi dicat. Quantuſcumque ſit præſes, & alijs omnibus præſideas, & in eos auctoritatem habeas; nihil tamen in me tibi poteſtatis eſſet, niſi ſingulari quadam Dei ordinatione tibi id datum eſſet. Quibus verbis Chriſtus ſe ſolum excipit ab hac poteſtate, quam in omnes alios habebat, ſeque diſtinctum ab alijs omnibus ſignificat, qui ſe ex Patris voluntate, & ſponte ſua præſidis tribunali ſubjecerit. Poteſtas autem hæc à Deo Pilato conceſſa in ſe bona erat, ſed uſus ejus malus. Ita Toler.*

* Lithoſtrotus *Gr.* λιθόστρωτος, *locus erat lapidibus ſtratus, porticus vid. ſublimis, in modum pontis lapidei, frequentibus arcubus ſupra plateam publicam, amplâ latitudine extructa, ut ſcribit Adrichom.*

Annus Chriſti 34.
Geſta in prætorio feriâ 6. Paſsionis.

* Paraſceve Paſchæ, * hora quaſi ſexta, & dicit
Iudæis: Ecce rex veſter. Illi autem clama-
bant: Tolle, tolle crucifige eum. Dicit eis Pi-
latus: Regem veſtrum crucifigam? Reſpon-
derunt pontifices: Non habemus regem, niſi
Cæſarem. [a] Videns autem Pilatus quia nihil 3
proficeret, ſed magis tumultus fieret: accep-
tâ aquâ lavit manus coram populo, dicens: In-
nocens ego ſum à ſanguine juſti hujus: vos vi-
deritis. Et reſpondens univerſus populus, dixit:
Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.
[b] Pilatus autem volens populo ſatisfacere, 4
[c] adiudicavit fieri petitionem eorum. Dimiſit
autem illis eum, qui propter homicidium &
ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem
petebant. IESUM verò tradidit voluntati eo-
rum, [d] ut crucifigeretur.

* Paraſceve, .i. *dies præparatorius rerũ neceſſariarum ad ſequens ſabbatum.* Paſchæ *verò additur, quia idem dies erat primus Paſchæ ſive Azymorum.*

* Hora quaſi ſexta .i. *ſexta nondum inchoata, ſed adhuc durabat tertia. adhuc enim ante finem tertiæ Chriſtus crucifixus fuit, quod ſignificat Marcus, ut ſequitur in textu. cap. 197.*

Annus Chriſti 34.
Geſta in itinere ad Calvar. montem feriâ 6. Paſsionis.

CAPUT CXCVI.

1. *Salvator innocens, latronum ſocius crucem ſibi bajulat, peccatis noſtris debitam.* Ioan. 19. 16:
2. *Simon Cyrenæus crucem poſt Dominum portare compellitur.* Matth. 27. 32. Marc. 15. 21. Luc. 23. 26.
3. *Mulierum lamentantium turba à Chriſto commonetur.* Luc. 23. 27.

[a] SVſceperunt autem IESVM: [b] exuerunt il- 1
lum purpurâ, & induerunt eum veſti-
mentis ſuis, & educunt illum, ut crucifigerent
eum. [d] Et bajulans ſibi crucem exivit. [a] Exeun-
tes autem [b] angariaverunt prætereuntẽ quem- 2
piam

Annus Chriſti 34.
Geſta in itinere ad Calvar. montem feriâ 6. Paſſionis.

piam, [a] * hominem Cyrenæum, nomine Simonem, [b] venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus: [c] & impoſuerunt illi portare crucem poſt IESVM. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mu-
3 lierum: * quæ plangebant, & lamentabantur eum. Converſus autem ad illas IESUS, dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce * venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

* Hominem Cyrenæum nomine Simonem. *Veteres Scriptores, Hilar. Ambr. Beda, & Leo ſerm. 8. de Paſſ. gentilem hunc fuiſſe putant. indignum enim videbatur, Iudæum crucem Domini ferre, ait S. Hilar. Alij tamen Iudæum fuiſſe opinantur, forte Chriſti diſcipulum. Putatur autem Dominus crucem ſolus portaſſe per urbem totam; in exitu verò urbis, angariatum fuiſſe Simonem, ut eam uſque ad Calvariam ferret. Ita Orig. Athanaſ. Auguſtin. aliique PP. apud Maldonat.*

* Quæ plangebant &c. *Inter has plangentes non erat B. Virgo. Hæ enim mulieres ſolùm humano affectu movebantur, putabantque Chriſtum coactum pati, ut imbecillem & qui ſe tueri non poſſet; cauſamque mortis non intelligebant.*

* Venient dies &c. *Chriſtus excidium urbis proximum poſt* 38. *annos, ſub Tito nimirum & Veſpaſiano complendum deſignat. Tunc enim in eam calamitatem famemque devenerunt mulieres, ut nonnullæ teſte Ioſepho lib.* 7. *de bello, c.* 8. *ſuos ediſſe infantes compertum ſit. Anno eodem vid.* 73. *Chriſti, Veſpaſiani* 2. *perierunt partim fame, partim gladio, undecies centena millia Iudæorum: & alia centum millia capta & vendita ſunt. Ioſephus, Euſebius & Bellarmin. in Chronolog.*

Annus Chriſti 34.
Geſta in monte Calvariæ, feriâ 6. Paſſionis.

CAPUT CXCVII.

1. *In Calvariæ monte viribus deficiens, oblatum ſibi vinum, fellis, myrrhæque miſturâ horridum delibat.*
Matth. 27. 33. Marc. 15. 22.

2. *Duos inter latrones medius crucifigitur, titulo cruci impoſito.*
Matth. 27. 35. & 37. Marc. 15. 24. & 26. Luc. 23. 33. & 38. Ioan. 19. 18.

* In Golgotha. *Pervenit huc Chriſtus longis & multorum milliarium itineribus defatigatus. Nam in ſeptem ſtationum diſtantia reperiuntur 6351. greſſus, ſeu minores paſſus. V. à Lapide Adrich. & alios.*

[a] DUcebantur autem & alij duo nequam
cum eo, ut interficerentur. [b] Et perdu-
cunt illum in * Golgotha locum: quòd eſt in-
terpretatum * Calvariæ locus. Et dabant ei
bibere * myrrhatum vinum, [a] cùm felle miſtum:
& cum guſtaſſet, noluit bibere. [b] Erat autem 2
* hora tertia: & crucifixerunt eum; [c] & latrones,
unum

* Calvariæ locus, *ſic dictus fuit à calvarijs & oſſibus mortuorum. Hoc loco ſepultum eſſe Adamum traditio eſt, quam tamquam probabiliſſimam recipiendam eſſe, docet Tolet. propter tot tantorumque* Doctorum *auctoritatem, vid. Auguſtini, Ambroſij,* Chryſ. *Athanaſ. Cypriani & aliorum.*

* Myrrhatum vinum &c. *Mos obtinebat, ut reis vinum propinaretur. Iudæi igitur eâ quidem ſpecie quaſi pium morem obſervarent, re autem verâ, ut IESUM rurſum illuderent, vini loco vappam evanidam atque acidam adferri curarunt. Gr. enim pro* οἶνος *legitur* ὄξος, *ſcilicet vinum quidem, ſed acerbum, & acetoſum, ut interpretatur Theophyl. Neque hoc contenti fuêre, verum etiam ne quid ſolatij Domino relinquerent, vinum hoc myrrhâ & felle miſcuerunt, vel certè myrrhâ ſolâ, quæ etiam fel dicatur ob amaritudinem. Ita paſſim DD. & interpp.*

* Horâ tertia, *vid. circa finem horæ tertiæ, propterea quod ſextæ nondum advenerat. Hoc enim S. Marcus ſignificat, qui paulò poſt v. 33. ait:* Et facta hora 6. tenebræ factæ ſunt. *Chriſtus igitur cruci adjudicatus fuit poſt ſeſquihoram ut minimùm elapſam ab audito ſigno tertiæ, quam horam quaſi ſextam vocat Ioannes. Poſt horæ circiter ſpatium perventum eſt in montem Calvariæ. Cumque crucis ſupplicium Romanis eſſet frequens, omniaque ad illud haberent parata, potuit Chriſtus quadrante horæ ante datum ſignum ſextæ ſeu duodecimæ noſtræ, affixus de cruce pependiſſe. Ita Fr. Lucas. De horis autem Iudæorum vide ſupra cap. 9.*

Annus Chriſti 34. Geſta in monte Calvariæ, feriâ 6 Paſsionis.

unum à dextris, & alterum à ſiniſtris; [d] medium autem IESVM. [b] Et impleta eſt Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis re-
Isa. 53. 12. putatus eſt. [c] IESVS autem dicebat: * *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* [d] Scripſit autem titulum Pilatus: [a] & impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt [d] IESVS Nazarenus, Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus eſt IESUS. Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.

* Pater dimitte &c. De *hoc verbo ita S. Anſelm. ſerm. de paſſ.* O verbum magnæ patientiæ! magnæ dulcedinis, magni amoris, & inenarrabilis charitatis! Et D. *Bernard*: Flagellis cæſus, ſpinis coronatus, clavis confoſſus, affixus patibulo, opprobrijs ſaturatus, omnium tamen dolorum immemor clamat: Pater dimitte illis. *Serm. 4. de Paſ. Dom.*

CAPUT CXCVIII.

Annus Chriſti 34. Geſta in monte Calvariæ feriâ 6. Paſsionis.

1. *Veſtimentorum ejus diviſio, & ſortitio.*
2. *Illuſiones, convitia, & maledicta.*
3. *Septem verba in cruce prolata, quorum primum vide cap. præcedenti.*
4. *Vltimum in cruce ſpiritum reddit, Patrique commendat.* Matth. 27. 35. Marc. 15. 24. Luc. 23. 34. Ioan. 19. 23.

1 [d] MIlites ergo * cum crucifixiſſent eum, accepe-

* Cùm crucifixiſſent eum. *Chriſtum omninò nudum cruci affixum fuiſſe plerique PP. docent. Ita Ambroſ. Athanaſ. Auguſt. Cyprian. Item Suar. Tolet. & alij. Quatuor quoque clavis crucifixum ſcribunt Gregor. Turon. lib. 1. de glor. Martt. c. 6. Bellarm. lib. de 7. verbis in præfat. & alij.*

Digitized by Google

Geſta in monte Calvariæ feriâ 6. Paſsionis.

* Acceperunt veſtimenta ejus &c. Nota, *probabile eſſe, Chriſtum triplicem habuiſſe veſtem. 1. quippe erat tunica lanea & interna, à B. Virgine contexta, ut habet PP. traditio. Super hanc altera induebatur veſte ſimbriatà. 3. erat pallium. Duæ poſteriores veſtes, quæ Chriſti humanitatem ſignificabant, ſc. corpus & animam, ſectæ ſunt: quia in humanitate paſſus eſt. At tunica primum & interius veſtimentum,*

* acceperunt veſtimenta ejus, (& fecerunt
quatuor partes: unicuique militi partem.)
& tunicam. Erat autem tunica inconſu-
tilis, deſuper contexta per totum. Dixe-
runt ergo ad invicem: Non ſcindamus
eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit. [c] Di-
videntes verò veſtimenta ejus, miſerunt
ſortes [b] ſuper eis, quis quid tolleret. [d] Vt Pſ. 21 18.
Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt
veſtimenta mea ſibi: & in veſtem meam
miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc
fecerunt. [a] Et ſedentes ſervabant eum.
[c] Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant 2
eum principes cum eis. [a] Prætereuntes
autem blaſphemabant eum, moventes ca-
pita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis
templum Dei, & in triduo illud reædifi-
cas: ſalva temetipſum: ſi filius Dei es, de-
ſcende de cruce. Similiter & principes
ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſe-
nioribus dicebant: Alios ſalvos fecit, ſeip-
ſum non poteſt ſalvum facere: ſi rex Iſraël
eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus
ei: confidit in Deo: liberet nunc, ſi vult
eum: dixit enim: Quia filius Dei ſum. [c] * Il-
ludebant autem ei & milites accedentes,
&

divinitatem ejus ſignificans, non admiſit partitionem. Hæc autem tunica deſuper con*texta dicitur, quia textura à ſummitate incipiebat, & per totam continuabatur. Ex hac demùm in 4. partes veſtium diviſione, colligunt auctores, Chriſtum à quatuor militibus crucifixum fuiſſe. Ita Tolet. qui citat Euthymium.*

* Illudebant autem ei &c. *Milites Chriſto recèns cruci affixo illudentes acetum obtuliſſe, dicit S. Lucas. Vnde infertur, bis ei acetum propinatum, vid. nunc poſt crucifixionem, & iterum paulo ante mortem, dum clamaret: Sitio. Ita Bellarm. l. 2. de 7. verbis cap. 7. & Tolet. in Ioan. qui citat S. Cyrillum.*

Digitized by Google

Annus Christi 34.

Geſta in monte Calvariæ, feriâ 6. Paſſionis.

& acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es rex Iudæorum, ſalvum te fac. [b] Et * qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei. [c] Vnus [enim] de his, qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad IESVM: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit
3 illi IESVS: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* [d] * Stabant autem juxta crucem IESV mater ejus, & * ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergo IESVS matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: *Mulier, ecce filius tuus.* Deinde dicit diſcipulo: *Ecce mater tua.* Et ex illa hora accepit eam diſcipulus * in ſua. [e] Erat autem ferè hora ſexta: [a] à ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt per univerſam terram uſque ad horam nonam, [c] & * obſcuratus eſt ſol. Et

Fff 3 circa

* Qui cum eo crucifixi &c. *Probabilius eſt unum tantùm Chriſto convitiatum fuiſſe; Mattheum verò & Marcum plurali numero hîc uſos ſynecbdochicè. Ita paſſim PP. & Interpp.*

* Stabant autem &c. *B. Virginem ad crucem ſtetiſſe, nullumque in ea fuiſſe ſpaſmum aut nervorum contractionem, nec ſenſuum, nec rationis alienationem, nec corpore lapſam fuiſſe, docent Caietan. in tract. 13. de ſpaſmo B. Virg. Carthagena l. 12. hom. 7. Ianſen. Suarez & alij. Contrariam verò ſententiam vetitam eſſe à S. Inquiſit. & Magiſtro Sac. palatij ſcribit idem Carthag. ſuprà. Dici quidem poſſet in principio B. Virginem præ dolore corruiſſe, non tamen ita ut rationis impos eſſet; poſteà verò reſumpto animo ſemper ſtetiſſe.*

* Soror matris ejus &c. *Fuit hæc uxor Cleophæ, fratris S. Ioſeph ſponſi B. Virginis, cujus ſoror dicitur. Duorum enim fratrum conjuges rectè dicuntur ſorores. Eadem quoque dicitur Maria Iacobi, quia mater erat Iacobi minoris. Ita Bellarm. lib. 1. de 7. verbis c. 8. Vide in Proœm. de Geneal. Chriſti in fine.*

* In ſua, *id eſt inter perſonas, quarum curam gerebat, quales erant parentes ejus Zebedæus & Salome.*

* Obſcuratus eſt ſol. *Luna nempe eo tempore in plenilunio ſoli oppoſita, velociſſimo*

Geſta in monte Calvariæ feriâ 6. Paſſionis.

circa horam nonam clamavit IESVS voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma ſabactani? hoc eſt: *Deus meus, Deus meus, * ut quid dereliquiſti me?* Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte. [d] Poſtea ſciens JESVS quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit: * *Sitio.* * Vas ergo erat poſitum aceto plenum. [a] Et continuò * currens unus ex eis acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: * Sine, videamus an veniat Elias, liberans eum. [d] Cùm ergo accepiſſet IESVS acetum, dixit: *Conſummatum eſt.* Et [a] iterum clamans voce magna, [c] ait: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et hæc dicens, [d] inclinato capite tradidit ſpiritum. 4

mo curſu ſoli ſe ſubjecit, circa meridiem: & poſt tres horas per eandem viam ad locum ſuum rediit. Fuit ergò prodigioſum omnino hoc ſolis deliquium. Ita S. Dionyſ. Areop. oculatus teſtis, epiſt. ad Sanctum Polycarpum.

* Vt quid. *non eſt vox dubitantis, ſed dolentis. Cyrill. derelinqui, autem eſt privari omni conſolatione in parte inferiori. Suarez & alij.*

* Sitio *Sitim hanc acerbiſſimam poſt tantam ſanguinis ſudoriſque effuſionem, Chriſtus ex Patris voluntate, hominibus notam eſſe voluit. V. Bellarm. ſuprà.*

* Vas ergo &c. *Vas cum aceto, ſpongia & hyſſopus de more parata erant pro crucifixis, non ad levandam eorum ſitim, ſed ut diutius in tormentis viverent. Acetum enim ſemianimes recreat ori & naribus appoſitum. Inſuper admotum vulneribus ſanguinem ſiſtit. Spongijs quoque eandem ineſſe virtutem docet Plin. l. 31. nat. hiſtor. c. 11. Denique hyſſopum quoque eadem vi ſiſtendi ſanguinis præditam eſſe, ſcribit Plin. & ex eo Baron. Milites igitur hac ratione Chriſtum potantes, aceto & alijs rebus quibus poterant, abuſi ſunt, ut Domino illuderent. Ita F. Lucas.*

* Currens unus ex eis &c. *Ioannes dicit:* Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. *Vbi nota, multos feciſſe dici à Ioanne id quod unus accurrens fecit, quia unus hic multorum nomine fecit.*

* Sine, videamus &c. *S. Marcus ait, hac verba etiam dicta fuiſſe ab eo qui acetum obtulit.*

CAPVT CXCIX.

Geſta in monte Calvariæ feriâ 6. Paſſionis.

CAPUT CXCIX.

1. *Prodigia varia, innocentiam & victoriam Chriſti, Iudæorum ſcelus, devictos inferos, mortuorum vitam, cæli apertionem teſtantia.*
2. *Centurionis converſio, ac populi pœnitentia.*
3. *Mulieres, ceterique noti, eminus portenta mirantur.*

Matth. 27. 51. Marc. 15. 38. Luc. 23. 45.

1 ET * ecce velum templi ſciſſum eſt [c] me-
dium [a] in duas partes, à ſummo uſque
deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,
& monumenta aperta ſunt: & multa corpora
ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et
exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem
ejus, venerunt * in ſanctam civitatem, & appa-
2 ruerunt multis. [b] Videns autem Centurio, qui
ex adverſo ſtabat, [c] quod factum fuerat, [&]
[b] quia ſic clamans expiraſſet, [c] glorificavit
Deum, dicens: Verè hic homo juſtus erat [&]
[b] Filius Dei. [a] Et qui cum eo erant cuſtodientes
IESVM viſo terræmotu, & his quæ fiebant, ti-
muerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat
iſte. [c] Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant
ad ſpectaculum iſtud, & videbant quæ fiebant,
percutientes pectora ſua revertebantur. Sta-
bant autem omnes noti ejus à longè. [a] Erant
3 autem ibi mulieres multæ, [b] de longè aſpi-
cientes:

* Ecce velum templi. Nota. *Chriſto & viventi & morienti omne hominum genus, & omnes res creatæ teſtimonium innocentiæ dederunt.* Velum templi *celeberrimum illud & auguſtiſſimum eſt,* quod Exod. 26. 31. *Deus ad dirimendum Sanctum Sanctorum à Sancto juſſerat ſuſpendi. Erat autem velum iſtud, licet populo minimè conſpicuum, in conſpectu tamen ſacerdotum, quoties intrabant in Sanctum. Hoc ergo ſacrum velum dilaceratum fuit divinitus, in terrorem potiſſimùm ſacerdotum & principum, necis Chriſti auctorum. Poteratque id omnibus innoteſcere, cum horâ hac nonâ inſtaret tempus incenſi, quo ſacerdotem, Sanctum ingredi neceſſe erat.*

* In ſanctam civitatem. *Mortui enim omnes apud Iudæos extra civitates, caſtella & vicos ſepeliebantur.*

Annus Chriſti 34 Geſta in monte Calvariæ feriâ 6. Paſſionis.

cientes: inter quas erat Maria Magdalene, & * Maria Iacobi minoris & Ioſeph mater, & * Salome, * mater filiorum Zebedæi: [b] & cum eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, & aliæ * multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Ieroſolymam.

* Maria Iacobi, *eadem hæc eſt quæ Maria Cleophæ, ut ſupra. Vide arborem Genealog. in fine Proœm.*

* Salome *quæ fuerit, vide infrà cap. 203. & ſuprà de Chriſti Geneal.*

* Multæ. *Nota hîc mulierum non paucarum, ſed plurimarum fidem, pietatem atque conſtantiam; quæ Chriſto fideliſſimè uſque ad mortem ac ſepulturam adhæſerunt, viris interim quamplurimis præ timore latitantibus. De his Euthymius hoc loco,* Chorus, *inquit,* erat diſcipularum apud Dei matrem conjunctarum, & expenſas de ſuis facultatibus ſuppeditantium. *Nam (ut teſtatur hîc S. Hieronymus) moris erat apud Iudæos, mulieres copioſas atque honeſtas, id officij magiſtris præſtare; idque ſine nota, aut populi offenſione.*

Annus Chriſti 34. Geſta in monte Calvariæ feriâ 6. Paſſionis.

CAPVT CC.

1. *Latronum crura franguntur ad mortem eorum accelerandam, ob ſabbatum inſtans.*
2. *Chriſti jam mortui latus apertum, ſanguine & aquâ manat.* Ioan. 19. 31.

IUdæi ergo, (quoniam paraſceve erat.) ut 1
non remanerent in cruce corpora ſabbato, (* erat enim magnus dies ille ſabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad IESUM autem cum 2
veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: ſed * unus militum lanceâ latus

* Erat enim magnus &c. *.i. erat ſolemnis dies ille ſabbati, quia concurrebat cum feſtis Paſchalibus, ſeu die ſecundo Azymorum.*

* Vnus militum lanceâ &c. Nota 1. *non videri hoc factum fuiſſe à Centurione (ut quidam putant) ſed ab alio milite. Nam*

Centurio

Annus Chriſti 34.

Geſta in monte Calvari feriâ 6. Paſſionis.

latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis, & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit: ut & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

Exod. 12. 46. Zach. 12. 10.

Centurio jam in Chriſtum credens, eum Dei Filium, verumque Deum agnoverat, palamque profeſſus fuerat, juxta multorum ſententiam. Diverſi ſunt ergo miles hic, & Centurio, ambo quidem Sancti & Martyres, atque ambo Longini appellati, ſed diverſa eſt utriuſque hiſtoria & Martyrologium. De milite, qui latus Domini percuſſit, agunt Adonis ac Bedæ Martyrologg. Petrus Comeſtor & alij; de Centurione verò Metaph. Surius & plures, quorum aliqui ex duobus unum faciunt.

2. Notandum *hîc duplex miraculum ſanguinis, & aquæ veræ & elementaris è mortuo corpore ſcaturientis, ut definitum eſt ab Innocent. III. Cap. in quadam. de celebrat. Miſſarum.*

Nota 3. *Chriſtum non accepiſſe hoc lateris vulnus ad meritum vel ſatisfactionem. Meritum enim in morte conſummavit, nec verò mortuus mereri potuit; ordinavit tamen illud ad myſterij ſignificationem, & confirmationem mortis ac reſurrectionis ſuæ, ut docet cum aliis Suarez qu. 51. art. 3. diſp. 41. Myſterium autem primariò hîc ſignificatum eſt; ex morte & latere Chriſti, quaſi ſecundi Adæ dormientis in cruce, Eccleſiam Chriſti ſponſam inſtar Evæ formatam eſſe, ut docent Patres. quod tamen intelligendum eſt non propriè & præciſè, ſed ſymbolicè & figuratè; quia ſcilicet per mortem & ſanguinem Chriſti, Eccleſia redempta, inſtituta & ſanctificata eſt; quodque, ut affirmant Cyrill. Chryſoſt. & Cyprianus; aqua ſignificet Baptiſmum, qui eſt principium Eccleſiæ & reliquorum Sacramentorum, ſanguis verò repræſentet Euchariſtiam, quæ omnium Sacramentorum finis eſt & complementum: ad quæ duo quaſi ad principium & finem, cetera Sacramenta omnia reducuntur, ut docet Tolet. & alij. Vnde S. Auguſtinus ait tract. 120. omnia Sacramenta ex latere Chriſti emanaſſe, myſticè vid. Sic nimirum & ex eodem latere nata eſt Eccleſia. Ratio eſt, quia, ut ſcribit Chryſoſt. & Theophylact.* Eccleſia & fit, & conſiſtit per Sacramenta. *Nam baptiſmo naſcitur, Confirmatione roboratur, Euchariſtiâ paſcitur & perficitur. Pœnitentiâ ſanatur, Extremâ Vnctione munitur, Ordine gubernatur, Matrimonio propagatur. Ita Franciſcus Lucas & à Lapide.*

CAPUT .CCI.

Digitized by Google

CAPUT CCI.

1. *Sacrum Chriſti corpus de cruce depoſitum, duorum illuſtrium virorum miniſterio honorificè ſepelitur.*
   1. *Ioſeph ad tam auguſtas exequias ſindonem offert novam atque mundiſſimam, aquè ac monumentum ſuum novum, in petra exciſum.*
2. *Nicodemus alter Iudæorum princeps Myrrhæ atque aloës libras centum in unctionem conſecrat.*
3. *Mulieres Chriſto devotæ funeris ſitum obſervant; & ocyus ante orſum ſabbati, unguenta comparant.*

Matth. 27. 57. Marc. 15. 42. Luc. 23. 50. Ioan. 19. 38.

[b] ET cum jam ſerò eſſet factum, (quia erat 1
Paraſceve, quod eſt ante ſabbatum.)
[a] venit quidam homo dives, ab Arimathæa,
[c] civitate Iudææ, [a] nomine Ioſeph, [b] nobilis
[a] decurio, [c] vir bonus & juſtus, [a] qui & ipſe di-
ſcipulus erat IESV, [d] occultus autem propter
metum Iudæorum. [c] Hic non conſenſerat
conſilio, & actibus eorum: [b] qui & ipſe erat
expectans regnum Dei, & audacter introivit
ad Pilatum, & petijt corpus IESU. Pilatus
autem mirabatur ſi jam obiiſſet. Et accerſito
Centurione, interrogavit eum, ſi jam mor-
tuus eſſet. Et cum cognoviſſet à Centurione,
donavit corpus Ioſeph, [&] [a] juſſit reddi. [b] Jo- 2
ſeph autem mercatus ſindonem, & deponens
eum involuit * ſindone [a] mundâ. [d] Venit au- 3
tem & Nicodemus, qui venerat ad IESUM
nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ &
aloës,

* Decurio. *βουλευτὴς, id eſt, conſiliarius, ſenator. Incipit hic impleri prophetia Iſa. 11. 10.* Erit ſepulchrum ejus glorioſum. *Nam gloria Chriſti extemplò poſt mortem, & à depoſitione ejus de cruce, per viros hoſce principes atque illuſtres peractâ, initium cœpit.*

* Sindone. *Sindon hæc pretioſa erat, nimirum pannus lineus ex lino Ægyptiaco delicatiore contextus. Franc. Lucas.*

Geſta in monte Calvariæ feriâ 6. Paſsiones.

aloës, quaſi * libras centum. Acceperunt ergo corpus IESU, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat, [b] quod erat exciſum de petra. [d] Ibi ergo propter paraſceven Iudæorum, quia juxta erat monumentum, * poſuerunt IESUM. [a] Et [Ioſeph] adoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abijt. [c] Et dies erat paraſceves, & * ſabbatum
3. illuceſcebat. Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus ejus. [a] Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera [b] * Maria Ioſeph, [a] ſedentes contra ſepulchrum. [c] Et revertentes * paraverunt aromata, & unguenta: & ſabbato quidem * ſilverunt ſecundum mandatum.

* Libras centum. *Magnam aromatam copiam attulit Nicodemus, declarans ſuam erga IESVM benevolentiam gratumque animum. Contendebat enim unâ cum Ioſeph, ſumptuoſiſſimè & honorificentiſſimè Chriſtum ſepelire. Non tamen fuit neceſſe omnia hæc aromata impendere.*

* Poſuerunt. *Matthæus utitur ſingulari numerò, tantumque nominat Ioſeph, qui præcipuam hîc præſtitit operam, nam ipſe corpus Chriſti à Pilato impetraverat, eique proprium conceſſerat monumentum. De hoc ergo dicit Matthæus:* Ioſeph involuit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra.

* Sabbatum illuceſcebat *.i. incipiebat; quamquam non à luce, ſed à veſpera & tenebris, more Hebræorum inciperet. Sunt, qui putant Euangeliſtam reſpexiſſe vel ad ſtellarum exortum, vel ad lumen lucernarum. Vnde & Latini id temporis, primam facem nuncupabant.*

* Maria Ioſeph, *ſcilicet mater. Hæc eadem eſt quæ & Iacobi mater. Vide arb. geneal. in proœm.*

* Paraverunt aromata. *Nota, mulieres bis aromata coëmiſſe, primùm hoc tempore ante ſolis occaſum & ſabbatum, ut hîc refert Lucas. 2. tranſacto jam ſabbato, poſt ſolis occaſum, ut eſt Marci 16. 1. Ita Tolet. & alij.*

* Silverunt *.i. quieverunt, & nihil egerunt circa aromatũ & unguentorum apparatũ.*

 CAPUT CCII.

Annus Chriſti 34. Geſta Ieroſolymæ & ad ſepulchrum in ſabbato ſancto m. Mart. 26.

CAPUT CCII.

1. *Sabbato conveniunt principes ſacerdotum, & Phariſæi.*
2. *Sepulchrum militari cuſtodiâ, & lapide obſignato muniunt.* Matth. 27. 62.

ALtera autem die, quæ eſt poſt paraſceven convenerunt principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium: ne forte veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis. & erit *noviſſimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, *ſignantes lapidem, cùm cuſtodibus. 1 2

* Noviſſimus error &c. *Errorem primum ipſi vocant doctrinam Chriſti, quâ docuit, & miraculis probavit ſe eſſe Meſſiam, ac Dei Filium. Alterum verò errorem noviſſimum fore metuunt, doctrinam de ſua poſt mortem reſurrectione, quæ ſi jam facta crederetur; condemnandi erant principes de Meſſiæ occiſione, & Chriſti fides propaganda erat; quod ita accidit. Nec profuerunt omnes eorum machinationes & mendacia, quibus glorioſam Domini reſurrectionem obſcurare & tenebris involuere, ac ſepelire conati ſunt. Franc. Lucas & alij.*

* Signantes lapidem &c. .i. *munientes ſepulchrum ſigillo, adhibitiſque cuſtodibus.*

DE GLORIOSA CHRISTI DOMINI RESVRRECTIONE ET QVADRAGESIMA POST DIE IN COELVM ASCENSV.

Chriſti Domini è ſepulchri tenebris redivivi, mortis infauſtæ Victoris, ac vitæ luciſque beatiſſimæ auctoris encomia celebrant Angeli, ſacræ litteræ & Eccleſia univerſa. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 15. *proclamat*: Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.

Nimirum reſurrexit Chriſtus (*ait S. Thomas q. 53. a. 2.*) circa diluculum, illuceſcente jam die, ad ſignificandum quod per ſuam reſurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat: ſicut mortuus eſt adveſperaſcente jam die, & recedente in tenebras, ad oſtendendum quod per ſuam mortem deſtrueret tenebras culpæ & pœnæ. *Quibus conſonant hæc & ejuſcemodi Eccleſiæ cantica*: Ipſe enim verus eſt Agnus, qui abſtulit peccata mundi: qui mortē noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit.

Denique ad Chriſti patientis ac reſurgentis imitationem, vitæque cæleſtis ſtudium fideles identidem monet Apoſtolus, quemadmodum ad Coloſſ. 3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite &c.

Annus Chriſti 34.

Geſta ad ſepulchrum Domini Dominica Reſurrect. 27. Martij.

CAPUT CCIII.

1. *Maria Magdalene, Maria Iacobi, Salome, Ioanna, aliæque matronæ, aromata portantes, ante lucem monumentum adeunt.*
2. *Angeli frequentes eis Chriſti reſurrectionem teſtificantur.*
3. *His viſis auditiſque, mulieres pavore & gaudio conturbatæ ad Apoſtolos properantes, cuncta renunciant; qui tamen illarum teſtimoniis fidem non habent.*

Matth. 28. 1. Marc. 16. 1. Luc. 24. 1. Ioan. 20. 1.

* Cùm tranſiſſet &c. *Mulieres hic alterâ vice, ſabbato tranſacto, nempe poſt ſolis occaſum, pridie Reſurrectionis, unguenta coëmunt, ut ſuprà dictum.*

* Veſpere *.i. ſerâ jam nocte, quæ nimirum clareſcere incipit in diem. Ita S. Auguſt. & alij. Græce enim pro* veſpere *eſt* ὀψὲ, *adverbium ſignificans ſerò, tardè poſt tempus, videlicet ſabbati jam dudum elapſi, ut ſequitur.*

[b] ET * cum tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent IESVM. [a] * Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, [c] valde diluculò, [d] * cum adhuc tenebræ eſſent, [c] venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata. [a] Et ecce terræmotus factus eſt magnus. * Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens revoluit

* Veſpere autem ſabbati &c. *Græcus textus ſic habet:* ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων *.i. dudum tranſacto ſabbato, in die illuceſcente in primam ſabbati, ſive cum illuceſceret prima ſabbati. Græcè per enallogen numeri pluralis pro ſingulari dicitur ſabbatorum pro ſabbati. Senſus eſt: Noviſſimè poſt ſabbatum, cùm illuceſceret prima ſabbati vel hebdomadæ dies; vel, eâ qua ſabbatum proximè ſequebatur, nocte luceſcente in primam ſabbati, quæ nobis eſt Dominica; quod eſt diluculo illius diei. Ita exponit S. Auguſtin S. Hieron. ad Hedibiam, S. Ambroſ. & plerique interpp.*

* Cùm adhuc tenebræ eſſent, *id eſt, profundo diluculo, cùm adhuc tenebræ mixtæ eſſent primæ lucis auroræ. Marcus dicit,* orto jam ſole, *id eſt ad ſolis ortum albeſcente cælo, quod fit facilè ſeſquihorâ ante ſolis aſcenſum ſupra horizontem: circa quod tempus Chriſtus reſurrexit, vid. ante mulierum adventum, ut communis eſt ſententia.*

* Angelus enim Domini &c. *Circa Angelorum apparitiones variè & obſcurè ab Euangeliſtis*

revoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur: & veſtimentum ejus ſicut nix. Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. [b] Et [mulieres] dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe * magnus valde.
2 [a] Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: ſcio enim quod IESVM, qui crucifixus eſt, quæritis: non eſt hic: ſurrexit enim ſicut dixit. Venite, & videte locum, ubi poſitus erat Dominus. Et citò euntes dicite diſcipulis ejus quia ſurrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. ecce prædixi vobis. [b] Et introëuntes in monumentum viderunt juvenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expaveſcere: IESVM quæritis Nazarenum, crucifixum: ſurrexit, non

Annus Chriſti 34.

Geſta ad ſepulchrum Domini; Dominicâ Reſurrectionis.

Euangeliſtis narratas, hæc quæ ſequuntur, probabiliora videntur, & maximè conſona verbis & ſenſui Euangeliſtarum, quos aliâ ratione conciliare difficillimum eſt.

1. Mulieres ad ſepulchrum accedentes vident Angelum lapidi extra monumentum revoluto inſidentem, & timidas compellantem ijs verbis, quæ ſolus refert Matthæus. Hic enim primùm eas ad ingreſſum ſepulchri invitat. Ita S. Auguſtinus infrà.

2. Angeli monitu introierunt in ſepulchrum, & à dextris illius viderunt alium Angelum ſedentem, qui vacuum eis monumentum exhibuit, & ſicut prior fecerat, verbis tamen nonnihil differentibus Chriſtum reſurrexiſſe teſtatus eſt. Et de hoc Angelo ſolus refert Marcus, ut exponit Tolet. & alij infrà citati.

3. Cùm mulieres attonitæ adhuc hærerent intra ſepta monumenti, duo alij adſtiterunt Angeli, qui paulò acrius eas ad fidem reſurrectionis Chriſti ſtimularunt. Et hoc ſolus ſcribit Lucas, omiſſis ijs quæ referuntur à Matthæo & Marco. Hunc ordinem ac ſeriem rerum geſtarum hîc habes in contextu. Tres igitur Euangeliſtæ tres diſtinctas referunt Angelorum apparitiones. Ita S. Auguſtin. lib. 3. de conſ. Euang. cap. 24. & ex eq Barradius & Salmeron. Sic ergo ſepulchrum Domini factum fuit glorioſum, & velut Angelorum palatium.

* Magnus valde. *Hunc lapidem tantæ fuiſſe magnitudinis quidam aſſerunt, ut operâ viginti hominum egeret ad ejus motum. Ita Salmeron tom. 11. de apparit. Angelorum tract. 9.*

Geſta ad ſepulchrum, Dominicâ Reſurrectionis.

non eſt hic, ecce locus ubi poſuerunt eum. Sed
ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro, quia præ-
cedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſi-
cut dixit vobis. [c] Et ingreſſæ non invenerunt
corpus Domini IESV. Et factum eſt dum
mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo
viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti.
Cùm timerent autem, & declinarent vultum
in terram dixerunt ad illas: Quid quæritis vi-
ventem cum mortuis? non eſt hîc, ſed ſurrexit:
recordamini qualiter locutus eſt vobis, cùm
adhuc in Galilæa eſſet, dicens: Quia oportet
Filium hominis tradi in manus hominum pec-
catorum, & crucifigi, & die tertia reſurgere.
Et recordatæ ſunt verborum ejus. [a] Et exie- 3
runt cito, [&] [b] fugerunt de monumento
[a] cum timore & gaudio magno, currentes
nuntiare diſcipulis ejus: [b] invaſerat enim eas
tremor & pavor: & nemini quidquam dixe-
runt: timebant enim. [c] Et regreſſæ à monu-
mento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim,
& ceteris omnibus. Erat autem Maria Mag-
dalene, & Ioanna, * & Maria Iacobi & cete-
ræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apo-
ſtolos hæc: Et viſa ſunt ante illos ſicut delira-
mentum, verba iſta: & non crediderunt illis.

* Et Maria Iacobi. *His adde Salomen uxorem Zebedæi, ſuprà in principio capitis à Marco nominatam. Vbi notandum eſt, nullam eſſe in Euangelio Mariam Salome, (quam vulgò ſic vocant) hæc enim ab Euangeliſtis appellatur ſimpliciter Salome, Gr.* Σαλώμη *quæ vox eſt caſus primi. Ita Bellarm. de 7. verbis lib 1. cap. 8. Nominantur autem præ ceteris hæ quatuor mulieres, quæ videntur primariæ fuiſſe, & viris conſtantiores in Chriſto ſequendo, honorando, eique fideliter & ad crucem, & ad ſepulchrum adhærendo.*

CAPUT CCIV.

Geſta ad ſepulchrum, Dominica Reſurrectionis.

CAPUT CCIV.

1. *Maria Magdalene reliquis ſociata, refert Apoſtolis, ac nominatim præcipuis eorum, Petro & Ioanni, corpus Domini ablatum eſſe, atque alia omnia ab Angelis accepta, ut ſuperiori capite ſub finem patet.*
2. *Petrus & Ioannes feſtinatò ad monumentum contendunt, Magdalenâ & ſociabus ſubſequentibus.*

Ioan. 20. 2. Luc. 24. 12.

1 ᵃ* CUcurrit ergo [Maria Magdalene] & venit ad Simonem Petrum, & alium diſcipulum, quem amabat IESVS, & dicit illis: * Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum. Exijt ergò Pe-
2 trus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum: ᶜ& procumbens vidit linteamina ſola poſita, ᵈ&

* Cucurrit ergo &c. Nota, *Ioannem non nominare ceteras mulieres Magdalenæ comites, 1. quia ipſa reliquarum dux, omnibus alijs charitate ferventior & operoſior erat. Forte etiam ante reliquas ad Apoſtolos feſtinaverat; retulitque primùm occurrentibus Petro & Ioanni, non tantùm de corpore Domini ablato, ſed etiam viſos à ſe, auditoſque Angelos reſurrectionis Chriſti nuncios, aliaque ab ijs accepta, ut patet ex S. Luca, in fine præcedentis capitis, ubi dicitur Magdalena, ceteræque comites omnia Apoſtolis undecim renuntiaſſe. 2. Silet de alijs mulieribus Ioannes, quia intendit narrare quem in modum ſoli Mariæ Magdalenæ Chriſtus apud ſepulchrum apparuerit. Denique verbis ſequentibus in plurali numero dictis,* neſcimus ubi poſuerunt eùm, *ſatis innuitur, alias quoque mulieres adfuiſſe. Ianſenius, Franciſcus Lucas & alij.*

* Tulerunt Dominum de monumento. *Ex his verbis patet, mulieres nondum intellexiſſe Reſurrectionis myſterium, neque Angelorum de Chriſti Reſurrectione ſermonem. Vnde non adeò mirum videri debet, Magdalenam perturbato adhuc animo dixiſſe:* Tulerunt Dominum; *cùm & Apoſtoli ipſi licet ſæpiùs à Chriſto de morte ac Reſurrectione ſua præmoniti, non videantur tamen verba Chriſti comprehendiſſe, ut patet etiam in fine hujus capitis, item ſuprà cap. 91. & alibi.*

Gſta ad ſepulchrum, Dominicâ Reſurrectionis.

[a] & ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum. [c] Et abijt ſecum mirans quod factum fuerat. [d] Tunc ergo introivit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit: * nondum enim ſciebant Scripturam, quia oportet eum à mortuis reſurgere. Abjerunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos.

* Nondum enim ſciebant &c. *Nondum capiebãt Apoſtoli Scripturas & Prophetias de Chriſti reſurrectione: neque Chriſtum ipſum de morte ac reſurrectione ſua loquentem intelligebant, ut ſuprà. Aſſueti enim ab eo audire parabolas, credebant potiùs paraboſicum aliquid à Chriſto ſermone illo ſignificari, ut ait S. Auguſtinus.*

Annus Chriſti 34. Geſta ad ſepulchrum, Dominicâ Reſurrectionis.

CAPUT CCV.

1. *Soli Magdalenæ, poſt alteram profectionem, ad ſepulchrum ploranti Chriſtus redivivus apparet.*
   Marc. 16. 9. Ioan. 20. 11.
2. *Rurſus eidem ſeſe exhibet, feminiſque juxtà comitibus, cùm denuò ſimul à ſepulchro revertuntur.*
   Matth. 28. 9.
3. *Milites ſepulchri cuſtodes miranda omnia iſthic viſa auditaque principibus referunt. ab his verò mox pecuniâ corrupti, veritatem celant; corpuſque Domini ſublatum à diſcipulis, mentiuntur atque evulgant.*
   Matth. 28. 11.

[b] SVrgens autem manè, primâ ſabbati, ap- 1
paruit primò Mariæ Magdalenæ, de qua
ejecerat

Nota. *Vt ex Ioanne certum eſt, Magdalenam cum Petro & Ioanne, aut poſt eos rediſſe ad monumentum; (alioqui enim non poſſet ejus conſiſtere narratio, quæ ſequitur de illa) ita ex Matthæo conſtat ſatis, cum Magdalena etiam alias mulieres ad monumentum reverſas; quia alioqui non poſſet conſiſtere Matthæi narratio, quâ dicit Dominum occurriſſe mulieribus à monumento recedentibus, eaſque ſalutaſſe, quia id in primo earum à monumento receſſu non potuit contigiſſe, cùm ex Ioanne & Marco manifeſtum ſit, Dominum primò apparuiſſe Magdalenæ, idque ad monumentum, non autem in via; ſc. cùm ipſa ſola ad ſepulchrum perſiſteret, cæteræque comites abiiſſent. Ita Ianſenius.*

Geſta ad ſepulchrum, Dominicâ Reſurrectionis.

ejecerat ſeptem dæmonia. [d] Maria [enim] ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi fuerat corpus IESV. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; & neſcio ubi poſuerunt eum. Hæc cùm dixiſſet, * converſa eſt retrorſum, & vidit IESUM ſtantem: & non ſciebat quia IESVS eſt. Dicit ei IESVS: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum: & ego eum tollam. Dicit ei IESVS: Maria. Converſa illa, dicit ei: Rabboni. (quod dicitur Magiſter.) Dicit ei IESVS: * Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum,

2 & Deum veſtrum. [b] * Illa vadens: & ecce IESVS occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait illis IESVS: Nolite timere. ite, nuntiate fratribus meis ut eant

3 in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cùm

abijſſent

* Converſa eſt retrorſum, *quia nimirum perceperat aliquem à tergo accedere; vel ex Angelorum vultu, motu & geſtu id animadvertit, ut ait Chryſoſt.*

* Noli me tangere &c. *q. d. Noli ſic pedum meorum amplexui immorari, quaſi non amplius me viſura: nondum enim aſcendi ad Patrem, ſed ſæpiùs me antè abitum & aſcenſum meum videndum exhibebo. Suarez 3. p. diſp. 49. ſect. 3. Ribera. & alij.*

b * Illa vadens: & ecce IESVS occurrit illis. *Ita textus hic à Janſenio, alijſque diſponitur. Senſus autem eſt: Dum Magdalene redit Jeroſolymam unà cum alijs mulieribus, quas in via fuerat aſſecuta; ecce* IESVS occurrit illis. *Obſervandum eſt autem, Matthæum non diſtinguere duas feminarum ad ſepulchrum profectiones. Unde hanc Chriſti apparitionem ita refert atque ſi in primo à ſepulchro reditu contigiſſet, quæ tamen (ut ſuprà) contigit poſt ſecundam profectionem, cùm jam alterâ vice mulieres ſimul à monumento redirent. Janſenius & plures alij.*

Geſta ad ſepulchrum, Dominicâ Reſurrectionis.

abijſſent, ecce * quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit à præſide, * nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti. Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos uſque in hodiernum diem. [a] Venit Maria Magdalené annuntians diſcipulis [b] lugentibus & flentibus: [a] Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. [b] Et illi audientes quia viveret, & viſus eſſet ab ea, non crediderunt.

* Quidam de cuſtodibus &c. *Ex hac Matthæi narratione colligitur, milites ſtationem ſuam ad ſepulchrum non reliquiſſe, ſed territos quidem atque à ſepulchro repulſos, è vicinis tamen latebris, quibus ſe abdiderant, omnia ad monumentum geſta obſervaſſe. Mox Angelorum viſione ceſſante, cùm priùs ſepulchrum viſitaſſent, quidam ex ipſis omnia quæ viderant, principibus ſacerdotum renuntiarunt. A Lapide.*

* Nos ſuadebimus &c. *præſidi ſc. perſuadebimus, ne quaſi neglectæ à vobis cuſtodiæ pœnas exigat.*

CAPUT CCVI.

Annus Christi 34. Geſta in vico Emmaunte, & in via, Dominicâ Reſurrectionis.

1. *Cleophas, aliuſque diſcipulus Emmauntem proficiſcuntur.*
2. *Chriſtus eis ſimulato habitu in via apparet, eoſque in fide confirmat; atque ſolatur.*
3. *Ab iiſdem in panis benedictione agnoſcitur.*

Marc. 16. 12. Luc. 24. 13.

[c] ET ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine * Emmaus. 1

* Emmaus. *Fuit hic locus, & Chriſti Domini tempore, vicus Palæſtinæ; poſt verò in urbem celebrem excrevit, Nicopolim dictam. Hæc Cleophæ patria erat, ut ſcribit S. Hieron. lib. de loc. Heb. Diſtabat autem*

Ieroſolymâ

& ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum eſt, dum fa-
2 bularentur, & ſecum quærerent: & ipſe IESVS appropinquans ibat cum illis, [&] [b] oſtenſus eſt in alia effigie: [c] oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes? Et reſpondens unus, cui nomen * Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt in illa his diebus? Quibus ille
3 dixit: Quæ? Et dixerunt: De IESV Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo & omni populo: & quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes, & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël: & nunc * ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quòd hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, &, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes, ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita

Annus Chriſti 34.
Geſta in vico Emmaunte, & in via, Dominicâ Reſurrectionis.

Ieroſolymâ 60. ſtadijs, quæ conficiunt ſeptem milliaria Italica cum dimidio, id eſt trium horarum iter. Tria enim milliaria Italica non multò amplius ſunt, quàm iter unius horæ. Ita Franc. Lucas, & Toletus.

* Cleophas, *non ille maritus Mariæ, quæ vocatur Maria Cleophæ (ut quidam putant) ſed civis quidam Emmauntinus, nomine Cleophas; quod etiam in epitaphio Paulæ S. Hieronymus ſentit. & ita Franciſcus Lucas. Hunc quidem Cleopham maritum fuiſſe* Mariæ Cleophæ, *& fratrem Ioſephi, ſponſi B. Virginis, ſcribit Helecas Epiſcopus Cæſarauguſtanus in addit. ad Chronicon L. Dextri, ubi ſic ait:* Alphæus, qui & Cleophas, unus de 70. diſcipulis, (ut docet S. Hieronymus) & frater Ioſephi, ſponſi B. Virginis, in caſtello Emmaunte pro Chriſto à Iudæis occiditur. *Et de eodem in Martyrologio Roman. ad 25. Septemb. Sed hic non dicitur frater S. Ioſephi (de quo v. Proœm. in Arb. circa finem) nec uſquam hic Cleophas Martyr, dicitur frater fuiſſe S. Ioſephi, niſi à præfato Helecа Cæſarauguſtano; adeò ut duo diſtincti videantur Cleophæ, ut ſuprà ex Franc. Luca & S. Hieronymo.*

* Super hæc omnia .i. *Præter hæc prædicta omnia.*

Geſta in vico Emmaunte, Dominicâ Reſurrectionis.

* Inclinata eſt jam dies. *Iam duæ forſan poſt meridiem horæ effluxerant: tunc enim dies inclinat in veſperam. Diſcipuli autem hi, mox ut Chriſtus à brevi & modica, ut videtur, cibi ſumptione diſparuit, Ieroſolymam feſtinarunt, ubi iterum in cœnaculo ante ſolis occaſum Chriſtus iiſdem æquè atque Apoſtolis apparuit, ut ſequitur in textu. Apparitio enim illa primùm Apoſtolis facta, contigit Dominicâ adhuc die durante, non poſt ſolis occaſum, ut ex Euangelio patet Ioannis* 20. 19.

ita invenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non invenerunt. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ! Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant. Et appropinquaverunt caſtello quò ibant: & ipſe ſe finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & * inclinata eſt jam dies. Et intravit cum illis. Et factum eſt, dum recumberet cum eis, * accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipſe evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem: & invenerunt * congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Quòd * ſurrexit Dominus

* Accepit panem &c. *Credibile eſt, Chriſtum hîc conſecraſſe Euchariſtiam. Hæc enim panis benedictio non videtur facta initio menſæ, ſed ſub finem, quando non ſolet panis benedici. Rurſum quia ſtatim poſt hanc comeſtionem agnoverunt Chriſtum. Ita Chryſoſt. Theophyl. Auguſtin. Beda, aliíque PP. & Interpp.*

* Congregatos undecim. *Probabile eſt, adhuc Thomam fuiſſe præſentem his diſcipulis advenientibus; aliàs non fuiſſent undecim. S. Aug. l. de conſ. cap.* 25. *S. Thom. Beda, Tolet. & alij.*

* Surrexit Dominus verè. *Videntur Apoſtoli, aliíque præſentes Petri teſtimonio credidiſſe, ut hæc verba ſignificant: magna tamen pars aliorum, qui cum Apoſtolis convenerant, nondum tot, tantiſque teſtibus plenam adhibuit fidem, hoc enim patet ex verbis Marci, quæ hîc ſunt in fine capitis.*

Digitized by Google

minus verè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis: [b] nec illis crediderunt.

CAPUT CCVII.

Annus Chriſti 34.

Geſta in Cœnaculo, Dominicâ Reſurrectionis.

1. *Die Paſchatis jam ad occaſum labente, Apoſtolis in cœnaculo, abſente Thomâ, apparet.*
2. *In fide reſurrectionis haſitantes confirmat.* Luc. 24. 36. Ioan. 20. 19.
3. *Confert eis condonandi peccata ac retinendi poteſtatem.* Ioan. 20. v. 21.
4. *Thomas ne Apoſtolis quidem, oculatis teſtibus fidem habet.* Ioan. 20. 24.

1 [c] DUm autem hæc loquuntur, [&] [d] ſerò eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit IESVS, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis: [e] ego
2 ſum, nolite timere. Conturbati verò, & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes

Nota 1. *hanc eſſe ultimam hujus diei apparitionem; quantum enim ex Euangelio licet colligere. Chriſtus hoc primo Reſurrectionis die, quinquies apparuit; nimirum 1. Mariæ Magdalenæ, Marci ultimo, v. 9. & Ioan. 20. 2. Eidem cum reliquis mulieribus, Matth. 28. 3. Petro ex Luc. ultimo. 4. Diſcipulis duobus Emmauntinis, ex eodem Luca 24. & ultimo. 5. Apoſtolis abſente Thoma. & hanc Ioannes hîc & Lucas deſcribunt. Ita S. Auguſt. lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 25.*

Adverte 2. *eas tantùm apparitiones ab Euangeliſtis narrari, quæ non credentibus factæ ſunt, ut fides eorum, & noſtra in eis confirmaretur. Vnde apparitionis B. Virgini factæ non meminêre: (cui tamen ante omnes Chriſtum apparuiſſe nemo dubitat) 1. quia non fuit ei ad fidei confirmationem facta, quæ conſtantiſſima ſemper in fide permanſit, ſed ad conſolationem & lætitiam, quâ ſuper omnes digna fuit, quæ ſuper omnes diligebat, ac doloris gladium perpeſſa erat. 2. ne teſtimonium ejus alijs ſuſpectum videretur, quia mater erat. Ita Toletus.*

Geſta in Cœnaculo, Dominicâ Reſurrectionis.

pedes, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes, [d] & latus. [e] Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid, quod manducetur. At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis. Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis. [d] Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. * Sicut miſit me Pater,
& ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, * inſuf- 3
flavit: & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: * quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & * quorum retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem

* Sicut miſit me &c. *Vox ſicut, ſignificat ſimilitudinem, potiſſimùm in officio. q. d. Simili poteſtate & auctoritate ſpirituali, quâ Pater me miſit ad regendam Eccleſiam, ego vos mitto, ut ſitis ejus doctores & rectores ſicut ego ſum. Ita Chryſoſt. Cyrillus & alij, qui dicunt Apoſtolos his verbis creatos eſſe Apoſtolos .i. Chriſti vicarios, & orbis doctores, & accepiſſe omnem poteſtatem eccleſiaſticam, ac proinde abſolutè eos hîc creatos eſſe Epiſcopos. Eſt autem in his Chriſti verbis ſimilitudo, non æqualitas.*

* Inſufflavit: & dixit eis &c. *Chriſtus hîc Spiritum ſanctum, quem jam habebant, eis dat ad alium effectum, ſcilicet ad poteſtatem remittendi peccata. Ita Theophylactus, Euthymius, Rupertus.*

Inſufflavit *autem, ut oſtenderet ſe illum eſſe, qui per Spiritum ſanctum, efflat peccatum, & afflat ſuam gratiam. Ita Baſil. Ambroſ. & ex ijs Toletus.*

* Quorum remiſeritis peccata &c. *De fide eſt, hunc locum intelligi de Sacramento Pœnitentiæ, in quo Sacerdos tamquam Iudex remittit peccata. Ita omnes PP. & tota Eccleſia omni tempore intellexit, ut definit Tridentinum ſeſſ. 14. can. 3. Ex eo autem, quòd tribunal hoc à Chriſto hîc erigitur, conſequenter eodem jure divino Confeſſio hîc à Chriſto fidelibus injungitur. Non enim poſſunt remitti peccata, niſi per confeſſionem pœnitentium cognoſcantur. A Lapide & alij paſſim.*

* Quorum retinueritis &c. *Verbum hoc,* retinere, *non ſignificat hîc negationem, ſed poſitivam poteſtatem judicandi, & repellendi aliquem indignum remiſſione, ob ſuam indiſpoſitionem. Vnde Matth. 18. v. 18. dicitur:* Quæcumque alligaveritis ſuper terram &c.

No-

autem unus ex duodecim, qui dicitur Didy-
4 mus, non erat cum eis, quando venit JESVS.
Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Do-
minum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in
manibus ejus fixuram clavorum, & mittam
digitum meum in locum clavorum, & mittam
manum meam in latus ejus, non credam.

Notandum eſt autem; cùm priùs in cœna ultima, Apoſtoli accepiſſent poteſtatem Euchariſtiam conſecrandi, hîc poſt reſurrectionem accipere poteſtatem remittendi peccata. Eandem antè promiſerat eis præfato cap. 18. apud Matth. Ita docent Euthym. Ianſen. & Franciſcus Lucas.

CAPVT CCVIII.

Annus Chriſti 34.
Geſta in Cœnaculo, die 8. poſt Reſurrectionē, id eſt 3. Aprilis.

1. *Iterum poſt octiduum, Apoſtolis omnibus in eodem cœnaculo apparet.*
2. *Thomam incredulum ſanat, roborat, divinaque conſolationis rore perfundit.* Ioan. 20. 26.

1 ET poſt dies octo iterum * erant diſcipuli
ejus intus; & Thomas cum eis. Venit IE-
SVS januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit:
2 Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digi-
tum tuum huc, & vide manus meas, & affer
manum tuam, & mitte in latus meum: & noli
eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Tho-
mas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.
Dixit ei IESVS: Quia vidiſti me Thoma, cre-
didiſti: * beati qui non viderunt, & credide-
runt. Multa quidem & alia ſigna fecit IESVS
in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non
ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta
ſunt, ut credatis, quia IESVS eſt Chriſtus
Filius Dei: & ut credentes vitam habeatis in
nomine ejus.

* Erant diſcipuli ejus intus, *id eſt in eadem illa domo & cœnaculo in monte Sion, de quo ſuprà cap. 173.*

* Beati qui non viderunt &c. *Beatus hîc omninò erat Thomas: Chriſtus tamen ipſo beatiores aſſerit fideles, qui ad prædicationem Apoſtolorum credituri eſſent in ipſum, quem numquam vidiſſent.* Beati *ergo, id eſt, beatiores te ſunt, Deoque gratiores. Sic enim disertè vertit Nonnus:* Illi magis ſunt beatiores.

Annus Chriſti 34.
Geſta ad mare Galilææ, menſe Aprili.

CAPUT CCIX.

1. *Poſt ſeptem Azymorum feſtos dies Apoſtoli Ieroſolymâ ſe in Galilaam conferunt.* Matth. 28. 16.
2. *Chriſtus Petro, ac tribus Apoſtolis, totidemque diſcipulis in mari Galilææ piſcantibus apparet.*
3. *Ioannis monitu, & captura piſcium miraculo manifeſtatur.*
4. *Petrus ad Dominum feſtinans, è navi ſua piſcatoria in mare deſilit; & amoris ignibus ardens, non metuit aquarum gurgites natando tranſmittere. Aqua enim multæ non poſſunt extinguere charitatem. Cant.* 8.

Ioan. 21. 1.

VNdecim autem diſcipuli * abierunt in 1
Galilæam.[d] Poſteà manifeſtavit ſe ite-
rum IESUS diſcipulis ad mare Tiberiadis. 2
Manifeſtavit autem ſic: Erant ſimul Simon
Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, &
Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij
Zebedæi, & alij ex diſcipulis ejus duo. Dicit
eis Simon Petrus: * Vado piſcari. Dicunt ei:
Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim: & illa nocte nihil prendiderunt. Manè autem facto ſtetit IESUS in littore: non tamen cognoverunt diſcipuli quia IESVS eſt. Dixit ergo eis IESVS: Pueri numquid * pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram.

* Abjerunt. *Credibile eſt, Apoſtolos non ultra ſeptem Azymorum dies Ieroſolymis commoratos fuiſſe, ſed peractis feſtis diebus mox in Galilæam abiiſſe. A Lapide aliique Interpp.*

* Vado piſcari. *Hinc patet, piſcationem ſubinde ab Apoſtolis uſurpatam fuiſſe, etiam a reſurrectione, ceſſarunt tamen ab hoc officio poſt Pentecoſtem, quando intenderunt tantummodò animarum piſcationi.*

* Pulmentarium *Gr.* προσφάγιον, *ita dictum, quòd ad panem ſeu cibum vulgarem addatur. Aliàs opſonium dicitur. Ex his verbis notant interpretes Chriſtum hic ignotâ ſpecie, quaſi virum gravem aut mercatorem apparuiſſe, qui piſces ab Apoſtolis emere vellet.*

teram navigij rete: & invenietis. Miſerunt ergo:
3 & jam non valebant illud trahere præ multitudine
dine piſcium. Dixit ergo * diſcipulus ille, quem
diligebat IESVS, Petro: Dominus eſt. Simon
Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica
4 ſuccinxit ſe, (* erat enim nudus) & miſit ſe in
mare. Alij autem diſcipuli navigio venerunt,
(non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis
tis ducentis) trahentes rete piſcium. Vt ergò
deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas,
ſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. Dicit
eis IESVS: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis
didiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit
rete in terram, plenum magnis piſcibus centum
tum quinquaginta tribus. Et cùm tanti eſſent,
non eſt ſciſſum rete. Dicit eis IESVS: Venite,
te, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium
tium interrogare eum: Tu quis es? ſcientes
quia Dominus eſt. Et venit IESVS, & accipit
panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter. Hoc
jam tertiò manifeſtatus eſt IESVS diſcipulis
ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis.

Annus Chriſti 34.
Geſta ad mare Galilææ menſe Aprili.

* Diſcipulus ille, *ſc. S. Ioannes, de quo S. Hieron. libro contra Iovinian. ſic ait:* Solus virgo Virginem agnoſcit, & dicit Petro: Dominus eſt.
* Erat enim nudus. *i. quaſi nudus, ſubuculâ ſolùm & ſubligaculo tectus. Hoc ergo modo cum nollet apparere coram Domino, ſuperinduit tunicam canabinam, eamque fune ad renes conſtrinxit, & ſic veſtitus natatu ad IESVM pervenit, ut docent hîc Nonnus, Chryſoſt. & alij.*

CAPVT CCX.

Annus Chriſti 34.
Geſta ad mare Galilææ menſe Aprili.

1. *Petro plus ceteris diligenti Paſtor optimus oves ſuas paſcendas, totiuſque ovilis, ſive Eccleſiæ ſuæ regimen committit,*
2. *Eundem de morte crucis ſubeunda præmonet.*
3. *Sciſcitanti verò Petro de Ioannis exitu, reſpondet: Quid ad te? tu me ſequere.* Ioan. 21. 15.

1 CVm ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro
IESVS: Simon Ioannis, diligis me plus

 his?

Annus Chriſti 34.
Geſta ad mare Galilææ menſe Aprili.

his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia a-
mo te. Dicit ei: * Paſce agnos meos. Dicit ei
iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi:
Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei:
Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon
Ioannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus,
quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei:
Domine, tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te.
Dixit ei: Paſce oves meas. Amen, amen dico 2
tibi: cùm eſſes junior, cingebas te, & ambu-
labas vbi volebas: cùm autem ſenueris, ex-
tendes manus tuas, & alius te cinget, &
* ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, ſig-
nificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.
Et cùm hoc dixiſſet, dicit ei: * Sequere me.
Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, 3
quem diligebat IESVS, qui & recubuit in
cœna ſuper pectus ejus, & dixit: Domine,
quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cùm vidiſ-
ſet Petrus, dixit ei: Domine, hic autem quid?
Dicit

* Paſce agnos meos. *Prandio peracto Chriſtus hîc omnium ſuorum fidelium gubernationem & regimen committit Petro, impletque quod ante paſſionem promiſerat* Matth. 16. 18. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c. *Priùs tamen de amore ejus inquirit; non quod ignoret qui omnia ſcit, ſed ut eum maculas negationis pœnitentiâ deleviſſe, ceteris manifeſtum faciat; & qualis eſſe debeat qui curam aliorum ſuſcipit, & quomodo eos tractare debeat; quantoque amore ipſe* Dominus *ſuos proſequatur, quos amanti ſe plus ceteris, tradit paſcendos. Ita Toletus.*

Nota *in Scriptura idem eſſe, paſcere, quod regere. Idem quoque ſignificat;* Paſce agnos meos, & Paſce oves meas *.i. Rege tamquam paſtor quoſvis fideles, ac conſequenter etiam apoſtolos meos, quos nunc oves, nunc agnos appellat, tùm propter novitatem vitæ, tùm propter innocentiam, tùm propter ſequelam ipſius* Chriſti, *qui verus eſt Agnus Dei. Vox ergo* oves, *ſignificat Chriſtum eſſe paſtorem fidelium: vox verò* agnos, *ſignificat eum eſſe patrem, imò matrem ſuarum ovium, utpote quas quaſi agnos baptiſmo generavit. Aliqui tamen per agnos intelligunt fideles inferiores; per oves verò magiſtros & Apoſtolos, qui quaſi matres ſunt fidelium. Ita Corn. à Lapide, imò Patres paſſim. Vide Bellarm. l. 1. de Pontificatu cap. 14. & ſeqq.*

* Ducet &c. *ſc. ad mortem crucis, quàm non appetis amore & voluntate naturali & ſenſitivo, licet voluntate rationali eandem flagites. q. d. Tu, ô Petre, mei amore & exemplo quaſi verus paſtor pro ovibus crucifigeris & morieris. Ita Chryſoſt. Theophyl. & alij.*

* Sequere me, *ſcilicet in cura ovium paſtorali, & in ſupplicio & morte crucis.*

Annus Chriſti 34. Geſta ad mare Galilææ menſe Aprili.

-Dicit ei IESVS: * Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Exijt ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei IESVS: Non moritur. ſed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hęc: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.

* Sic eum volo manere. *Triplex hîc eſt lectio, videlicet:* Sic eum volo manere. Si eum volo manere. & Si ſic eum volo manere. *Senſus omnium eſt Sic eum, aut, ſi ſic eum volo manere, non crucifixum, non violentâ morte interfectum, quamvis naturali viâ extinctum; quid ad te? Ita Maldon. & paſſim Interpp.*

CAPUT CCXI.

Annus Chriſti 34. Geſta ad mare Galilææ, menſe Aprili.

1. *Chriſtus ſe redivivum, frequentibus diſcipulis in monte Galilaæ ſolemniùs oſtendit.*
2. *Apoſtolos per orbem univerſum legatos ſuos deſtinat, ut ubicumque gentium baptizent, ac fidem prædicent.*
3. *Præſentem ſuam opem, favorem ac gratiam in rebus arduis promittit.* Matth. 28. 16.

1 Vndecim autem diſcipuli * abierunt in Galilæām, in montem ubi conſtituerat illis IESVS. Et videntes eum adoraverunt:
2 quidam autem dubitaverunt. Et accedens IESVS locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: do-

* Abierunt in Galilæam. *Matthæus dicit diſcipulos abiiſſe in Galilæam &c. Verùm jam in Galilæa erant, & Chriſtus eis ad Mare Galilææ apparuerat, ut dictum eſt præcedenti cap. quia verò Matthæus hujus apparitionis non meminit, ideò ſic loquitur, quaſi jam tantùm in Galilæam intrarent. Abierunt ergo diſcipuli nunc ex una parte Galilææ in aliam, vid. in montem ejus regionis, qui ex Baronij & multorum opinione probabiliter fuit mons Thabor celeberrimus, qualis etiam fuit hæc apparitio, quæ fuit omnibus diſcipulis communis, putaturque illa fuiſſe, de qua 1. ad Cor. 15. v. 6. dicitur:* Viſus eſt plus quàm quingentis fratribus. *Quamvis autem hic tantummodò nominentur undecim Apoſtoli, credibile eſt tamen ab his alios plurimos diſcipulos fuiſſe evocatos.*

Nota *denique probabile omninò eſſe Chriſtum frequentiùs, quàm Evangeliſtæ referant, ſuis in Galilæa apparuiſſe, triginta ſcilicet, aut amplius, dierum ſpatio. Ita Corn. à Lapide.*

Digitized by Google

* Ecce ego vobiſcum ſum. *Loquitur Chriſtus potiſſimùm de præſentia ſpirituali & inviſibili, videlicet, auxilij, favoris & gratiæ ſuæ, ut arduum illud diſſeminandi per orbem terrarum Evangelij, & colligendæ, regendæque Eccleſiæ munus obeant, nihil obſtantibus omnibus mundi periculis & perſecutionibus.*

centes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Et * ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi. 3

Annus Chriſti 34. Ieroſolymæ Geſta in Cœnaculo & in monte Oliveti die 5. Maij, & aſcenſus in cælum.

CAPUT CCXII.

1. *Ad extremum in cœnaculo diſcipulis apparens, eos, quos mundi Doctores, fideique fundatores elegerat, nunc denuò confirmatos cupit; propriæque incredulitatis arguit, ut fidem alijs prædicandam intimiùs commendet.* Marc. 16. 14.

2. *Diſcipulorum mentes Scripturæ ſacræ intelligentiâ illuminat, ac Spiritus ſancti pollicitatione ſolatur.* Luc. 24. 44.

3. *Tandem è monte Oliveti, ſublatis in altum manibus cunctis benedicens, in cælum aſcendit.* Marc. 16. 19. Luc. 24. 50.

* Noviſſimè recumbentibus &c. *Hanc apparitionem recumbentibus Apoſtolis factam, contigiſſe in die aſcenſionis, ac noviſſimam fuiſſe, communis eſt, & antiqua ſententia. Ita enim cenſent Tatianus & Ammon. in Harm. Aug. l. 3. de conſ. Euang. c. 25. Greg. hom. 29. in Euang. Beda Marc. 16. Ber. ſer. 1. de Aſcenſ. Antonin. 1. p. Hiſt. Bonav. utraque Gloſſa, Lyr. Quibus accedunt Tol. in Io. 20. annot. 14. Salmeron to. 11. & Ribera in Io. 21. qui multo probabiliorem docent hanc opinionem. Euthymius tamen & alij exiſtimant Marcum hic loqui de prima apparitione Apoſtolis in die Paſchatis facta. Verùm huic ſententiæ obſtat, quòd Apoſtoli in prima illa apparitione non videantur recubuiſſe ad cœnandum. Si enim tunc cœnabant; quomodo Chriſtus interrogavit eos:* Habetis hic aliquid quod manducetur? *ut in 1. apparitione rogaſſe conſtat Luc. 24. Deinde 1. apparitio accidit durante adhuc die Dominicâ 1. ante ſolis occaſum, quo dies terminabatur. Ita enim ait S. Io. c. 20. v. 19. Atqui non eſt credibile Apoſtolos tunc mœrentes ac ſolicitos, cœnæque & prandij oblitos, ante ſolis occubitum, & ante Chriſti apparitionem, tam maturè ad cœnandum recubuiſſe. Nec verò Lucas aut Ioannes, qui primam hanc apparitionem diligenter deſcribunt, ullam recubitûs mentionem faciunt. Deinique niſi ſic exponamus*

1. * NOviſſimè recumbentibus illis undecim apparuit: & exprobravit incredulitatem 14

Annus Chriſti 34.
Geſta in monte Oliveti die 5. Maij & Aſcenſ. Dom.

tatem eorum & duritiam cordis; quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. c Et dixit ad eos: Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ
2 ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma. * Vos autem teſtes eſtis horum. Et ego

exponamus hunc Marci locum, ſequetur, omnes quatuor Euangeliſtas poſtremam hanc, ſolemnemque apparitionem ſilentio prateriſſe, quod non videtur probabile. Spectat igitur hic Apoſtolorum accubitus ad ultimam Chriſti apparitionem, in ipſa aſcenſionis die, quâ conſtat Chriſtum cum Apoſtolis convivatum, Act. 1. v. 4. Plura vide apud Salmeron. tom. 11. tractat. 34. Huic expoſitioni obſtare videtur exprobratio Apoſtolis facta, quæ non apparet conſentanea huic ultimo & ſolemni diei aſcenſus Chriſti. Verùm huic difficultati 1. reſpondent quidam, non tam Apoſtolos hîc reprehendi, quàm alios quoſdam ex diſcipulis, qui adhuc in fide hæſitabant, ut patet ex præcedentis capitis initio. 2. Reſpondet S. Auguſtinus id feciſſe Chriſtum hoc tempore, quia ad gentes Apoſtoli mittebantur, credituras quæ non viderant; cùm ipſi credere noluiſſent priuſquam vidiſſent. 3. Reſpondet S. Gregorius tunc temporis reprehenſos, ut verba recedentis in corde audientium arctiùs impreſſa remanerent. Denique his addit S. Bonaventura, id factum à Chriſto, ut diſcipuli humilitate creſcerent.

* Vos autem &c. *Hac & ſequentia verba dicta eſſe ipſo aſcenſionis die, patet ex S. Luca Act. 1. v. 8. de præcedentibus vero, quo die a Chriſto prolata fuerint, non ita conſtare poteſt ex Euangelio.*

Geſta in monte Oliveti die 5. Maij & Aſcenſ. Dom.

ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. * Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & [b] poſtquam locutus eſt eis, [c] elevatis manibus ſuis benedixit eis. Et factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum: [b] & ſedet à dextris Dei. [c] Et ipſi adorantes, regreſſi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno: & erant ſemper in templo, laudantes, & benedicentes Deum.* Amen. [b] * Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. [d] Sunt autem & alia multa, quæ fecit IESUS: quæ ſi ſcribantur per ſingula, * nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

3

Io. 21. v. 25.

* Eduxit &c. Nota. *Poſt meridiem, ſumpto prandio in cœnaculo montis Sion, Chriſtus ſuis quidem conſpicuus, ſed alijs inviſibilis (ut cenſent Franc. Lucas, & alij) eduxit undecim Apoſtolos Ieroſolymâ in Bethaniam, poſtremò inviſurus & ſecum deducturus in montem Oliveti hoſpites ſuos chariſſimos Mariam, Martham, Lazarum, alioſque ſuos, qui illic poterant agere: quos omnes ſpectatores gloriæ ſuæ eſſe voluit.* Nota 2. *Diſtabat Ieroſolymis Bethania quindecim ſtadijs: medio verò itinere ſitus erat mons Olivarum. Vnde redeundum fuit Apoſtolis ac diſcipulis Chriſto duce, Bethaniâ in montem, ex quo cælum aſcendit.*

* Amen. *Vox eſt Euangeliſtæ, confirmantis, obſignantiſque ea omnia quæ hactenus ſcripſerat.*

* Illi autem &c. *Hæc Apoſtolorum profectio contigit poſt acceptum in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum.*

* Nec ipſum arbitror &c. *Scriptura ſacra ſequitur vulgarem hominum loquendi modum. Sic enim de re, quæ frequens eſt, & paſſim obvia, dicimus mundum eâ plenum eſſe. Hyperbolica igitur hæc locutio eſt. Ita S. Auguſtin. Cyrill. Euthym. Non abſimili modo dixit S. Ioan. cap. 12. v. 19. locutos fuiſſe Phariſæos:* Ecce mundus totus poſt eum abijt.

FINIS.

Ad Majorem Dei gloriam.

ELENCHVS CAPITVM VITÆ CHRISTI HISTORIÆQVE EUANGELICÆ ORDINE TEMPORIS DISPOSITVS.

PARS PRIMA.

Infantia, adoleſcentia & iuventus Chriſti uſque ad baptiſmum & annum ætatis ejus trigeſimum completum.

	Annus ætatis Chriſti.	Menſis dies.	Locus rei geſtæ.
S. Lucæ in Euangelium præfatio.			
CAP. 1. VErbum æternum, ſeu Filius Dei unigenitus factus eſt homo, ut homines Dei filios efficeret.			
C. 2. Salvatoris Præcurſor Ioannes Baptiſta in civitate Hebron à matre Eliſabeth concipitur.		Septem. 24.	In Hebron.
C. 3. Sexto pòſt menſe Dei Filius in utero Virginis de Spiritu ſancto Nazarethi concipitur.		Martij 25.	In Nazareth.
C. 4. Maria Eliſabetham in Hebron viſitat.			In Hebron.
C. 5. Ioannes Baptiſta ibidem in lucem editur.		Iunij 24.	Ibidem.
C. 6. Chriſti genealogia texitur per Davidem & Salomonem.			
C. 7. S. Joſeph Nazerethi anxius, ab Angelo de virgineo conceptu edocetur.			In Nazareth.
C. 8. Chriſtus mundi Salvator in Bethlehem Juda naſcitur anno mundi 3950.	1.	Decem. 25.	In Bethlehem.

	Annus Chriſti.	Menſis. dies.	
			C. 9. Paſtoribus ab Angelorum choris manifeſtatur.
Ibidem.		Ianua. 1.	C. 10. Octavo ab ortu ſuo die circumciditur.
Ibidem.		Ianua. 6.	C. 11. A Magis in antro Bethlehemitico adoratur.
In templo.		Febr. 2.	C. 12. Offertur in templo, & Simeonis ulnis excipitur.
In Ægypto exilium.			C. 13. Chriſtus infans in Ægyptum exulat. Herodes interim fruſtrà in infantes ſævit innocuos. Poſt ſeptennij exilium
In Nazareth.	8.	Ianua 7.	Nazarethum reducitur.
	12. & ſeqq. annis.		C. 14. Puer duodennis cùm ſe à parentibus ſubduxiſſet, poſt triduum in templo reperitur. Deinceps Mariæ & Ioſepho ſubditus, uſque ad annum ætatis trigeſimum, Nazarethi fabrilem artem exercet.

PARS SECVNDA.

Virilis Chriſti ætas à baptiſmo uſque ad proximum Paſcha, acta vid. per tres menſes ab initio Ianuarij anni 31. Chriſti uſque ad 25. diem Martij.

In Iudææ deſerto.	31.	Ianuar. initio.	C. 15. ANno 15. Tiberij Cæſaris Ioannes Baptiſta in deſerto Iudææ juxta Jordanem incipit prædicare pœnitentiam, & * baptizare, viamque Chriſto Salvatori præparare.
* In Bethabara trans Iordanem.			
Ibidem.			C. 16. Increpat Phariſæos, Sadducæos, & populum undequaque circumfluentem.
Ibidem.			C. 17. Ioannes de Chriſto nondum baptizato teſtimonium perhibet.
Ibidem.	31.	Ianuar. 6.	C. 18. Paulò pôſt Chriſtus à Ioanne baptizatur.
			C. 19. Chriſti genealogia per Nathan & Davidem uſque ad Adam protoplaſtum aſcen-

	Annus Chriſti	Menſis. dies.	
aſcendens, imò uſque ad rerum omnium principium Deum.	31.		
C. 20. Ipſo die baptiſmi ſui Chriſtus in deſertum Judææ, Quarentanæ dictum, ſecedit, & per 40. dierum iejunium ſeſe ad prædicationis ac ſalutis noſtræ opus accingit. * Tentatur à principe dæmoniorum; quo victo fugatoque, Angeli ei debitum honorem & obſequium præſtant.		Ianuar. 6. * Febr. 15.	In deſerto Iudææ proximo, 8. milliaribus Ieroſolymâ diſtante.
C. 21. Ioannes in Bethabara, poſt baptiſmum Chriſti, primum de eo teſtimonium dicit apud Iudæorum legatos.		Mart. 1.	In Bethabara trans Iordanē.
C. 22. Iterùm eum Meſſiam ac Dei filium eſſe teſtatur, cumque digito demonſtrat.		Mart. 2.	Ibidem.
C. 23. Tertium Ioannis de Chriſto teſtimonium: cuius occaſione Andreas & Petrus, alijque tres diſcipuli Chriſtum agnoſcere & ſequi cœperunt. His quinque diſcipulis comitibus * primâ vice in Galilæam proficiſcitur.		Mart. 3. * Mart. 5.	Ibidem.
C. 24. In Cana Galilææ JESVS & Maria unà cum prædictis diſcipulis nuptiis interſunt. Hic primum edit miraculum aquæ copioſæ in vinum converſæ.		Mart. 7.	In Cana Galilææ.

PARS III.

Annus 1. Prædicationis Chriſti à primo Paſchate poſt baptiſmum uſque ad 2. Acta à die 25. Martij anni 31. Chriſti uſque ad finem Martij anni 32.

C. 25. EX urbe Capharnao inſtante Paſchate Chriſtus Ieroſolymam aſcendit, ubi primâ vice vendentes è templo ejicit.		circa 25. Mart.	Ieroſolymæ in templo.
C. 26. Miraculis Chriſti motus Nicodemus Judæorum princeps, noctu ad eum			Ieroſolymæ.

	Annus Chriſti	Menſis	
			accedit, ab eoque arcana fidei diſcit myſteria.
In campeſtribus Iudææ locis. * In Ænnon prope Iordanem.	32.	Aprili & ſeqq. menſibus.	C. 27. Chriſtus in campeſtribus Iudææ locis prædicat, & per diſcipulos baptizat. * Ioannes Baptiſta quartum de Chriſto edit teſtimonium.
In Macheruntæ arce.		Sub finem Decembris.	C. 28. Ioannes quaſi officio ſuo jam defunctus, de ſceleribus arguit Herodem, ab eoque in carcerem Macheruntinum detruditur. Porrò de actis Chriſti à menſe Aprili uſque ad finem Decemb. ſilent Euangeliſtæ.
In Samaria.	32.	Ianuar.	C. 29. Chriſtus Euangelij prædicationem è Iudæa in Galilæam transfert. In itinere per Samariam tranſiens, Samaritanā convertit.
In Cana Galilææ.		Febru. initio.	C. 30. Relictâ Nazareth in Canam divertit, & filium Reguli abſentem ſanat.
Capharnai.			C. 31. Habitationi ſuæ urbem Capharnaum eligit. Inde excurrens per Galilæam prædicat, famaque celebratur.
Ad mare Galilææ.			C. 32. Petrus & Andreas, Iacobus & Joannes, duo piſcatorum paria, ad animarum piſcationem vocantur.
In Synagoga Capharnai.		Martio.	C. 33. Chriſtus in ſynagoga Capharnai, ſabbato energumenum liberat.
Capharnai in domo ſocrûs Simonis.		Eodem menſe.	C. 34. In eadem urbe ſocrum Petri febribus æſtuantem ſanat. Sub veſperam ad domûs januam omnes malè affectos ſanitati reſtituit.
1. per Galilæam circuitio.		Eodem uti & ſequentia.	C. 35. Oratione in deſerto ad Patrem præmiſſâ, primâ vice univerſam peragrat Galilæam.
Ad mare Galilææ.			C. 36. E Petri navicula populi turbam docet. Mox Petrus, Iacobus & Ioannes, capturæ piſcium miraculo commoti, in propoſito Chriſto adhærendi confirmantur.
Ibidem.			C. 37. Tres à Chriſto reprehenduntur, quòd non ut oportuit, eum ſequi vellent.
In mari Galilææ.			C. 38. Dum ad Geraſenos navigat cum diſcipulis, maris tempeſtatem ſedat.
In regione Geraſenorum.			C. 39 In regione Geraſenorum, duobus dæmoniacis

	Annus Chriſti	Menſis.	
moniacis liberatis, legionem dæmonum ſinit in porcos ingredi, unaque in profundum maris demergi.	32.		
C. 40. Capharnai paralyticum, per tectum domûs funibus demiſſum, animo & corpore valere jubet.			Capharnai.
C. 41. Matthæum è telonio, quod prope Capharnaum erat, ad Apoſtolatum vocat.			Ad mare Galilææ & Capharnaum.
C. 42. Capharnai defunctam Iairi filiam vitæ reſtituit, cùm priùs in itinere mulierem curaſſet fluxu ſanguinis laborantem.			Ibidem.
C. 43. Capharnai item duos cæcos illuminat. Dæmonium mutum expellit, mutumque hominem linguæ vinculo eximit.		Martio.	Capharnai.

PARS IV.

Annus 2. Prædicationis Chriſti à 2. Paſchate poſt baptiſmum uſque ad 3. vid. acta à fine Martij anni 32. Chriſti uſque ad finem Martij anni 33.

C. 44. IEroſolymis ad Probaticam piſcinam, paralyticum ſanat Chriſtus. Calumniantes ſabbatum à ſeſe hoc opere violatum, redarguit.		Circa finem Martij.	Ieroſolymæ ad Probaticam.
C. 45. Dum in Galilæam redit, diſcipulos ſuos ſpicas in ſabbato vellentes contra Phariſæorum maledicentiam tutatur.		Sub initium Maij.	In reditu Galilæam verſus.
C. 46. Reverſus in Galilæam, in ſabbato manum aridam ſanat. Phariſæi necem Chriſto machinantur.			In Galilæa.
C. 47. In monte Galilææ, cùm priùs in oratione pernoctaſſet, è magno diſcipulorum numero duodecim legit Apoſtolos. Dein quoſlibet malè affectos tactu ſuo incolumes reddit.		ſub medium Maij.	In monte, qui dictus eſt Chriſti, 3 milliaribus Capharnao diſtante.
C. 48. Sermonem mox in eodem monte habet altiſſimum, quo primùm quidem octo beatita-			

Ibidem totus ſermo Chriſti habitus eſt.	Annus Chriſti 32.	Menſis.	beatitatis exponit formulas, totidem cæteris mortalibus paradoxa.
			C. 49. Exinde diſcipulos ſuos vult eſſe quaſi terræ ſalem, ac mundi lucem. Scribarum verò juſtitiam corrigit; ac Decalogum perfectè obſervandum edocet.
			C. 50 Eodem ſermone alia Euangelica tum præcepta tum perfectioris vitæ monita & conſilia tradit, circa vindictam ſc. mutuum & proximi dilectionem.
			C. 51. Alia item circa orationem, jejunium atque eleëmoſynam documenta.
			C. 52. Docet in cælo theſaurizandum eſſe, nimiaſque temporalium rerum curas amandandas.
			C. 53. Non temerè judicandum eſſe; nec omnia omnibus monita proponenda. Orationem verò in primis neceſſariam eſſe.
			C. 54. Denique anguſtam monet eſſe ad beatitudinem viam; falſos doctores evitandos eſſe; bonis operibus fidem probandam.
In agro Capharnai.			C. 55. Hanc Chriſti ſublimem doctrinam mox miracula ſubſequuntur, variaque in miſeros congeſta beneficia. Hinc leproſum in agro Capharnai ſanat.
Capharnai.			C. 56. In urbem ingreſſus, Centurionis ſervum paralyſi liberat.
Ad civitatem Naïm.			C. 57. Ad portam civitatis Naïm, filium viduæ unicum, à morte, & propè à tumulo in vitam revocat.
In Naïm.		Iunio.	C. 58. His in carcere à Ioanne Baptiſta auditis, binos è diſcipulis ſuis ad Chriſtum legat, ut coràm intelligant, & credant ipſum verè eſſe Meſſiam, opera ejus admiranda intuentes.
Ibidem.			C. 59. Maria Magdalena in oppido Naim, medioque Phariſæorum convivio, lacrymis Chriſti pedes rigans, prima omnium non corporis bonum aut ſanitatem, ſed animæ medicamen flagitat, plenamque peccatorum veniam, pacem ac ſalutem impetrat.

C. 60. Ca-

C. 60. Capharnai dæmoniacum cæcum & mutum curat: Phariſæos deinde hæc opera ſua quaſi magica damnantes refellit.	Annus Chriſti 32.	Menſis. Initio Iulij.	Capharnai.
C. 61. Iudæis ſignum petentibus Ionæ prophetæ ſignum datur. Phariſæis in Spiritum ſanctum blaſphemis prædicit divini judicij ſeveritatem; quodque ob incredulitatem ac ſcelera ſua, tradentur poteſtati ſpirituum immundorum, atque in pejori ſtatu erunt quàm antea cùm nondum ad veram Dei fidem, cognitionemque vocati eſſent. Huius porrò comminationis exemplum adfert his verbis: *Cùm autem immundus ſpiritus &c.*		Iulio.	Capharnai.
C. 62. Mulier medios inter calumniatores exclamans, Chriſti matrem beatam prædicat. Ex adverſo cognati Domini eum quaſi mentis inopem comprehendere & cuſtodire tentant. Inter hos Chriſti Mater conſilij huius ignara, ad filium accedit. Chriſtus horum omnium conſcius, carnalem cognationem ſpirituali poſtponit.			Capharnai.
C. 63 E navicula ad littus maris Galilææ docens, cæleſtis doctrinæ excellentiam octo parabolis declarat. Harum prima eſt ſeminantis, ac ſeminis in varias terræ partes diſſipati parabola.			Ad mare Galilææ dicuntur 8. parabolæ ſequentes.
C. 64. 2. zizaniorum parabola.			
C. 65. 3. parabola ſeminis ſenſim creſcentis.			
C. 66. 4. de grano ſinapis.			
C. 67. 5. parabola fermenti.			
C. 68. Exponitur diſcipulis parabola zizaniorum.			
C. 69. 6. & 7. parabola theſauri & margaritæ.			
C. 70. 8. parabola ſagenæ miſſæ in mare.			
C. 71. Chriſtus in Nazarethana ſynagoga docens, à civibus ſuis contemnitur. Subducit ſe præcipitium ſibi intentantibus ex edito urbis loco.			In Nazarethana ſynagoga.
C. 72. Alterâ vice Galilææ vicos & civitates		Iulio.	2. Galilææ circuitio.

Digitized by Google

	Annus Chriſti	Menſis.	
	32.	Iulio & menſibus ſeqq.	tes circuit prædicans & infirmos curans. Comitantur Apoſtoli & piæ mulieres.
			C. 73. Apoſtolos aliquanto pòſt binos per Galilæam mittit; quos priùs Apoſtolicis monitis ac documentis inſtruit.
			C. 74. Eoſdem contra futuras perſecutiones præmunit atque corroborat. Acta Chriſti & Apoſtolorum, dum per Galilæam euangelizant per 8. circiter menſes, non referunt Euangeliſtæ.
	33.	Decem. & ſeqq.	C. 75. Herodes Ioannem Baptiſtam vitâ functum in Chriſto reſurrexiſſe ſuſpicatur.
In Macheruntina arce, in Peræa Iudææ contermina.			C. 76. Quo pacto Ioannes occiſus fuerit, puellæ vid. ſaltatricis, matriſque ejus adulteræ incitamentis.
In deſerto ad Bethſaidam.		Martio.	C. 77. Apoſtoli ab Euangelij prædicatione redeunt. Chriſtus ſe cum eis in deſertum Bethſaidæ locum confert, tum quietis causâ, tum ut Herodis declinet inſidias.
Ibidem.			C. 78. Subſequitur eum immenſa hominum multitudo, quorum miſeratus eſuriem, quinque virorum millia quinque panibus, & duobus piſcibus abundè reficit. Hinc regium fugiens honorem, orationis ergò, ſolus montem aſcendit.
In mari Galilææ.			C. 79. Noctu ſuper mare ambulat: Petro ceteriſque Apoſtolis tempeſtate jactatis ſubvenit, & mare fluctuans tranquillat. Exinde per terram Geneſareth quaquaverſùm ambulans, contactu fimbriæ morbidos curat.
In Capharnai ſynagoga.			C. 80 Capharnaum rediens, ſynagogam de more ingreditur, ubi de cibo ſpirituali prolixè diſſerit; præcipuum verò de S. Euchariſtia ſermonem habet. Hoc verò complures è diſcipulis offenſi, à tanti Magiſtri ſocietate deſciſcunt.

PARS

PARS V.

Annus tertius Prædicationis Chriſti, à 3. poſt baptiſmum Paſchate uſque ad 4. vid. à fine Martij anni 33. Chriſti uſque ad initium Martij anni 34.

	Annus Chriſti 33.	Menſis.	
C. 81. CVm Chriſtus hoc 3. Paſchate non aſcenderet Ieroſolymam, in Galilæa remanens arguit Phariſæos de ſuperſtitioſa manuum lotione, impiiſque eorum traditionibus &c.	33.	In fine Martij.	In Galilæa.
C. 82. Inde in fines Tyri & Sidonis profectus, Chananææ filiam à dæmonio liberat.		Sub initium Maij.	In finibus Tyri & Sidonis.
C. 83. Hinc ad mare Galilææ reverſus, ſurdum & mutum hominem, plurimoſque alios languidos valetudini reſtituit.			Ad mare Galilææ.
C. 84. Rurſum circa eundem deſerti locum ad Bethſaidam, quatuor virorum millia ſeptem panibus & piſciculis paucis, ad ſatietatem paſcit.			In Galilææ deſerto; circa Bethſaidam.
C. 85. In finibus Magedan, Phariſæis & Sadducæis ſignum de cælo poſtulantibus reſpondet ut priùs, non niſi de terra, ſignum videlicet Ionæ Prophetæ eis oſtendendum.			In finibus Magedan.
C. 86. Dum Bethſaidam navigant, diſcipulos monet, ut à fermento Phariſæorum, hoc eſt, hypocriſi pravaque eorum doctrina cautè ſe cuſtodiant.			In mari Galilææ.
C. 87. Bethſaidæ ſputi collyrio cæco viſum reſtituit.			Bethſaidæ.
C. 88. In partibus Cæſareæ Philippi, Petrus Chriſtum Meſſiam eſſe, Deique filium confitetur. Hinc Chriſtus viciſſim Petrum Eccleſiæ ſuæ petram fundamentalem, caput, & principem à ſe conſtituendum pollicetur.		Sub finem Iulij.	In regione Cæſareæ Philippi.
C. 89. Mortem ſuam ac reſurrectionem Apo-			Ibidem.

Digitized by Google

	Annus Chriſti	Menſis. dies.	
	33.	Iulij 30.	Apoſtolis primâ vice manifeſtè prænunciat. Petrum verò Paſſioni ſuæ adverſantem ſeverè corripit.
Ad Cæſaream Philippi.			C. 90. Omnibus qui ſalvi eſſe cupiunt, crucem ſuam ferendam eſſe docet.
In monte Thabor.		6 Auguſti.	C. 91. In Galilæam reverſus, in monte Thabor coram tribus Apoſtolis , inter orandum transfiguratur.
			C. 92. Cum Apoſtolis de monte deſcendens agit de Eliæ adventu, de quo Apoſtoli, occaſione Eliæ in Transfiguratione conſpecti, Chriſtum interrogaverant.
Circa montem Thabor.		7. Auguſti.	C. 93. Poſtridie Transfigurationis lunaticûm ſanat, atque à dæmonio ſurdo & muto vexatum liberat.
In itinere per Galilæam.			C. 94. Iterum Apoſtolis paſſionem ſuam prænunciat, dum per Galilæam iter facit. Illi verò ſublime hoc redemptionis noſtræ myſterium nondum capientes, mœrore affecti ſunt.
Capharnai.			C. 95. Dum veniſſent Capharnaum , Chriſtus didrachmum ſolui jubet à Petro, primùm pro ſe , deinde pro Petro, ſtatere in ore piſcis invento.
Ibidem.			C. 96. Apoſtoli de primatu inter ſe diſſerentes à Chriſto commonentur, qui eos humilitatem docet, parvulo in medio eorum conſtituto.
Ibidem.			C. 97. Signa facientes in nomine ſuo, prohibendos non eſſe docet.
			C. 98. A parvulorum offenſione cavendum eſſe; ſcandala reſecanda ; neminem vel puſillum atque infimæ ſortis deſpiciendum.
			C. 99. Quâ ratione proximus nos offendens corripiendus ſit. Ligandi & ſolvendi poteſtas diſcipulis omnibus communicatur. Plurium in idem conſpirantium in orando efficacitas.
			C. 100. Ignoſcendum proximo eſſe, parabolâ regis , debitum ingens ſervo condonantis, declaratur. Homini inimici Deus quoque

que

que miſericordiæ fontem obſtruit.

	Annus Christi	Menſis.	
C. 101. Chriſtus civitatem ſuam Capharnaum & Galilæam deſerit, numquam eam, niſi poſt reſurrectionem reviſurus. Ieroſolymam autem ad feſtum Tabernaculorum conſtanti animo aſcendit, mortem poſt ſex menſes ſubiturus.	33.	Menſe Septembri.	Chriſti è Galilæa abitus.
C. 102. A Samaritanis hoſpitio prohibetur. Hinc Iacobi ac Ioannis indignantium, zelum immodicum compeſcit.			Per Samariam iter.
C. 103. Decem leproſi in itinere ſanantur. Ingratitudinis vitium reprehenditur.			
C. 104. Medio feſtorum dierum Scenopegiæ, in templo concionatur, Iudæis fruſtrà eum comprehendere conantibus ante tempus à Deo definitum.		Ineunte Octobri.	Ieroſolymæ in templo.
C. 105. Satellites à principibus miſſi, ut Chriſto manus injicerent, divino ejus ſermone abſterriti revertuntur. Nicodemus verò princeps Chriſto favens, malè à Phariſæis accipitur.			Ibidem.
C. 106. Adulteram malitioſè ad ſe delatam judicio liberat, eidemque peccata condonat.			
C. 107. In templi gazophylacio docens, aſſerit ſe mundi lucem eſſe, principium, ac Dei Filium, ſeſeque in cruce exaltandum. Vnde irritatis Iudæis eique convitiantibus ac lapidare parantibus ſe ſubducit.			In gazophylacio templi.
C. 108. Mox è templo egreſſus hominem mendicum & ab ortu cæcum intuitus, luto oculis ejus adhibito, videndi facultate donat. Quod cùm ſabbato fieret, Phariſæi eum de feſto die violato criminantur.			Circa templum acta.
C. 109. Mendico ob fidem in Chriſtum è ſynagoga ejecto, & quaſi extra fidelium numerum, ove perditâ à Iudæis habito; Chriſtus docet ſe Eccleſiæ oſtium eſſe, verumque & legitimum ac bonum paſtorem.			Ibidem.
C. 110. Subinde ut bonus Paſtor, ovium colligen-			Ieroſolymis.

	Annus Chriſti	Menſis. dies.	
	33.	Iulij 30.	Apoſtolis primâ vice manifeſtè prænunciat. Petrum verò Paſſioni ſuæ adverſantem ſeverè corripit.
Ad Cæſaream Philippi.			C. 90. Omnibus qui ſalvi eſſe cupiunt, crucem ſuam ferendam eſſe docet.
In monte Thabor.		6. Auguſti.	C. 91. In Galilæam reverſus, in monte Thabor coram tribus Apoſtolis, inter orandum transfiguratur.
			C. 92. Cum Apoſtolis de monte deſcendens agit de Eliæ adventu, de quo Apoſtoli, occaſione Eliæ in Transfiguratione conſpecti, Chriſtum interrogaverant.
Circa montem Thabor.		7. Auguſti.	C. 93. Poſtridie Transfigurationis lunaticum ſanat, atque à dæmonio ſurdo & muto vexatum liberat.
In itinere per Galilæam.			C. 94. Iterum Apoſtolis paſſionem ſuam prænunciat, dum per Galilæam iter facit. Illi verò ſublime hoc redemptionis noſtræ myſterium nondum capientes, mœrore affecti ſunt.
Capharnai.			C. 95. Dum veniſſent Capharnaum, Chriſtus didrachmum ſolui jubet à Petro, primùm pro ſe, deinde pro Petro, ſtatere in ore piſcis invento.
Ibidem.			C. 96. Apoſtoli de primatu inter ſe differentes à Chriſto commonentur, qui eos humilitatem docet, parvulo in medio eorum conſtituto.
Ibidem.			C. 97. Signa facientes in nomine ſuo, prohibendos non eſſe docet.
			C. 98. A parvulorum offenſione cavendum eſſe; ſcandala reſecanda; neminem vel puſillum atque infimæ ſortis deſpiciendum.
			C. 99. Quâ ratione proximus nos offendens corripiendus ſit. Ligandi & ſolvendi poteſtas diſcipulis omnibus communicatur. Plurium in idem conſpirantium in orando efficacitas.
			C. 100 Ignoſcendum proximo eſſe, parabolâ regis, debitum ingens ſervo condonantis, declaratur. Homini immiti Deus quoque

que

	Annus Christi	Menſis.	
que miſericordiæ fontem obſtruit.			
C. 101. Chriſtus civitatem ſuam Capharnaum & Galilæam deſerit, numquam eam, niſi poſt reſurrectionem reviſurus. Ieroſolymam autem ad feſtum Tabernaculorum conſtanti animo aſcendit, mortem poſt ſex menſes ſubiturus.	33.	Menſe Septembri.	Chriſti è Galilæa abitus.
C. 102. A Samaritanis hoſpitio prohibetur. Hinc Iacobi ac Ioannis indignantium, zelum immodicum compeſcit.			Per Samariam iter.
C. 103. Decem leproſi in itinere ſanantur. Ingratitudinis vitium reprehenditur.			
C. 104. Medio feſtorum dierum Scenopegiæ, in templo concionatur, Iudæis fruſtrà eum comprehendere conantibus ante tempus à Deo definitum.		Ineunte Octobri.	Ieroſolymæ in templo.
C. 105. Satellites à principibus miſſi, ut Chriſto manus injicerent, divino ejus ſermone abſterriti revertuntur. Nicodemus verò princeps Chriſto favens, malè à Phariſæis accipitur.			Ibidem.
C. 106. Adulteram malitioſè ad ſe delatam judicio liberat, eidemque peccata condonat.			
C. 107. In templi gazophylacio docens, aſſerit ſe mundi lucem eſſe, principium, ac Dei Filium, ſeſeque in cruce exaltandum. Vnde irritatis Iudæis eique convitiantibus ac lapidare parantibus ſe ſubducit.			In gazophylacio templi.
C. 108. Mox è templo egreſſus hominem mendicum & ab ortu cæcum intuitus, luto oculis ejus adhibito, videndi facultate donat. Quod cùm ſabbato fieret, Phariſæi eum de feſto die violato criminantur.			Circa templum acta.
C. 109. Mendico ob fidem in Chriſtum è ſynagoga ejecto, & quaſi extra fidelium numerum, ove perditâ à Iudæis habito; Chriſtus docet ſe Eccleſiæ oſtium eſſe, verumque & legitimum ac bonum paſtorem.			Ibidem.
C. 110. Subinde ut bonus Paſtor, ovium col-			Ieroſolymis.

	Annus Chriſti	Menſis. dies.	
	33.	Iulij 30.	Apoſtolis primâ vice manifeſtè prænunciat. Petrum verò Paſſioni ſuæ adverſantem ſeverè corripit.
Ad Cæſaream Philippi.			C. 90. Omnibus qui ſalvi eſſe cupiunt, crucem ſuam ferendam eſſe docet.
In monte Thabor.		6. Auguſti.	C. 91. In Galilæam reverſus, in monte Thabor coram tribus Apoſtolis, inter orandum transfiguratur.
			C. 92. Cum Apoſtolis de monte deſcendens agit de Eliæ adventu, de quo Apoſtoli, occaſione Eliæ in Transfiguratione conſpecti, Chriſtum interrogaverant.
Circa montem Thabor.		7. Auguſti.	C. 93. Poſtridie Transfigurationis lunaticum ſanat, atque à dæmonio ſurdo & muto vexatum liberat.
In itinere per Galilæam.			C. 94. Iterum Apoſtolis paſſionem ſuam prænunciat, dum per Galilæam iter facit. Illi verò ſublime hoc redemptionis noſtræ myſterium nondum capientes, mœrore affecti ſunt.
Capharnaü.			C. 95. Dum veniſſent Capharnaum, Chriſtus didrachmum ſolui jubet à Petro, primùm pro ſe, deinde pro Petro, ſtatere in ore piſcis invento.
Ibidem.			C. 96. Apoſtoli de primatu inter ſe differentes à Chriſto commonentur, qui eos humilitatem docet, parvulo in medio eorum conſtituto.
Ibidem.			C. 97. Signa facientes in nomine ſuo, prohibendos non eſſe docet.
			C. 98. A parvulorum offenſione cavendum eſſe; ſcandala reſecanda; neminem vel puſillum atque infimæ ſortis deſpiciendum.
			C. 99. Quâ ratione proximus nos offendens corripiendus ſit. Ligandi & ſolvendi poteſtas diſcipulis omnibus communicatur. Plurium in idem conſpirantium in orando efficacitas.
			C. 100. Ignoſcendum proximo eſſe, parabolâ regis, debitum ingens ſervo condonantis, declaratur. Homini inimici Deus quo-

que

Digitized by Google

	Annus Christi	Menſis.	
que miſericordiæ fontem obſtruit.	33.		
C. 101. Chriſtus civitatem ſuam Capharnaum & Galilæam deſerit, numquam eam, niſi poſt reſurrectionem reviſurus. Ieroſolymam autem ad feſtum Tabernaculorum conſtanti animo aſcendit, mortem poſt ſex menſes ſubiturus.		Menſe Septembri.	Chriſti è Galilæa abitus.
C. 102. A Samaritanis hoſpitio prohibetur. Hinc Iacobi ac Ioannis indignantium, zelum immodicum compeſcit.			Per Samariam iter.
C. 103. Decem leproſi in itinere ſanantur. Ingratitudinis vitium reprehenditur.			
C. 104. Medio feſtorum dierum Scenopegiæ, in templo concionatur, Iudæis fruſtrà eum comprehendere conantibus ante tempus à Deo definitum.		Ineunte Octobri.	Ieroſolymæ in templo.
C. 105. Satellites à principibus miſſi, ut Chriſto manus injicerent, divino ejus ſermone abſterriti revertuntur. Nicodemus verò princeps Chriſto favens, malè à Phariſæis accipitur.			Ibidem.
C. 106. Adulteram malitioſè ad ſe delatam judicio liberat, eidemque peccata condonat.			
C. 107. In templi gazophylacio docens, aſſerit ſe mundi lucem eſſe, principium, ac Dei Filium, ſeſeque in cruce exaltandum. Vnde irritatis Iudæis eique convitiantibus ac lapidare parantibus ſe ſubducit.			In gazophylacio templi.
C. 108. Mox è templo egreſſus hominem mendicum & ab ortu cæcum intuitus, luto oculis ejus adhibito, videndi facultate donat. Quod cùm ſabbato fieret, Phariſæi eum de feſto die violato criminantur.			Circa templum acta.
C. 109. Mendico ob fidem in Chriſtum è ſynagoga ejecto, & quaſi extra fidelium numerum, ove perditâ à Iudæis habito; Chriſtus docet ſe Eccleſiæ oſtium eſſe, verumque & legitimum ac bonum paſtorem.			Ibidem.
C. 110. Subinde ut bonus Paſtor, ovium col-			Ieroſolymis.

	Annus Christi	Mensis	
	33.	Octob.	ligendarum cauſâ, diſcipulos ſibi ſept uaginta duos adſciſcit, eoſque monitis ſalutaribus inſtructos per Iudæam mittit, ſicut priùs per Galilæam deſtinârat Apoſtolos.
In Iudæa.			C. 111. Ipſe interim cum Apoſtolis quoque Iudæam peragrans, populum ab ingratitudine deterret, dum ingratis & incredulis Galilææ civitatibus, quibus tanto ſtudio prædicaverat, pervicaciam exprobrat, & exitium interminatur.
Ibidem.			C. 112 Diſcipulos ad ſe revertentes atque exultantes modeſtiæ admonet, & felices prædicat.
			C. 113. A Legiſperito ſubdolè rogatus de ſalutis via, proponit ei dilectionis Dei ac proximi mandatum. Tum quis ſit proximus, Samaritani parabolâ docet.
In Bethania.		Novemb.	C. 114. Hoc profectionis tempore Chriſtus in Bethania à Martha & Magdalena ſtudioſè excipitur. Marthæ porrò ſolicitum miniſterium pio ferventique ſororis otio poſtponit.
Per Iudæam acta.			C. 115 Oratione peractâ, tradit diſcipulis orationis normam. Dehinc parabolâ amici mediâ nocte panem importunè petentis, docet in orando perſeverantiam, quâ cuncta nobis ſalutaria obtineantur.
Ibidem.			C. 116. Ad Phariſæi prandium vocatus, ſuperfluas lotiones, variaque Phariſæorum vitia inſectatur. Vnde iiſdem æquè ac Legiſperitis ſeveriſſimè comminatur.
Ibidem.			C. 117. Poſt hæc populum affluentem commonet à Phariſæ[illegible] hypocriſi cavendum eſſe. Con[illegible] fidei confeſſione commendat[illegible] ac blaſphemi[illegible] in Spiritu[illegible] demna[illegible]
			C. 118. I[illegible] quod fr[illegible]

C. 119. Parabolâ miniſtrorum, dominum revertentem à nuptijs præſtolantium, exponit quo ſtudio ac vigilantiâ extremi judicij dies expectandus. Eccleſiæ Prælatis potiſſimùm præcipit, fidorum ac prudentium diſpenſatorum munia obeunda. Ad quæ omnia perficienda Chriſtus Spiritus ſancti ignem in mundum miſſurus venit, quò crucem ac rerum omnium abdicationem haud averſandam minuſque inſuavem efficiat. — Annus Chriſti 33. — Menſis. Novemb.

C. 120. Maturè & ante vindictam pœnitendum eſſe, tribus docet exemplis.

C. 121. In ſynagoga quapiam Iudææ, mulierem contractam ſabbato curat.

C. 122. In itinere Ieroſolymæ, docet per anguſtam portam ad regnum cæleſte ingrediendum eſſe. Gentiles Iudæis repulſis ad hoc evocandos. Ingratæ vel maximè Ieroſolymæ ſolitudinem prænunciat. — In itinere Ieroſolymam.

C. 123. Sabbato in convivio principis Phariſæorum hydropicum valetudini reſtituit. Invitantes æquè atque invitatos, & hos quidem ad humilitatem, illos verò ad miſericordiam erga egenos, exhortatur. Parabolâ demum de vocatis ad cœnam, oſtendit, impedimenta omnia ſalutis æternæ removenda. — Decemb.

C. 124. Turbam populi concurſantem docet, neceſſe eſſe omnibus ſe rebus abdicare, etiam vitæ propriæ amore ad Euangelicam perfectæ virtutis turrim extruendam. Parabolis inſuper bellici ducis, ac ſalis indicat, providè agendum eſſe in vitæ ſtatu deligendo, & tum propriæ ſalutis, tum alienæ quoque cura ſuſcipienda.

C. 125. Reverſus Ieroſolymam ad feſtum Encæniorū (quod celebrabatur menſe Decembri) rogatus à Iudæis, ut clarè ediceret an ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit opera ſua idipſum demonſtrare, ſed ipſos non crede- — Ieroſolymæ in templo.

 re,

	Annus Chriſti 33. & 34.	Menſis.	
			re, eò quòd ex ovibus ſuis non eſſent. Cumque ſe ac Patrem unum eſſe Deum palàm fateretur, illique ex adverſo in Deum ipſum manus ac lapides intentarent, Chriſtus iræ perfidiæque illorum cedens, abijt è templo, atque in Bethabaram trans Jordanem profectus, ibidem commoratus eſt ab hoc menſe Decembri uſque ad Martium ſequentis anni.
In Bethabara trans Iordanem.			C. 126. Cùm magna hominum multitudo Chriſtum ſecuta eſſet in Bethabaram, Phariſæis obloquentibus quòd etiam cum publicanis & peccatoribus convivaretur, tribus parabolis reſpondet; oſtenditque gratam eſſe Deo atque Angelis peccatorum converſionem. Eſt autem prima ac ſecunda parabola de ove & drachma perditis atque inventis.
In Bethabara acta tribus menſibus ſequentibus.	34.	Decemb.	C. 127. Tertia de filio prodigo parabola eſt: quâ velut in ſpeculo exhibetur, acceptam jucundamque eſſe Deo ac cælitibus, peccatorum per pœnitentiam ad Patrem ſuum redeuntium converſionem. Vnde ſequitur, iniquè Phariſæos Chriſtum carpere, quòd publicanos ac peccatores benignè reciperet, quin etiam ſtudiosè conquireret.
Ibidem.			C. 128. Exhortatur Chriſtus ad eleëmoſynam propoſitâ diſpenſatoris iniqui parabolâ.
			C. 129. In eundem finem potiſſimùm enarrat Lazari ac divitis Epulonis hiſtoriam; cui tamen quædã parabolica adjuncta ſunt.
			C. 130. Declarat matrimonij vinculum indiſſolubile eſſe; ac cælibatum matrimonio præſtare.
		Circa Ianuar.	C. 131. Scandalum vitandum eſſe, diſcipulos monet; proximo à peccato reſipiſcenti ignoſcendum &c.
			C. 132. Adventum ſuum ad judicium repentinum fore, atque inexpectatum; tunc verò longè

Annus Chriſti 34. Menſis.

longè diſparem futuram hominum conditionem ab huius vitæ ſtatu.

C. 133. Parabolâ de judice iniquo, & vidua eum exorante aſtruit, in oratione ad Deum perſeverandum eſſe.

Febr.

C. 134. Parabolâ Phariſæi & publicani in templo orantium, humilem orationem Deo placere demonſtrat.

C. 135. Parvulis manus imponens docet, regnum cæleſte humiliũ eſſe ac parvulorũ.

C. 136. Adoleſcens dives opibus ſuis ſeſe abdicare detrectat. Vnde infert Chriſtus, difficile eſſe, divitiarũ cupidos ſalutẽ conſequi.

C. 137. Apoſtolis cuncta relinquentibus, Chriſtoque adhærentibus ſedes judiciarias promittit; ceteris verò centuplum bonorum temporalium, quæ Dei cauſâ contempſerint.

C. 138. Parabolam ſubdit de operarijs in vineam conductis, quorum noviſſimè vocati primis præferuntur. In hunc modum gentiles in Chriſtum credentes, licet poſtremùm vocati ſint, Iudæis tamen primùm vocatis, in die judicij anteponentur.

PARS VI.

Annus 4. Prædicationis Chriſti continens acta ejus à Lazari ſuſcitatione, paſſionem, mortem & reſurrectionem uſque ad aſcenſum ejus in cælum.

Martio. In Bethania.

C. 139. Lazarus quatriduò mortuus ſepultuſque, à morte & monumento ad vitam revocatur.

Ieroſolymæ.

C. 140 Pontifices ac Phariſæi concilium cogunt, & conſpirant in necem Chriſti, qui ſe in civitatem Ephrem, ſeptem horis Ieroſolymâ diſſitam ſubducit.

C. 141. Chri-

	Annus Christi	Menſis, dies.	
In itinere ex Ephrem Ieroſolymam.	34.		C. 141. Chriſtus ſub Paſcha poſtremùm Ieroſolymam aſcendit, iterumque mortem ſibi inſtantem Apoſtolis prædicit.
			C. 142. Iacobus & Ioannes primas ſedes ambiunt.
			C. 143. Chriſtus in itinere ante ingreſſum Iericho cæcum illuminat.
In Iericho.			C. 144. In Iericho Zachæum è ſycomoro vocat.
			C. 145. In ædibus Zachæi de decem minis parabolam profert.
			C. 146. Cæcos duos vociferantes poſt egreſſum è Jericho illuminat.
Bethaniæ.		Martij 18. * Martij 19.	C. 147. Feriâ 6. ante Dominicam Palmarum venit Bethaniam, ubi * poſtero ſabbati die, in domo Simonis Leproſi, cum Lazaro alijſque cœnanti miniſtrat Martha; Magdalena verò alterâ jam vice pedibus Chriſti unctis, unguentum nardinum in caput ejus effundit; Iuda interim quaſi ob prodigentiam hanc indignante, alijſque Apoſtolis hujus exemplo commotis atque obloquentibus; qui à Chriſto reprimuntur.
In itinere Ieroſolymam.		Martij 20.	C. 148. Poſtridie Dominicâ die. Chriſtus aſello vectus, ſolemni pompâ Ieroſolymam ingreditur.
In monte Oliveti.			C. 149. Ex monte Oliveti civitatem intuens, ſuper infidelem, ingratum & pervicacem populum lacrymatur.
Ieroſolymæ in templo.			C. 150. In templo cæcos & claudos ſanos & valentes efficit. Gentiles incipiunt Chriſtum agnoſcere. Hinc Chriſtus paſſionis ſuæ inſtantis timore, ſemetipſum commovet; miſſaque de cælo voce manifeſtatur. Ad veſperam urbe egreſſus cum Apoſtolis in Bethania diverſatur.
In monte Oliveti.		Martij 21.	C. 151. Per triduum è templo redit in Bethaniam. Diebus verò ſingulis uſque ad paſſionis diem in monte Oliveti orando noctem tranſigit. Poſtridie ſeu feriâ 2. ab hac Dominica, in urbem & templum regrediens

Digitized by Google

grediens ficulneæ maledicit. Quo die alterâ jam vice è templi atrio vendentes ejicit.

C. 152. Feria 3. Ieroſolymam è Bethania redeunt. In via mirantur Apoſtoli ficulneam verbo Chriſti arefactam; quâ occaſione Chriſtus exponit eis fidei, fiduciæ atque orationis potentiam.

C. 153. Hac die poſtremâ, quâ in templo concionatus eſt Chriſtus, prolixum habuit ſermonem cum principibus, Scribis, Phariſæis & Sadducæis. Et primùm quidem de baptiſmate Joannis, an à Deo eſſet, propoſuit quæſtionem: cui nemo reſpondere auſus eſt.

C. 154. Inde ſubſecuta eſt parabola duorum filiorum diſſimiliter patri obedientium.

C. 155. Parabola de vinitoribus homicidis, quâ prophetarum cædes à Iudæis factæ denotantur.

C. 156. Parabola de nuptijs regiis, ad quas invitati noluerunt venire.

C. 157. Sub hæc, odio flagrantes Phariſæi conſilium ineunt cum Herodianis, captioſis quæſtionibus Chriſtum illaqueandi. Primùm ergo malignè quærunt an tributum Cæſari pendendum.

C. 158. Mox Sadducæi de reſurrectione mortuorum, & quid de ſeptem fratribus, unius uxoris viris, poſt hanc vitam futurum ſit, quæſtionem inſtituunt.

C. 159. Succedit his Legis doctor, de ſummo & primo omnium legis mandato inquirés.

C. 160. Denique cùm fruſtrà verbis ſuis captare Dei Filium & Verbũ Patris molirentur; ſciſcitatur ab eis Chriſtus, cujus filius ſit Meſſias. Aliud verò inferens ex eorum reſponſo, tacitè, modeſtéque ſe verum Meſſiam, Deique filium eſſe oſtendit.

C. 161. Scribarum & Phariſæorum doctrinam ſequendam eſſe, non vitia & mores depravatos.

Annus Christi	Menſis. dies.	
34.		In templo.
	Martij 22.	In itinere & reditu ad templum.
		In templo acta uſque ad caput 164.

Annus Chriſti	Menſis Martij	
34.	22.	

C. 162. Iterum Chriſtus eorumdem perverſitatem, ſtultitiam, hypocriſim redarguit, graviterque ijs comminatur.

C. 163. Viduam egenam duo tantummodò minuta in gazophylacium mittentem, grandiores nummos offerentibus præfert.

In itinere & reditu in Bethaniam.

C. 164. Apoſtolis in reditu Bethaniam, auguſtam templi extructionem exhibentibus everſionem ejus prædicit.

In monte Oliveti acta uſque ad caput 172.

C. 165. Hàc eâdem feriâ 3. ad veſperam Chriſtus concionando (ut videtur) fatigatus ſedit cum duodecim Apoſtolis in monte Olivarum, longumque iterum de futura Iudæorum clade, de ſecundo ſuo ad judicium adventu, rebuſque noviſſimis ſermonem inſtituit: nam & Ieroſolyma ex hoc monte ab Imperatore Tito circumvallari & expugnari cœpta eſt; & in mundi excidio ſupra eundem Oliveti montem Chriſtus vivos & mortuos judicaturus apparebit. Igitur in hoc magno divinoque ad ſolos Apoſtolos ſermone primùm exponit ſigna prævia & communia excidio urbis & orbis univerſi.

C. 166. 2. Adfert Chriſtus ſigna propria excidij Ieroſolymæ. Monet pſeudoprophetis non habendam fidem; &c.

C. 167. 3. Signa propria excidij orbis & extremi judicij prænunciat.

C. 168. Hinc infert in hac vita vigilandum eſſe aſſiduè. Quod vel maximè à viris Apoſtolicis, & Eccleſiæ Prælatis requirit: ne dies ille, inertiæ vitijſque deditis obveniat, & quaſi dormitantes atque imparatos obruat.

C. 169. Hanc eandem vigilantiam adeò neceſſariam parabolâ decem Virginum confirmat.

C. 170. Mox ſeveram Deo rationem reddendam, parabolâ de talentis oſtendit.

C. 171. Denique adventum ſuum glorioſum,

&

& extremi judicij formam ob oculos ponit. Addit poſtremùm ſe poſt biduum in die Paſchatis, morte crucis conſummandũ.

Annus Christi	Menſis. dies.	
34.		

C. 172. Chriſtus feriâ 4. ſequenti, & feriâ 5. in Bethania manet, neque ultrà ad docendum in templum aſcendit. * Porrò feriâ 4. Principes in atrio Pontificis de Chriſto interimendo concilium cogunt. In hoc Iudas de Magiſtro ſuo tradendo argenteis triginta cum eis pactus eſt. — Martij 23. — * Ieroſolymæ.

C. 173. Feriâ 5. Chriſtus Petrum & Ioannem è Bethania in urbem mittit, ut agnum, panes azymos & cœnaculum parent. Inde paratis omnibus, poſt ſolis occaſum cum 12. Apoſtolis Paſcha celebrat. — Martij 24. — Ieroſolymæ.

C. 174. Poſt agni cœnam pedes Apoſtolorum lavat. Tum, ut ſe rerum omnium conſcium intelligant; & ne invitum pati exiſtiment, ſe ab uno illorum prodendum aſſerit. — Ieroſolymæ in Cœnaculo acta uſque ad caput 183.

C. 175. Poſt hæc aperit deſiderium ſuum ardentiſſimum hanc cœnam & Paſcha ultimum cum eis celebrandi. Dein ſummi æternique amoris ſymbolum S. Euchariſtiam inſtituit. Quo ſacro epulo peracto, denuò proditorem, ejuſdem menſæ participem inter eos eſſe affirmat.

C. 176. Mox ubi tanti ſceleris machinatorem Ioanni deſignaverat, Iudas è cœnaculo, & Apoſtolorum collegio, obſtinatâ mente diſcedit.

C. 177. Apoſtoli reliqui ſibi benè conſcij, & Chriſto fideles, quidam etiam cognatione juncti (fortè ut quiſque probaret ſe longè à proditionis crimine abeſſe) rurſùm de primis in regno Chriſti ſedibus contendunt: rurſumque à Magiſtro ambitio eorum compeſcitur.

C. 178. Chriſtus exponit eis novum dilectionis mandatum. Subinde Petrum nimiùm ſibi fidentem, de trina ſua ante gallicinium

 negatione

Annus Chriſti	Menſis. dies.	
34.		negatione præmonet. Omnibus verò mala jam impendentia & perſecutiones proximas prædicit.
	Martij 24.	C. 179. Sermonis conſolatorij poſt cœnam ad Apoſtolos habiti pars. 1.
		C. 180. Ejuſdem ſermonis pars 2.
		C. 181. Item pars 3.
		C. 182. Item pars 4. quæ eſt oratio Chriſti ad Patrem.

Paſſionis Domini noſtri IESV Chriſti ſeries & epitome.

In monte Oliveti.

C. 183. HYmno gratiarum actionis dicto, Chriſtus eâdem nocte cum ſuis pro more ad montem Oliveti vadit orationis causâ. In itinere Apoſtolis ſcandalum, Petro quoque jam alterâ vice ternam negationem prædicit. Ante orationem tribus Apoſtolis mortalem animi ſui angorem aperit. Inde ter Patrem in horto deprecatur. Denique in agoniam redacto, & ſudore ſanguineo mananti apparet Angelus, confortans eum.

Ibidem.

C. 184. Hoſtibus obviàm pergit, & oſculo Iudæ incaſſum proditur. nam Chriſtus cæcitate percuſſos militum ac ſervorum greges, unà cum ductore Iuda, verbo proſternit; mox tamen cùm placita ei patiendi hora adeſſet, datâ furentibus turbis poteſtate, comprehendi ſe atque vinciri permittit.

Ieroſolymæ in ędibus Annæ & Caiphę.

C. 185. Vinctus Dominus primùm ad Annam, deinde ad Caipham per noctis tenebras trahitur & raptatur. A Caipha ſummo ſacerdote interrogatur, & à vili ſervo alapâ facies ejus divina violatur.

Apud Caipham acta.

C. 186. Poſt falſa teſtimonia ab omni concilio nequicquam ficta & conquiſita, pontifici Dei nomen uſurpanti, ſe Chriſtum Dei filium eſſe non inficiatur. Hinc tanquam

quam blaſphemus, mortis reus conclamatur, varijſque & indignis modis per noctem reliquam illuditur, conſpuitur, colaphiſque & palmis probroſè contunditur.

C. 187. Interim à Petro tertiò abnegatur & abjuratur. Nec profuit iteratus galli cantus; ſed Chriſti oculo illuſtratus Petrus de petra cordis emollita, lacrymarum rivos fūdit, oculiſque manantibus, relicto impiorum cœtu, foras egreditur.

C. 188. Poſtridie primâ luce Chriſtus iterùm ab univerſo concilio condemnatur, atque à principibus, turbaque ſeniorum ad Pilatum Romanorum Præſidem deducitur.

C. 189. Iudas conſcientiâ ſcelerum victus, argenteis unà cum ſpe ſalutis in templum abjectis laqueo vitam infelicem claudit.

C. 190. Chriſtus in prætorio exiſtens, à Principibus ad fores remanentibus, apud Pilatum accuſatur. Hinc à Præſide intùs examinatus, reſpondet, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo.

C. 191. Mox ad Iudæos reductus, innocens à Præſide pronunciatur. Igitur cum Principibus agit Præſes de Chriſto ex more gentis in Paſchate dimittendo. Illi verò Barabbam, hominem ſeditioſum, latronem & homicidam Chriſto præferunt.

C. 192. Inde aliud tentat Pilatus, Dominumque à ſe àd Herodis tribunal amandat. Hic porrò contemptum & illuſum, non ut reum quidem, ſed fatui inſtar, albâ veſte indutum ad Præſidem remittit.

C. 193. Vniverſa populi turba à Principibus concitata, electione factâ, Barabbam mavult quàm Chriſtum vitâ donari. Ex adverſo Pilati uxor juſtitiam ejus teſtatur. Victus tamen Iudæorum rabie miſerandus Præſes, Chriſtum flagris cædi imperat, ut vel ſic toto corpore ſauciatum, miſeri-

Annus Chriſti	Menſis, dies.	
34.	Martij 25.	
	Martij 25.	
		In prætorio apud Pilatum.
		In palatio Herodis.
		In prætorio.

	Annus Christi	Menſis. dies.	
			ſericordiâ moti libertate donent.
Ibidem.	34.	Martij 25.	C. 194. Milites interim flagellatione tam dirâ non contenti, Dominum cæli & terræ veſte coccineâ, coronâ ſpineâ, ſceptro arundineo, ſputis & verberibus, alijſque indignis modis & cruciant, & ludificantur.
Ibidem.			C. 195. Hoc habitu quaſi perſonatus rex & ambitionis reus, ex loco edito à Pilato exhibetur. Neque his omnibus cruciatibus & probris mitiores facti Iudæi, crucifigendum poſtulant. Quocirca Præſes IESVM iterum in prætorio examinatum, ac ſine noxa deprehenſum fruſtrà liberare contendens, tandem populi amentis atque implacabilis odio & furori ceſſit, Dominumque innocentem cruci adjudicatum, Iudæorum & militum immanium tradidit poteſtati.
In itinere ad montem Calvariæ.			C. 196. Chriſtus itaque latronum ſocius crucem ſibi impoſitam, & peccatis noſtris debitam bajulat. Porrò dum ſuccumbit oneri, lignum omnium pretioſiſſimum Simonis Cyrenæi humeris imponitur. Mulierum ſubinde plangentium turba à Chriſto compellatur.
In monte Calvariæ.			C. 197. Vt tandem in Calvariæ montem perventum eſt, poſt vinum myrrhâ & felle miſtum primoribus labris deguſtatum, cruci affigitur Agnus Dei innocens & ſalutis noſtræ victima. Titulus capiti ejus ſuperponitur: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.
Ibidem acta uſque ad caput 202.			C. 198. Ad extremum poſt veſtimentorum inter quatuor milites diviſionem; poſt illuſiones, convicia & maledicta; poſt ſeptem verba, amorem & dolorem ſummum teſtantia; cælo jam per tres horas tenebris obducto, & tantum facinus lugente, Chriſtus mundi Salvator Deique Filius extremum in cruce ſpiritum voce validâ & clamoſâ Patri commendatum reddidit, magnum-

Annus Christi	Menſis. dies.	
34.	Martij 25.	

magnumq́ue ſalutis noſtræ opus conſummavit.

C. 199. Poſt cæli luctum mox terra quoque commota & tremefacta mortem Domini ſentire viſa eſt: nam & petræ ſciſſæ & monumenta aperta ſunt, & velo templi celeberrimo divinitus per medium dirupto, arcana atque intima ſacratiſſimæ ædis adyta patuêre. Hinc ſubſecuta eſt Centurionis ad Chriſti fidem converſio, populiq́ue cruci adſtantis luctus & pœnitentia.

C. 200. Luctabantur adhuc in crucibus ſuis cum morte latrones. Vnde ob ſabbati inſtantis ſanctimoniam, ad necem eis accelerandam, amborum crura confracta ſunt; Chriſti verò jam extincti latus lanceâ militis apertum ſanguine & aquâ manavit.

C. 201. Sub veſperam ſacrum Chriſti corpus duorum illuſtrium virorum miniſterio de cruce depoſitum, copioſeq́ue aromatibus delibutum, & mundâ ſindone involutum in monumento novo honorificè ſepelitur. Maria Magdalena & piæ mulieres funeris ſitum obſervant; atque ante ſolis occaſum ſacro corpori iterum ungendo aromata coëmunt.

C. 202. Poſtero Sabbati die, principes ſacerdotum concilio habito, militari cuſtodiâ ſepulchrum Domini, lapidemq́ue ei impoſitum ſigillo muniunt. Mulieres rurſum poſt veſperam & ſabbatum tranſactum, unguenta comparant. — *Martij 26. Ieroſolymæ.*

De glorioſa Chriſti Domini Reſurrectione, & deinceps actis uſque ad aſcenſum in cœlum.

C. 203. MAria Magdalena ſociæq́ue mulieres unguenta portantes primâ luce Dominicæ, monumentum adeunt: acceptoq́ue à varijs Angelis reſurrectionis — *Martij 27. Ad ſepulchrum Domini.*

	Annus Chriſti	Menſis. dies.	
	34		rectionis Chriſti nuncio, pavore & gaudio commotæ in urbem redeunt, viſáque omnia & audita Apoſtolis referunt.
Ieroſolymæ.		Martij. 27.	C. 204. Magdalena cùm animo eſſet perturbato, & nondum caperet reſurrectionis myſterium, Apoſtolis inter cetera refert corpus Domini ablatum eſſe. Hinc Petrus & Ioannes feſtinatò ad monumentum pergunt, Magdalenâ & ſociabus ſubſequentibus.
Ad ſepulchrum.			C. 205. Ceteris omnibus in urbem remeantibus, Magdalenæ ſoli, monumento adhærenti, neque à lacrymis temperanti Chriſtus primùm redivivus apparet. Nec multò pòſt rurſus eidem, reliquiſque feminis in itinere conjunctis ſe videndum exhibet.
Ieroſolymæ.			Intereà milites aliqui de ſepulchri cuſtodia, principibus nunciant Chriſtum reſurrexiſſe, ſepulchrum vacuum, terræmotu facto Angelos apparuiſſe &c. Principes pecuniâ milites corrumpunt, hac lege, ut in vulgus ſpargant, Chriſti corpus furto à diſcipulis ſublatum eſſe. quod illi faciunt, populo imponentes.
In via Emmauntem, & in ipſo loco.			C. 206. Chriſtus ſimulato habitu diſcipulis duobus Emmauntinis in via apparet. Hi menſæ accumbentes cum Domino, in panis fractione eùm agnoſcunt.
Ieroſolymæ in Cœnaculo.			C. 207. Apoſtolis denique, abſente Thomâ, in cœnaculo apparet, & in fide hæſitantes confirmat. Confert eis peccata ſeu condonandi, ſeu retinendi poteſtatem. Thomas per octiduum hæret dubius, nec tot oculatis teſtibus fidem habet.
Ibidem.		Aprilis 3.	C. 208. Octavo pòſt die rurſum Apoſtolis nullo abſente, ſe videndum in eodem loco exhibet. Thomam incredulum, latere aperto, & plagarum cicatricibus oſtenſis, ab infidelitate ſanat, roborat & conſolatur.
Ad mare Galilææ.			C. 209. Poſt Paſchatis & ſeptem Azymorum dies peractos, tertiâ jam vice Petro,

& ſex

Digitized by Google

	Annus Christi	Menſis, dies.	
& ſex alijs diſcipulis in mari Galilææ piſcantibus apparet. Ioannis monitu & capturæ piſcium miraculo agnoſcitur. Hinc Petrus ad Dominum feſtinans, protinus de navigio in mare deſilit: nec jam metuit voracibus undis corpus obijcere, qui priùs ad ancillæ vocem tremens vacillaverat.	34.		
C. 210. Chriſtus Petrum plus ceteris diligentem, ſupremum ovilis ſui, ſive Eccleſiæ univerſæ creat Paſtorem: cumque de morte crucis ſubeunda præmonet.			Ibidem.
C. 211. Poſt hæc iterum ſe frequentibus diſcipulis in monte Galilææ viſendum offert. Apoſtolos per orbem univerſum legatos ſuos deſtinat, ut ubicumque gentium prædicent atque baptizent.			In monte Galilææ.
C. 212. Noviſſimè ante abitum ſuum, diſcipulis in cœnaculo Ieroſolymitano prandentibus apparet, eoſque jam mundi doctores fideique fundatores conſtitutos de propria incredulitate redarguit, ut fidem alijs prædicandam intimiùs commendet. Tandem verò Spiritu ſancto eis denuò promiſſo, Bethaniâ viſitatâ, è monte Oliveti, ſublatis manibus, cunctis benedicens, in cælum aſcendit, quadrageſimâ poſt reſurrectionem die.		5. Maij.	In Cœnaculo, & in monte Oliveti.

	Annus Christi	Menſis. dies.	
	34.		rectionis Chriſti nuncio, pavore & gaudio commotæ in urbem redeunt, viſaque omnia & audita Apoſtolis referunt.
Ieroſolymæ.		Martij. 27.	C. 204. Magdalena cùm animo eſſet perturbato, & nondum caperet reſurrectionis myſterium, Apoſtolis inter cetera refert corpus Domini ablatum eſſe. Hinc Petrus & Ioannes feſtinatò ad monumentum pergunt, Magdalenâ & ſociabus ſubſequentibus.
Ad ſepulchrum.			C. 205. Ceteris omnibus in urbem remeantibus, Magdalenæ ſoli, monumento adhærenti, neque à lacrymis temperanti Chriſtus primùm redivivus apparet. Nec multò pòſt rurſus eidem, reliquiſque feminis in itinere conjunctis ſe videndum exhibet.
Ieroſolymæ.			Intereà milites aliqui de ſepulchri cuſtodia, principibus nunciant Chriſtum reſurrexiſſe, ſepulchrum vacuum, terræmotu facto Angelos apparuiſſe &c. Principes pecuniâ milites corrumpunt, hac lege, ut in vulgus ſpargant, Chriſti corpus furto à diſcipulis ſublatum eſſe. quod illi faciunt, populo imponentes.
In via Emmauntem, & in ipſo loco.			C. 206. Chriſtus ſimulato habitu diſcipulis duobus Emmauntinis in via apparet. Hi menſæ accumbentes cum Domino, in panis fractione eùm agnoſcunt.
Ieroſolymæ in Cœnaculo.			C. 207. Apoſtolis denique, abſente Thomâ, in cœnaculo apparet, & in fide hæſitantes confirmat. Confert eis peccata ſeu condonandi, ſeu retinendi poteſtatem. Thomas per octiduum hæret dubius, nec tot oculatis teſtibus fidem habet.
Ibidem.		Aprilis 3.	C. 208. Octavo pòſt die rurſum Apoſtolis nullo abſente, ſe videndum in eodem loco exhibet. Thomam incredulum, latere aperto, & plagarum cicatricibus oſtenſis, ab infidelitate ſanat, roborat & conſolatur.
Ad mare Galilææ.			C. 209. Poſt Paſchatis & ſeptem Azymorum dies peractos, tertiâ jam vice Petro, & ſex

Digitized by Google

	Annus Chriſti	Menſis, dies.	
& ſex aliis diſcipulis in mari Galilææ piſcantibus apparet. Ioannis monitu & capturæ piſcium miraculo agnoſcitur. Hinc Petrus ad Dominum feſtinans, protinus de navigio in mare deſilit: nec jam metuit voracibus undis corpus obijcere, qui priùs ad ancillæ vocem tremens vacillaverat.	34.		
C. 210. Chriſtus Petrum plus ceteris diligentem, ſupremum ovilis ſui, ſive Eccleſiæ univerſæ creat Paſtorem: cumque de morte crucis ſubeunda præmonet.			Ibidem.
C. 211. Poſt hæc iterum ſe frequentibus diſcipulis in monte Galilææ viſendum offert. Apoſtolos per orbem univerſum legatos ſuos deſtinat, ut ubicumque gentium prædicent atque baptizent.			In monte Galilææ.
C. 212. Noviſſimè ante abitum ſuum, diſcipulis in cœnaculo Ieroſolymitano prandentibus apparet, eoſque jam mundi doctores fideique fundatores conſtitutos de propria incredulitate redarguit, ut fidem alijs prædicandam intimiùs commendet. Tandem verò Spiritu ſancto eis denuò promiſſo, Bethaniâ viſitatâ, è monte Oliveti, ſublatis manibus, cunctis benedicens, in cælum aſcendit, quadrageſimâ poſt reſurrectionem die.		5. Maij.	In Cœnaculo, & in monte Oliveti.

INDEX
NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

A

Abiathar & Achimelech fuerunt binomij. 81.
Abnegare ſeipſum quid ſit. 161.221.
Abominatio deſolationis quæ. 297. 298.
Abraham quomodò viderit diem Chriſti. 188.
Abrahæ ſinus idem quod limbus Patrum. 231.
Aceto Chriſtus illuſus. 366.368.
Aceti vis. 368.
Adamus in monte Calvariæ ſepultus. 364.
Adoleſcens in Naim reſuſcitatus. 101.
Adoleſcens dives Chriſtum ſequi recuſat. 241.
Adoleſcens in horto amictus ſindone quis. 343.
Adoratio in ſpiritu & veritate. 52.
Adventus Chriſti expectabatur deficiente ſceptro de tribu Iuda. 4.
Adventus Chriſti ad judicium erit inſtar fulguris omnibus manifeſtus. 237.299.
Adventus hic ſemper cogitandus. *V. Iudicium.*
Adulterium ſoluit matrimonium quoad thorum, non quoad vinculum. 59. 233.234.
Adultera à Chriſto abſoluta. 183.
Ædificatio Eccleſiæ ſupra petram. 159.
Ænnon locus ubi Ioannes baptizabat. 48.
Agnus paſchalis à quo immolandus. 313.
Agonia Chriſti qualis. 338.340.
Alabaſtrum unguenti quid. 105.
Alapa Chriſto inflicta in domo Caiphæ 344.
Alapæ & colaphi differentia. 348.
Alphæus ſive Cleophas frater S. Ioſephi quos habuerit filios. *v. arb. geneal.*
S. Andreas ad Chriſti contubernium cum alijs quatuor vocatur. 40.
Vocatur ad Apoſtolatum. 57.
Angeli curant parvulos. 172.
Gaudent de peccatorum converſione. 225.
Erunt inſtar meſſorum in die judicij. 118.
Angelus Chriſtum confortans 339.
Angeli frequentes ad Chriſti ſepulchrum. 377.
Quo ordine mulieribus apparuerint. Ibid.
Anguſta ad cælum porta & via eſt. 96.216.
Animam ſervare volens perdet eam. *V. Vita.*
Animæ jactura irreparabilis. 161.
S. Anna ſoror fuit Iacob, patris S. Joſephi. *v. tab. geneal.*
Annas & Caiphas an ſimul fuerint ſummi ſacerdotes. 29.314.& ſeq.
Annas quantâ fuerit auctoritate. 344.
Apud Annam Chriſtus non fuit percuſſus alapâ. ibid.
Anni prædicationis Chriſti quomodo

do computandi. *proœm. c.* 3. & pag 44.
Antichriſtus pro Meſſia recipietur à Iudæis. 80.
Apoſtoli erant ſicut oves in medio luporum. 130.
Apoſtolorum piſcatorum vocatio quando contigerit. 57. 6.
Apoſtolorum ex omnibus diſcipulis electio. 84.
Apoſtoli fuerũt velut ſal terræ. 87.
Fuerunt inter eos tria fratrum paria. 85.
Poteſtas eis data ligandi & ſolvendi. 173. 174. 386.
Qualem virgam & calceamenta portare prohibeantur. 129.
Differunt inter ſe de primatu. 169. 320.
Quale Chriſti regnum fore exiſtimarint. 255.
Erunt mundi judices, & Chriſti aſſeſſores. 24.
Conſecrati ſunt Sacerdotes & Epiſcopi. 318.
Eorum ſcandalum tempore Paſſionis Chriſti non fuiſſe mortale. 337.
Quâ ratione jubeantur ſumere ſacculum, perã & gladiũ. 323.
Quâ unctione ægros inunxerint. 132.
Apparitiones Chriſti quinque primo die. 385.
Apparitio Chriſti poſtrema poſt Reſurrectionem, facta fuit diſcipulis recumbentibus. 392.
Aquæ in vinum converſæ miraculum. 41.
Aqua viva quæ dicatur. 51
Aquilis ſimiles erunt juſti in die judicij. 238. 293.
Archiſynagogi filia vitæ reſtituta. 72.
Argenteus cujus fuerit pretij. 313.
Arida mulieris manus ſabbato curata. 82.
Arma geſtare Apoſtolis prohibitum. 129.
Arundo quaſſata & linum fumigans quid deſignent. 81.
Aſcenſus Chriſti in cælum. 394.
Atrium templi triplex. 222.
Atrium ſacerdotum non intravit Chriſtus; ſed ex atrio gentium vendentes expulit. 44. 273.
Avaritia. *V. Divitiæ.*
Azymorum uſus in Paſchate incipiebat. 312.

B

Balaam de ſtella ſub ortum Meſſiæ oritura prædixit. 19.
Baptiſmo confert Chriſtus Paſſionem ſuam. 213. 359.
Baptiſmo filij Dei renaſcimur. 4. 46.
Baptiſmus in Spiritu ſancto & igni quis dicatur. 31.
Barabbas Chriſto prælatus fuit ſemel atque iterum. 354. 357.
Bartimæus cæcus juxta Iericho ſanatus. 261.
Beati qui credunt quod nõ vidẽt. 387
Beatitudines octo totidem mundo paradoxa. 86.
Bethania ad Iordanem & Bethabara idem locus; quo Chriſtus tribus circiter menſibus commoratus fuit ante Paſſionem. 38. 224.
Altera fuit Bethania ad montem Oliveti, Marthæ & Lazari caſtellum. Ibidem.

Bethlehem Iuda dicitur ad diſtinctionem alterius Bethlehem quæ erat in Galilæa &c. 16. 19.
Bethphage quis locus. 261.
Bethſaida patria Petri & Andreæ 59.
Bethſaidæ deſertum. 1.6.
Blaſphemia in Spiritum ſanctum quæ dicatur. 107. 208.
Quâ ratione dicatur non remitti. 108. 208.
Bonis præſentibus ac futuris affluere perdifficile. 231.
Buccella Iudæ data non fuit Sacra Euchariſtia. 312.

C.

CÆci in Euangelio ſymbola fuêre humanæ cæcitatis, ignorantiæ & calamitatis. 256.
Cæci leguntur ſepties à Chriſto illuminati. 260.
1. Duo cæci ſanātur Capharnai. 74.
2. Dæmoniacus cæcus & mutus ibidem. 106.
3. Cæcus Bethſaidæ viſum recipit. 157.
4. Cæcus natus, Ieroſolymæ lumine oculorum accepto, exinde Chriſti diſcipulus factus & Martyr. 189. 190.
5. Cæcus ante ingreſſum in Iericho. 256.
6. Duo cæci curantur poſt urbis egreſſum. 260.
7. Cæci & claudi in Dominica Palmarum. 268.
Cælibatus conſulitur, non præcipitur. 235.
Cælū quomodo vim pati dicatur. 103.
Cæſarea Philippi quo loco ſita. 158.
Cainam an recenſendus in Chriſti genealogia. 14.
Caiphas ſolus fuit ſummus Pontifex tempore Chriſti patientis. 345.
Iuxta mentem ſuam non verè prophetavit de morte Chriſti 253.
Apud Caipham quæ geſta fuerint tempore Paſſionis Domini. 341. *& ſeqq.*
Calix quid in Scriptura ſignificet 255.
Calvariæ mons vnde dictus. 364.
Camelum glutire, & culicem colare, quid ſibi velit. 290.
Cana Galilææ ubi ſita. 41.
Capharnaitæ à carnis crudæ eſu abhorrebant. 145.
Capharnaum emporium celebre, civitas Chriſti dicta. 56.
Centuplum Chriſti ſectatoribus promiſſum. 243.
Centurionis ſervus ſanatur. 99.
Probabilius eſt, fuiſſe gentilē. Ibid.
Centurio ſub cruce Chriſtum confitetur. 369.
Cephas idem quod petra vel Petrus. 159.
Chananææ filia ſanatur. 15.
Chananæi qui fuerint. Ibid.
Chriſti genealogia *V. proæm c. 4. & ſeq.*
Chriſti in oculis majeſtas. 273.
Chriſti dolores omnium maximi. 340.
Chriſti Incarnatio prandio comparata. 282.
Chriſti nomen *Oriens.* 12.
Chriſti innocentiam omnis creatura teſtata eſt. 369.
Vide ſeriem geſtorum Chriſti ſuprà in *Compendio. ſeu Capitum elencho.*
Cibi non inquinant animam. 150.
Claves regni cælorum. *V. Petrus.*

Cleo-

Digitized by Google

Cleôphas civis Emmauntinus non fuit frater S Ioſephi,ſponſi B.Virginis. 383.
Cœnaculum quis locus. 313.
Cognati Chriſti cur eum quaſi mente captum abducere cogitarint. 112.
Cognatio ſpiritualis carnali præfertur. Ibid.
Cohors militum Chriſtum comprehendit. 341.
Concilium magnum 72. ſeniorum quale fuerit. 350.
Concilium de Chriſti nece. 252
Concilium univerſum tradidit Chriſtum Pilato. 352.
Confeſſio peccatorum præcepta. 386.
Cophini & ſportæ diſcrimē. 138. 154.
Corban ſeu Corbona quid ſignificet. 149.
Cornu ſymbolum eſt roboris, potentiæ, victoriæ &c. 11
Correctio fraterna. *V. Proximus.*
Crux omnibus ferenda. 132. 161. 221.
Cruci affixus Chriſtus in æneo ſerpente adumbratus. 46.
Cupiditates r. frænandæ. 88 161. *V. Abnegare ſ. ipſum.*
Curæ hujus vitę reſecādę *V. Solicitudo.*
Cuſtodes ſepulchri Domini pecuniâ corrupti. 382.

D

Decalogus juxta perfectionem Euangelicam exponitur. 88.
Dæmones cur dicti immundi ſpiritus. 58.
Dæmones à Chriſto viribus ſpoliati. 107. 199.
Quomodo cognoverint Chriſtum eſſe Dei Filium. 60.
Dæmoniaci duo apud Geraſenos liberati. 65.
Dæmoniacus Capharnai ſanatur. 58.
Alius item dæmoniacus mutus, ibidem. 74.
Alius quoque dæmoniacus cæcus & mutus. 106.
Dæmonia 7. è Magdalena eiecta. 127.
A dæmonio ſurdo & muto lunaticus liberatus. 165.
Dan oppidum ubi ſitum. 158.
Decapolis decem vrbium regio. 67.
Denarius ſeu drachma cujus pretij ſit. 282.
In deſerto 5000. virorum paſcuntur: item 4000. virorum. *V. Panes multiplicati.*
Deus ex toto corde diligendus. 285.
Didrachmū quod nummi genus. 165.
Diffidentia à Chriſto culpatur. 64. 140. 166.
Dilectio. *V. Proximus.*
Dipondium nummus duorum aſſium. 207.
Diſpenſator iniquus. *V. Parabola.*
Dives adoleſcens pauperem vitam refugit. 241.
Dives ægrè ſalvabitur. 242.
Divitis Epulonis exitus. 230.
Divitiæ ſpinis comparatæ. 116.
Divitibus væ intentatur à Chriſto. 85.
Divortium *V. Matrimonium.*
Doctrinæ & perfectionis Euangelicæ ſumma in monte Galilææ expoſita. 85. & ſeq.
Drachmæ valor. 225.
Drachma perdita. *V. Parabola.*

E.

ECcleſia eſt regnum Chriſti. 118.
Dicitur quoque regnum cælorum. Ibid.
Fundata eſt ſupra petram. 159.
Similis eſt areæ, in qua ſunt triticum & paleæ. 31.
Varijs rebus cōparatur. *V. Parabola.*
Eccleſia Sion omnium Eccleſiarum Mater. 313.
Eclipſis ſolis prodigioſa moriente Chriſto. 367.
Eleëmoſynæ commendatio. 205. 211. 228. 230. 292. 309.
Elias veniet ſub finem mundi contra Antichriſtum. 184.
Eliſabeth mater S. Ioannis Baptiſtæ fuit, conſobrina B Virginis, & neptis S. Annæ. *V. arb. geneal.*
Erubuit uterum ferens in ſenectute. 6.
Fugit cum filio in deſertum. 12.
Emmaus pòſt dicta Nicopolis. 381.
In Emmaus duobus diſcipulis apparet Chriſtus. Ibid.
Encænia quæ, & quo menſe celebrata. 222.
Ephrem ſive Ephraim oppidum. 253.
In Ephrem ſecedit Chriſtus ad dies paucos ante paſſionem. 252.
Indidem ad patiendum proficiſcitur. 253.
Epiſcopus ſit vigil, prudens, fideliſque diſpenſator. 212.
Epiſcopis & Paſtoribus vel maximè vigilandum. 302.
Epulonis & Lazari hiſtoria contra avaros profertur. 239.
Non eſt parabola, ſed vera hiſtoria. Ibidem.
Euangelij dignitas. *V. proœm. c.* 1.
Euangelij prædicatio per univerſum orbem ſignum eſt diei Iudicij inſtantis. 295.
Euangeliſtæ quo ordine & linguâ ſcripſerint *V. proœm. c.* 1.
Eorum inter ſe conſenſus. *ibid c* 2.
De Euchariſtia ſermo ad Capharnaitas. 144.
Non ſumitur carnali modo. 146.
Ejuſdem inſtitutio. 317.
Eam etiam Iudas accepit. 318.
Eandē & Emmauntinos diſcipulos ſumpſiſſe probabile eſt. 384.
Eunuchi triplices à Chriſto deſignati. 235.
Excæcationis cauſa eſt ipſa hominis malitia. 271.

F.

FAbrilem artem Chriſtus exercuit. 25.
Fermentum Phariſæorum & Sadducæorum quid denotet. 156.
Feſta Hebræorum incipiebant à veſpera pridiana. 314.
Ficui Chriſtus maledicit. 272.
Ficus fatua ſive ſycomorus quæ. 257.
Fidei ac fiduciæ vis. 166. 274.
Fides ſimilis eſſe debet grano ſinapis. 166 235.
Fides an defecerit in Apoſtolis tempore Paſſionis. 337.
Fides ſine operibus bonis ad ſalutem non ſufficit. 97. 98.
Fides in Scriptura etiam alias virtutes complectitur. 166.
Filij Dei non naſcimur per humanam generationem, ſed per Spiritus ſancti

ſancti gratiam renaſcimur. 4.46.
Fimbriæ Iudæorũ quales fuerint. 187.
Fimbriæ Chriſti contactu, ægri ſanabantur. 72.141.
Flagellatio Chriſti quàm atrox fuerit. 358.
Fletus Chriſti ſuper Ieruſalem. 66.
Non ſemel flevit Chriſtus. 250.
Fons Siloë quis fuerit. 169.
Frater fratri ſine liberis defuncto debebat ſuſcitare ſemen, ductâ illius uxore. 283.
De 7. fratribus unius uxoris maritis quæritur à Sadducæis. Ibid.
Fratres Chriſti qui dicātur. 42.112.
Fratrum loco ſunt apud Chriſtum, qui Dei mandatis obediunt. 112.
Fures ovium Chriſti qui ſint. 193.

G

Galilæam circuit Chriſtus ſemel. & iterum. 61. 126.
Galilæorum ſecta quæ. 214.
Galilæi cur à Pilato occiſi. Ibid.
Gallicinũ de quo tēpore dicatur. 338.
Garizim mons in quo Samaritanorum templum. 52.
Gaudium cæleſtis gloriæ. 37.
Gazophylaciũ quod dicatur. 185.292.
Genealogia Chriſti ex Matthæo & Luca conciliata. V. *Proœm. c. 4. & 5.*
Geneſareth urbs & regio Galilææ. 140.
Genimen vitis, ſignificat vinum ante conſecrationem Euchariſticā. 317.
Gentiles Chriſtum quærunt in Dominica Palmarum. 268.
Gentium vocatio eodem tempore à Chriſto inſinuata. Ibid.
Gentes, rejectis Judæis, vocatæ ſunt ad fidem & Eccleſiam. 216. 220. 244.
Vocatæ ſunt horâ undecimâ atque noviſſimâ. 244.
Geraſeni populi qui fuerint. 65.
Gethſemani prædium in monte Oliveti. 338.
Gladium & ſeparationem attulit Chriſtus in mundum. 131.213.
Grano frumenti ſe comparat Chriſtus. 269.
Gratia pro gratia quomodo detur. 37.
Gratia dicitur aqua viva. 51.

H

Hæmorrhoiſſa à Chriſto ſanatur. 72.
Hebdomada, ejuſque dies omnes à ſabbato denominabantur. 242.
Hebron civitas ſacerdotalis. 8.
Herodes Aſcalonita quo tempore infantes necari juſſerit. 23.
A vermibus corroſus interiit. 23.
Herodes Antipas prioris filius adulter & inceſtus. 49.
Ioannem Baptiſtam in carcerem conjicit. Ibid.
Eundem occidi mandat. 134.
Putat Ioannem in Chriſto reſurrexiſſe. 133.
Chriſtum contemnit & veſte albâ illudit. 355.
Herodiani qui fuerint. 281.
Herodias concubina Herodis machinabatur mortem S. Ioanni. 49.
Ejuſdem erga Ioannem odiũ. 135.
Horæ primariæ Judæorum; tres noſtrates continebant ſingulæ. 17.
Horâ 6. inſtante Chriſtus cruci affixus fuit. 361. 364.

Hoſanna quid denotet. 265.
Humilitas ad ſublimitatem via eſt. 169. 219. 255. *Vide, Parvulus.*
A Chriſto ſæpiùs, & vel maximè in cœna ultima commendatur. 199. 219. 314. 320.
Hydropicus in convivio principis Phariſæorum ſanatur. 218.
Hyſſopi ſpongiæ & aceti vis. 368.

I

Iacobus & Ioannes primas ſedes ambiunt. 254.
Iaïri filia à morte excitatur. 72.
Iejunium 40. dierum quando Chriſtus inchoaverit. 35.
Ieroſolymæ excidium & Judæorum punitio. 217. 237. 363.
Chriſti ſuper civitatem lacrymæ. 266.
Ignis gehennæ erit inſtar ſalis, corpora urentis, & à corruptione præſervantis. 172.
Ignem miſit Chriſtus in terram. 213.
Impoſſibile ſæpè vocat Scriptura id quod admodum difficile eſt. 243.
Ingratitudo 9. leproſorum. 178.
Ingratis civitatibus comminatur Chriſtus. 197.
Inſtitarum in funeribus uſus. 251.
Intẽtio eſt velut mẽtis oculus. 93. 110.
Invenire animam quid ſit. *V. Vita.*
Ioachim idem quod Heli ſive Heliachim. *Vide Proœm. c. 5. & arb. geneal.*
Ioannes Baptiſta in utero ſanctificatus. 5. 9.
Exultavit cum rationis uſu in eo perſeverante. 9. 12.
Habuit ſpiritum virtutemque Eliæ. 5. 164.
Convertit corda patrum in filios. 5.
Ejus nativitati interfuit Deipara. 9.
Bimulus in eremũ delatus fuit. 12.
Baptiſmus ejus qualis fuerit. 29.
Negat ſe Meſſiam eſſe. 37.
Frequentia ejus & magna de Chriſto teſtimonia. 31. 37. 38. 39. 47.
Chriſtum in Iordane baptizat. 32.
Carceri mancipatur in arce Macherunte. 49.
Diſcipulos ſuos ad Chriſtum legat. 102.
Laudatur à Chriſto. 103.
Quo mẽſe Martyr occubuerit. 134.
Ioannes Euangeliſta cum fratre à Chriſto vocatur. 57.
Non fuit ſponſus in nuptijs Canæ. 42.
Mittitur cum Petro ad parandum Paſcha. 312.
Fuit à Chriſto præ ceteris dilectus, quo titulo in primis gaudebat. 318. 367. 379. 385. 390.
In ſinu IESV recubuit. 318.
Accepit ſignum, quo proditor indicabatur. 318.
Unus ex omnibus diſcipulis Chriſto cruci affixo adhæſit. 357.
B. Virginem ut matrem ſibi à Chriſto datam obſervavit & coluit. Ibid.
Chriſtum redivivum præ ceteris agnovit. 389.
S. Ioſeph ſponſus B. Virginis quomodo dicatur filius Iacob & Heli. *V. Proœm. c. 5.*
Fuit verè & jure pater Chriſti dictus. Ibid. c 4.
Fuit vir & conjux Deiparæ. Ibid.
Quomodo de Maria deſerenda cogitaverit. 15.

Angeli monitis regebatur. 15. 22. 23.
Ioſeph ab Arimathæa nobilis ſenator, diſcipulus Chriſti, ejuſque funeris curator. 372.
Joſeph alius, Iacobi minoris frater. *V. Arb. geneal.*
Ira juxta ejus gravitatem punietur. 88.
Ira an propriè fuerit in Chriſto. 82.
Iudæi contemptui habebant gentiles. 151.
Putabant unicum fore Meſſiæ adventum, eumq; glorioſũ. 22. 164.
Cur parabolicè & obſcurè Chriſtus eis loqueretur. *V. Parabola.*
An potuerint capitis ſententiam in aliquem ferre. 353.
Iudæorum repulſa & gentium vocatio, *V. Gentiles.*
Eorum infidelitas, cæcitas & obſtinatiò. 114. 115. 271. 276.
Super Iudæorum noviſſimos venerunt ſupplicia priorũ. 206. 291.
Eorum punitio & ſtrages. 363. 267. 298.
In fine mundi convertentur. 115. 131.
Iudas Galilæus docebat à Iudæis non eſſe ſolvendum vectigal Romanis. 214.
Iudas Iſcariotes primus indignatur de profuſione unguenti, ceteroſque ad calumniandũ excitat. 263.
Chriſtum 30. argenteis vẽdit. 312.
De ejus proditione bis præmoniti ſunt Apoſtoli in cœna ultima. 316. 318.
Fuit creatus ſacerdos & Epiſcopus. 318.
Quomodo ſatanas in eum intraverit. 319.
Oſculo Chriſtum prodit. 342.
Ante Chriſti mortem laqueo vitam finit. 351.
Qualis ejus fuerit pœnitentia. 351.
Iudas Thaddæus Apoſtolus trinomius fuit. 85.
Iudicium temerarium cavendum. *V. Proximus.*
Iudicium in Scriptura ſæpè ſumitur pro condemnatione. 270.
Iudicium univerſale fiet inopinatò. 236. 299.
Iudicij dies erit omnibus manifeſtus. 236. ſup.
Erit velut dies meſſis. 118.
Dies hic incertus eſt: ut ſemper vigilemus, ne imparatos opprimat. 211. 237. 302. 304.
Iudiciũ ventilabro comparatur. 31.
Iudicij ſigna prævia. 300.
In eo etiam verbi otioſi reddenda ratio, omniumque Dei donorum. 108. 228. 306.
Iudicij univerſalis proceſſus & forma. 309.
De juramentis frivola Phariſæorum dogmata. 289.
Iugum Chriſti ſuave. 199.

L

LAcrymæ Chriſti in morte Lazari: & quæ illarum cauſæ. 250.
Sæpiùs lacrymatus eſt Chriſtus. Ibid.
Lampades 10. virginum quid deſignent. 304.
Lapidantium manibus ſe Chriſtus ſubducit. 222.
Lapis angularis & capitalis Chriſtus. 278.
Lateris Chriſti apertio, & aqua ac ſanguis

ſanguis emanans, redemptionis humanæ arcana deſignant. 37.
Latus Chriſti non à Centurione apertum fuit, ſed ab alio milite Longino. 371.
Latronum alterum tantummodò convitiatum Chriſto fuiſſe, probabilius eſt. 367.
Lazarus ad vitam revocatur. 248.
~~Lazari mendici beata mors. 230.~~
Quâ ratione dicatur quatriduanus fuiſſe. 251.
Lazari mendici beata mors. 230.
Legio quot militibus conſtiterit. 66. 343.
Legiſperitus tentandi animo quærit à Chriſto ſalutis viam. 200.
Lepra apud Iudæos ſumma erat immundities. 178.
Bis à Chriſto ſanata fuit. 98. & 178.
Leproſis urbes & caſtella ingredi nefas erat. 178.
Cur mitterentur ad ſacerdotes. 97. 178.
Leuca tria continet milliaria Italica. 249.
Libellus repudij olim Iudæis permiſſus fuit. 89. 233.
Per eum licebat, repudiatâ conjuge, aliam ducere. 89. ut ſup.
Ligandi & ſolvendi poteſtas Petro in primis, & ſucceſſoribus data. 159.
Lithoſtrotus quis locus. 361.
Longini dicti ſunt Centurio, & miles alius, qui latus Chriſti aperuit, ambo Martyres. 371.
Lucerna non ſub modio ponenda. *V. Parabola.*
Lugere in Scriptura interdum pro jejunare ponitur. 70.
Lũbos præcingere quid denotet. 211.
Lunatici curatio. 165.
Luto cæcus natus ſanatur. 190.
Lutum cuius rei ſymbolum. Ibid.

M.

MAcheruntina arx ubi ſita. 49. 134.
In Magedan Phariſæi ſignum petunt. 154. 155.
Magos ex Arabia felice veniſſe probabile eſt. 19.
Norant hi prophetiam Balaam in Arabia editam. Ibid.
Mammon ſive mammona. i. divitiæ. 229.
Mandatũ magnũ quod dicatur. 285.
Mandatum dilectionis novum à Chriſto datum. 321.
Manſuetudo Chriſti ab Iſaia prædicta. 83.
Manuũ ſuperſtitioſa lotio. 148. 290.
Margaritarum pretium &c. v. *Epiſt. nuncup.*
Non offerendæ porcis. 96.
Maria Chriſti mater deſcendit è Salomone per matrẽ ſuam Annam, per patrem verò Ioachim, ex Nathan. *V. Arb. Geneal.*
Ejus cum Ioſephô verum fuit matrimonium *V. Proœm. c. 4.*
Concipit Chriſtum ex Spiritu ſancto. 8.
Quamdiu manſerit apud Eliſabeth. 9.
Purificationis legem implevit. 20.
IESVM amiſſum in templo reperit. 25.
Ejus rogatu primum fit in Cana miraculum. 41.
Non fuit à Chriſto reprehenſa. Ibidem.

Non

Digitized by Google

Non fuit conſcia cognatorum conſilij de capiendo Chriſto. 111. 112.
Medios inter calumniatores beata proclamatur. 111.
Adſtat conſtantiſſimè Chriſto cruci affixo, & beato Ioanni in matrem datur. 367.
Prima omnium Chriſtum videt redivivum. 385.
Maria Cleophæ cur vocetur ſoror B. Virginis. 367.
Quos habuerit filios. V. Arb. Geneal.
Maria Magdalena unica eſt in Euangelio. 127.
Bis unxit Chriſtum. 104. & 262.
Septem ex ea dæmonia ejecta. 127.
Amor ejus erga Chriſtum. 105.
Marthæ ſorori ſuæ præfertur. 202.
Dux fuit ceterarum mulierum euntium ad monumentum. 379.
Prima poſt Deiparam vidit Chriſtum redivivum. 380.
Martha Chriſtū hoſpitio recipit. 202.
Mathan fuit communis avus B. Virginis ac S. Ioſephi. *V. Proœm. c.* 4. *&* 5. *& Arb. Geneal.*
Matrimonium indiſſolubile eſſe. 232. & ſeqq. *V. Lib. repudij.*
Matthæus primus Euangelij ſcriptor. *Proœm. c.* 1.
Dictus eſt & Levi. 70.
Ejus è telonio vocatio. Ibid.
Mentham & cyminum decimabant Phariſæi. 205. 290.
Meſſias à Davide Dominus vocatus. 286
Meſſiam qualem Iudæi expectaverint. 22. 164.
Meſſis quo menſe fiat in Iudæa. 50.
Metreta quæ menſura. 42.
Mina Euangelica quanti valoris. 258.
Miracula varia in horto Gethſemani à Chriſto edita. 342.
Mons Chriſti, alius fuit à monte Thabor. 84.
Mors vocatur ſomnus. 73. 249.
Mortem corporis metuendam non eſſe. 207.
Mortificatio. *V. Abnegare ſeipſum.*
Mortui tres leguntur à Chriſto reſuſcitati. 251.
Quid hi tres deſignent. Ibid.
Mulier contracta ſanatur. 215.
Mulieres multæ facultatibus ſuis Chriſtum alebant. 127. 379.
Eædem bis emerunt aromata corporis Chriſti unctioni. 373.
Valdè diluculò perrexerunt ad ſepulchrum. 375. & ſeq.
Angeli quo ordine eis apparuerint. 377.
Mulieres plangentes Chriſto crucem bajulante. 363.
Multi ſunt vocati, pauci verò electi, quo ſenſu intelligendum. 246. 281.
Mundum quomodo Chriſtus vicerit. 333.
Pro mundo Chriſtus in Cœnaculo non oravit. 334.
Myrrhatum vinum quale Chriſto propinatum. 364.

N

NAïm civitas Galilææ, ubi filius viduæ à Chriſto vitæ redditus. 101.
Ibidem Maria Magdalena putatur lacrymis pedes Chriſti rigaſſe &c. 104.
Nardus piſtica quæ fuerit. 262.
Nathanael à Chriſto vocatus. 40.

Nazarethani Chriſtum deſpiciunt, & præcipitandū ducunt. 123. 125.
Hinc indigni fuêre prædicatione & miraculis Chriſti. 126.
Prophetia de Chriſto illuſtris eis exponitur. 124.
Nazaræus cur dicatur Chriſtus. 24.
Nazarethi deſcriptio. 123.
Nicodemus noctu Chriſtum accedit. 45.
Defendit eum contra principes collegas. 181.
Copioſa defert aromata ad corpus Domini honorificè ungendum. 373.
Noctem Hebræi in quatuor vigilias dividebant. 17.
Noviſſimi primi, & primi noviſſimi qui dicantur. 217. 244. 246.
Noviſſimum locum deligendum eſſe. 219.
Nummularij iidem qui campſores. 44. 259.
Nuptias in Cana Galilææ honoravit Chriſtus &c. 41.
Nuptiæ carnales non reperiuntur in cælo. 283.

O

OBedientia Chriſti erga parentes. 26.
In primis erga Deum Patrem. 53. 79. 143. 186. 339.
Oculus, pes, manus ſcandalizans quâ ratione reſecanda. 88. 171.
Oculus quis dicatur ſimplex, quis nequam. 93. 110.
Odium patris, matris &c. quale à Chriſto præcipiatur. 221.
Offenſa proximo condonanda. V. *Proximus.*
Opera bona ad ſalutem neceſſaria. *V. Fides.*
Opera bona occultanda. 91. 92. 93. 240. 287.
Opera Chriſti operibus majora credentibus promittuntur. 325.
Opera miſericordiæ in die Iudicij coronantur. 309.
Opprobria Chriſti accuratè ſcribunt Euangeliſtæ. 360.
Orandum cum fiducia & perſeverantia. 56. 203.
Orandum & vigilandum contra tentationes. 92. 322. 338. 339.
Orandum in abſcondito. 92.
Orationem Dominicam bis docuit Chriſtus. 92. 203.
Orationis humilis commendatio in publicano &c. 240.
Oratio perſeverans & fervens omnia poteſt. 203. 239. 274.
Oratio inter ſe conſentientium efficax eſt. 174.
In oratione Chriſtus pernoctabat. 84. 311.
Oratio Chriſti in Cœnaculo. 333.
Oratio ejus in monte Oliveti, quinque ultimis vitæ noctibus. 272.
Oratio & agoniā ibidē qualis. 339.
Oratio Chriſti in cruce. 355. 36[illegible].
Oſtentatio Phariſæorum in operibus bonis. V. ſup. *Opera bona.*
Otioſus nemo in cælum admittitur. 259. 308.

P

PAleæ typus ſunt reproborum. 31.
Palmarū rami ſigna victoriȩ. 265.
Palmitibus fideles comparantur. 327. 328.

Panis

Panis apud Hebræos omnem eſcam ſignificat. 218.
Panis ſuperſubſtantialis quis dicatur. 92.
Panes quinque à Chriſto multiplicati. 136.
Aliud ſeptẽ panum miraculũ. 154.
Parabolarum uſus frequens erat apud Hebræos. 113.
Parabolæ obſcuræ cur Phariſæis propoſitæ. Ibid.
In parabolis ſępè non perſonę perſonis, neque partes partibus rei ſignificatæ; ſed tota parabola toti rei comparatur. 104.
Parabolæ Euangelicæ.
Parabola:
Amici, noctu panes ab amico petentis. 203.
Anguſtæ portæ, & arctæ ad cælum viæ. 96. 116.
Avari hominis repentinâ morte oppreſſi. 209.
Cæci cæcum ducentis. 95.
Cœnæ magnæ & invitatorum ad eam venire nolẽtium. 220.
Debitorum duorum, quibus debita inæqualia à creditore condonata 105.
Diſpenſatoris fidelis & prudentis. 212.
Diſpenſatoris iniqui. 228.
Drachmæ perditæ. 225.
Fermenti. 120. 121.
Ficus infrugiferæ. 215.
Filij prodigi. 216.
Filiorum duorum diſpari modo patri obſequentium. 276.
Fortis armati cuſtodientis atrium ſuum. 107.
Iudicis iniqui & viduæ importunè juſtitiam poſtulãtis. 239.
Parabola:
Lapidis reprobati facti in caput anguli. 278.
Lucernæ ſub modio poſitæ. 87. 110. 116.
Margaritæ inventæ. 123.
Minarum decem ſervis creditarum. 258.
Noviſſimi loci eligendi. 219.
Oculi ſimplicis & nequam. 93. 110.
Oſtij ovilis. 193. & ſeq.
Ovis cẽteſimę errantis. 173. 225.
Paſtoris boni & mercenarij. 194.
Super petram ædificantis, & ſuper arenam. 97. 98.
Phariſæi & publicani. 240.
Puerorum lamentantium & canentium. 103. 104.
Regis volentis rationem exigere à ſervis ſuis. 174.
Regis bellum meditantis. 221.
Regis nuptias filio parantis, & invitatorum venire renuentium. 279.
Sagenæ miſſæ in mare. 123.
Salis. 87. 222.
Samaritani. 200. 201.
Seminis & ſeminantis. 113.
Seminis ſenſim germinãtis. 119.
Servi ab agro regreſsi. 236.
Servorum vigilantium in domini adventum. 211.
Sinapis. 119.
Talentorum ſervis ad negotiandum commiſſorum. 306.
Theſauri in agro abſcõditi. 122.
Turris ædificandæ. 221.
Veſtis veteris, novi panni commiſſurâ non ſarciendæ. 71.

Parabola { Vineæ & operariorum. 244.
Vineæ plantatæ, & agricolarum homicidarum. 277.
Virginum prudentium & fatuarum. 304.
Zizaniorum. 118.121. }
Paralytici tres à Chriſto ſanati. 68.
Paraſceve apud Hebræos ſextus erat hebdomadæ dies, quo ſe ad ſabbatum parabant. 362.
Parvulos Chriſtus diligebat. 169. 241.
Parvuli non ſcandalizandi. 172.
Paſcha & Azymorum dies, duæ celebritates. 311.
Paſcha varia ſignificat. 312.
Quot dies duraverit hoc feſtũ. 311.
Paſcha in quo conſiſtebat. 313.
In Paſchate quanta fuerit hoſtiarum frequentia. 44.
Celebravit hoc Chriſtus eodem die quo Iudæi. 313.
Paſſio Chriſti quàm fuerit diuturna. 336.
Quàm acerba. 341.
Paſſionem ſuam ſæpiùs Chriſtus prædixit. 46. 160. 167 254.
Apoſtoli neque Paſſionis, neque Reſurrectionis Myſterium percipiebant. 160. 167. 253. 254.
Paſſio, mulieris parturientis dolo ribus confertur. 330.
Paſtor bonus, & unicus in lege promiſſus eſt Chriſtus. 194.
Paucos eſſe ſalvandos. 216. 246. 281.
Paupertas Chriſti. 17. 63.
Pauperes ſpiritu beati. 86.
Pauperes manet theſaurus in cælo. 211. 242.
Pauperes ad menſã invitandi. 219.
Pax ab Angelis annunciata. 17.
Pacem ſuis Chriſtus legavit. 326.
Peccatum eſt debitum infinitũ. 175.
Peccata parentum quomodo luant filij. 206. 291.
Peccata futura non punit Deus, ſed præterita. 189.
Peccata remittendi poteſtas. *V. Apoſtoli.*
Peccatores quâ ratione corripiendi. *V. Proximus.*
Quomodo Deus eos non exaudiat. 191.
Eorum converſione gaudent Angeli. 225. *& ſeqq.*
Iis ſe familiarem exhibebat Chriſtus. 224.
Peccatorum certam menſuram expectat Deus. 291.
Perſecutionem ſuis Chriſtus prædicit. 295.
Perſeverantia in bono coronatur. 130.
S. Petrus vocatur petra & baſis Eccleſiæ. 159.
Vnde ſemper primus ponitur in ordine Apoſtolorum. 57. 85. 128.
Petri de Chriſto confeſſio. 158.
Petrus paſſioni Domini obſiſtens ſeverè ab eo corripitur. 160.
Claves ei regni cælorum promittuntur. 159.
Fidẽ non perdidit, ſed contra fidei profeſſionem peccavit. 312. 349.
Semel iterumque de negatione Chriſti præmonetur. 312. 338.
Negationes ejus ternæ ad ignem cõtigerũt in domo Caiphæ. 349.
Quâ ratione cum Chriſtus aſpexerit. 348.
Conſtituitur paſtor & rector Eccleſiæ

cleſiæ univerſæ. 389. 390.
Chriſtus ei mortem crucis prænunciat. 390.
Phariſæorũ blaſphemiæ. 74. 107 108.
Eorum hypocriſis. 204. 207. 287. & ſeqq.
Lotiones eorum ſuperfluæ & vitia reprehenduntur. 148. 204. 287. ut ſup.
Ob cæcum in ſabbato ſanatum convitiantur Chriſto. 190.
Viperis & ſerpentibus conferuntur. 30. 291.
Quo prætextu docuerint, parentibus alimoniam negandam. 149.
Signum de cælo petunt. 109. 155.
Octies illis, væ, Chriſtus intentat. 288. & ſeqq.
Eorum de juramentis frivola doctrina. 289.
Peccabant in extruendis monumentis prophetarum. 205. 290.
In Chriſti necem conſpirant. 252. 311.
Chriſtum per miniſtros comprehendunt. 341.
Philippi vocatio. 40.
Phylacteria *V. Fimbria.*
Pilatus Galilæos in ipſo ſacrificio trucidari mandat. 214.
Variis modis Chriſtum liberare contendit. 354. 355 & ſeqq.
Sæpiùs eum innocentem pronunciat. Ibid.
Ab uxore commonetur, ne quid contra Chriſtum ſtatuat. 357.
Pilato quæ poteſtas fuerit in Chriſtum. 361.
Tradit eum crucifigendum. 362.
Titulum cruci affigi mandat. 365.
Concedit Iudæis militum cuſtodiam ad monumentum. 371.
Pilati uxor quæ fuerit, & quos paſſa terrores. 357.
Piſcatio interdum ab Apoſtolis uſurpata fuit à Chriſti reſurrectione, minimè verò poſt Pentecoſten, 388.
Piſcium captura miraculoſa, prima & altera. 61. 389.
Pœnitentiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 386.
Pœnitendum maturè, & ante numinis vindictam. 214.
Pontificum concilium de Chriſto interimendo. 311.
Pontifices Chriſto triplex crimen coram præſide obiiciunt. 353.
Chriſto Barabbam præferunt. 354.
Popularem turbam concitant. 358.
Chriſto cruci affixo inſultant. 366.
Milites ſepulchri cuſtodes pecuniâ corrumpunt. 382.
Pontifices ſupremi non fuerunt plures ſimul. 29. 345.
Porcorum greges alere poterant Iudæi. 67.
Porcos dæmonum legio ingreditur. Ibid.
Porticus Salomonis quæ fuerit. 222.
Præcepta Apoſtolis propria. 86. & ſeq. 128.
Præcepta 72. diſcipulis data. 196.
Probatica piſcina quæ. 76.
Prodigus filius *V. Parabola.*
Prodigia mortem Domini ſubſecuta. 369.
Prophetarum ſanguis effuſus, quomodo in Iudæis poſterioribus vindicatus. *V. Peccata.*

Propheta in patria ſine honore eſt. 55. 125.
Proſelyti apud Iudæos qui dicti. 289.
Proximorum loco nobis eſſe omnes homines. 200.
Proximus læſus ante ſacrificium conciliandus. 88.
Proximo ignoſcēdū. 95. 174. 235.
Idem non judicandus. 69. 95. 180.
Quâ ratione corripiendus. 173.
Quo amore diligendus. 90. 200. 185.
Ei præſtandum aut non præſtandum quod ipſi nobis fieri volumus aut nolumus. 96.
Opera proximis præſtita ipſe ſibi Chriſtus adſcribit. 132. 310.
Etiam inimici & malevoli diligendi. 90.
Pulmentarium quid ſit. 388.
Purpurea Chriſti chlamys qualis fuerit. 359.

Q

Quarētanæ deſertum ubi ſitū. 35.
Quæſtio de Ioannis baptiſmate. 275.
Quæſtio de Meſſia, cujus filius ſit. 286.
Quæſtio de mandato maximo. 284.
Quæſtio de reſurrectione mortuorum. 282.
Quæſtio de tributo Cæſari pendendo. 281.

R

Raca, quæ ſit vox. 88.
Regina Auſtri quomodo condemnabit Iudæos. 110.
Regnum Dei quâ ratione dicatur intra nos eſſe. 237.
Regnum Chriſti quale exiſtimaverint Apoſtoli. 255.
Regnum ejus non fuit de hoc mundo. 353.
Regnum cælorum comparatur cœnæ magnæ. 280.
Item rebus varijs. 118. & ſeq.
Reguli filius Capharnai ſanatur à Chriſto in Cana exiſtente. 55.
Reſurrectio Domini glorioſa. Quo tempore contigerit &c. 375 & ſeq.
Romani an Iudæis jus necis abſtulerint. 353.
Rubor cæli mane & veſpere, quod indicium. 155.

S

Sabbatū ſecūdò primum quod. 80.
Sabbatum aliquando hebdomadam ſignificat. 210.
Sabbato licet benefacere. 82.
Sabbatum quomodo dicatur illuceſcere. 376.
Sabbatum Chriſtus non violavit. 78. 216.
Sadducæi negabant reſurrectionem. 136. 282.
Sagena quid ſit. 123.
Sal ſapientiæ ſymbolum. 87.
Saliri igne, quid denotet. 172.
Saliva Chriſti ſalutifera. 153. 157.
Salome quæ fuerit. *V. Arb. geneal.* & 378.
A Salomone rectâ lineâ deſcendit S. Ioſeph ſponſus B. Virginis. *V. Arb. geneal.* ſup.
Samaritanæ converſio ad fidem Chriſti. 50. & ſeq.
Fuit hæc diſcipula Chriſti & Martyr. 54.
Samaritani negant Chriſto hoſpitium. 177.

Samaritani parabola. *V. Parabola.*
Eorum falſa religio. 52.
Eos inter & Iudæos controverſia. Ibid.
Samaritanus Chriſtus per contemptum appellatus fuit. 168.
Sanguis & aqua vera ex Chriſti latere fluxerunt. 371.
Sarepta quod oppidum. 125.
Satã vox Hebræa quid ſignificet. 160.
Satanæ caſum quomodo viderit Chriſtus. 199.
Scandalum cavendum. 88. 168. 171. 235.
Scandala fieri quomodo ſit neceſſe. 171.
Scenopegia quod feſtum. 176. 181.
Scribarum hypocriſis aliaque vitia. 205. 206. 287.
Eorũ frivolæ traditiones. 149. 287.
Comminatur eis Chriſtus. 288. 289. & ſeqq.
Seminis parabola. *V. Parabola.*
Septuaginta duo diſcipuli per Iudæam ad Euangelium prædicandum mittuntur. 196.
Sepulchri Domini celebritas & gloria. 377.
Sermo Domini in monte Galilææ. 85. & ſeqq.
Sermo Domini de S. Euchariſtia ad Capharnaitas. 142. & ſeqq.
Item ſermo ad Apoſtolos in monte Oliveti. 294. & ſeqq.
Item ſermo poſt cœnam ultimam. 314. & ſeqq.
Seſſio judiciaria Apoſtolis promiſſa. 243.
Siclus idem quod ſtater & florenus Brabanticus. 168.
Sidon & Tyrus urbes Phœniciæ. 151.
Signa excidij Ieroſolymæ & orbis. 294.
Signa excidio mundi propria. 300.
Signa temporum ignorabant Phariſæi. 155.
Signum contradictionis quale fuerit Chriſtus. 21.
Signum à Chriſto poſtulant Iudæi. *V. Phariſæi.*
Siliquæ porcorum quæ. 227.
Siloë fons ſive piſcina typus Meſſiæ. 183.
Simeon ſenex an fuerit ſacerdos. 21.
Simeon frater Iacobi fuit alius à Simone Chananæo Apoſtolo. *V. Arb. geneal.*
Simõ leproſus quis fuerit. 105. 262.
Simon & Simeon idem nomen. *V. Arb. ſup.*
Sinapis ſemen refert Euangelij propagationem. 120.
Sobe fuit mater S. Eliſabeth. *V. Arb. Geneal.*
Socrus S. Petri à febribus liberata. 59.
Solicitudo immodica vitanda. 94. 210.
Solis obſcuratio Chriſto patiente ſupra naturam fuit. 367.
Spicæ ab eſurientibus diſcipulis ſabbato velluntur. 89.
Spinea corona Chriſti qualis. 359.
Spiritus novæ legis eſt amoris ac manſuetudinis. 177.
Spiritus ſanctus dicitur fons aquæ vivæ. 51.
Quomodo arguet mundum de peccato, & de juſtitia &c. 331.
In Spiritum ſanctum blaſphemia. *V. Blaſphemia.*

Stadium octava pars milliaris Italici. 249.
Stater quis nummus. *V. Siclus.*
Stola veſtis talaris & elegans. 227.
Sudor Chriſti ſanguineus, ejuſque cauſa 340.
Surdus & mutus ſanatur. 152.
Suſanna & Ioanna Chriſti diſcipulæ. 127.
Synagogæ apud Iudæos frequẽtes 61.
Sycomorus. *V. Ficus fatua.*
Syrophœniſſa mulier unde ſic dicta. 151.

T

TAbernaculorum feſtum. *V. Scenopegia.*
Tactu Chriſti ſanantur ægri. 72. 85. 141.
Talentum quanti valoris. 175. 306.
Talionis lex juſta. 90.
Tempeſtas bis à Chriſto ſedata. 64. 139.
Templum Ieroſolymæ quot annis ædificatum. 45.
Templum olim ter in anñ viris adeundum. 25.
Templi everſio prædicitur. 293.
Templi magnificentia. 293.
Tentatio Chriſti in deſerto triplex. 35.
Tentatio cribrationi comparata. 322.
Tetrarchiæ quatuor in terra promiſſionis. 28.
Thabor montis deſcriptio. 162.
Transfiguratio in Thabor. ibid.
Theſaurizandum in cælo. 93. 211.
Thomæ incredulitas. 387.
Tibicines olim in funeribus adhibiti. 73.
Torcular quid deſignet. 277.
Trahi nos à Deo, quomodo intelligendum. 143.
Tres homines Chriſti contubernio indigni. 63.
Tribunal Hebræorum duplex. 88.
Tributum an Cæſari pendendum. *V. Quæſtio.*
Triſtitia & dolor Chriſti quantus. 340.
Tunica Chriſti inconſutilis. 366.
Tyrij & Sidonij in die iudicij minus punientur, quàm ingrati Galilæi. 198.

V

VÆ civitatibus Galilææ interminatur Chriſtus. 197.
Væ Phariſæis & Scribis. *V. Phariſæus.*
Velum templi Chriſto moriente diruptum. 269.
Vendentes ex atrio templi bis fuêre ejecti. 44. 273.
Venditionis Chriſti pretium. 312. 352.
Ventilabrum. *V. Iudicium.*
Verba Chriſti ſeptem in cruce prolata. 365. 367. 368.
Verbi divini æternitas, potentia &c. 2.
Verbum priùs inviſibile, in carne luxit hominibus, & viſibile factum. 3.
Vermes veri an apud inferos. 172.
Veſtis alba Chriſti, ſymbolum ejus innocentiæ &c. 356.
Veſtem triplicem habuit Chriſtus. 366.
Veſtium ejus diviſio. Ibid.
Viduæ laus duo minuta offerentis. 92.
Vidua iudici importuna. *V. Parabola.*

Vigilandum

Vigilandum aſſiduè in hac vita. *V. Iudicium.*

Vigilia. *V. Nox.*

Vinea. *V. Parabola.*

Vineæ comparatur ſynagoga. 277.

Virga qualis prohibeatur Apoſtolis. 129.

Virgines prudentes & fatuæ. *V. Parabola.*

Vita corporis pro nihilo habenda, ut vita animæ ſervetur. 132.161.269.

Viti ſe comparat Chriſtus. 327.

Vnctio quâ ęgros ungebant Apoſtoli, fuit Sacræ Vnctionis typus. 132.

Vnguentum Nardinum aliud erat confectum è folijs nardi, aliud è ſpicis. 262.

Vnum eſſe neceſſariũ & quod illud. 202.

Vocationis Chriſti potentia. 57.70.257.

Vſura minimè probatur in Euangelio. 257.

Z

Zachæi è ſycomoro vocatio. 257. Fuit is plurimis publicanis præfectus. Ibid. Iudæum fuiſſe probabilius eſt. 258.

Zacharias Ioannis Baptiſtæ pater non fuit ſummus ſacerdos. 5. Fuit mutus & ſurdus aliquamdiu. 6. & 10.

Zebedæi filij quomodo ignorarint quid peterent. 255.

Zelotæ qui dicti. 297.

Zelus immodicus à Chriſto reprehenſus. 177.

Zorobabel non idem eſt apud Matth. & Lucam. 34.

FINIS.

INDEX

EUANGELICARUM LECTIONUM,

Quæ Dominicis, Feſtis, alijſque diebus ex uſu Romanæ Eccleſiæ leguntur.

Dominica 1. Adventus.

c.21.25. Erunt ſigna in ſole & luna, uſque, Attendite vobis. Cap.167.

Dominica 2. Adventus.

a.11.2. Cùm audiſſet Ioannes, uſque, Amen dico vobis. Cap. 58.

Dominica 3. Adventus.

d.1.19. Miſerunt Iudæi, uſque, Altera die. Cap. 21.

Feria 4. quat. temporum.

c.1.26. Miſſus eſt Angelus, uſque, Exurgens autem. Cap. 3.

Feria 6. quat. temp.

c.1.39. Exurgens Maria, uſque, Quia reſpexit. Cap. 4.

Sabbato 4. temp. & Dominica 4. Adventus.

c.3.1. Anno quintodecimo, uſque, Dicebat ergo. Cap. 15.

In vigilia Nativ. Domini.

a.1.18. Cùm eſſet deſponſata, uſque, Hoc autem totum. Cap. 7.

In nocte Nativ. Domini.

c.2.1. Exijt edictum à Cæſare, uſque, Et factum eſt. Cap.8.& 9.

In aurora Nativ. Domini.

c.2.15. Paſtores loquebantur, uſque, Poſtquam conſummati. Cap. 9.

In die Nativ. Domini.

d.1.1. In principio erat Verbum, uſque, Ioannes teſtimonium. Cap. 1.

In feſto S. Stephani.

a.23.34. Ecce ego mitto ad vos, uſque ad finem capitis. Cap.162.

In feſto S. Ioannis Euangeliſtæ.

d.21.19. Dixit IESVS Petro Sequere me, uſque, Sunt autem. Cap.210.

In feſto SS. Innocentium.

a.2.13. Angelus Domini apparuit, uſque, Defuncto autem. Cap. 13.

Dominica infra Octav. Nativ.

c.2.33. Erant Ioſeph & Maria mirantes, uſque, Et ibant. Cap. 12.

In feſto S. Silveſtri Papæ & Conf.

c.12.35. Sint lumbi veſtri præcincti, uſque ad, Ait autem ei Petrus. Cap.119.

In feſto Circumciſionis Domini.

c.2.21. Poſtquam conſummati ſunt, uſque ad finem capitis. Cap. 10.

In

In vigilia Epiphaniæ.

a.2.19. Defuncto Herode, uſque ad finem capitis. Cap. 13.

In feſto Epiphaniæ.

a. 2. 1. Cùm natus eſſet IESVS, uſque, Qui cum receſſiſſent. Cap. 11.

Dominica infra Oct. Epiphaniæ.

c. 2. 42. Cùm factus eſſet, uſque ad finem capitis. Cap. 14.

In Oct. Epiphaniæ.

d. 1. 29. Vidit Ioannes, uſque ad, Alterâ die. Cap. 22.

Dominica 2. poſt Epiphan.

d. 2. 1. Nuptiæ factæ ſunt, uſque ad, Poſt hæc deſcendit. Cap. 24.

Dominica 3. poſt Epiphan.

a.8.1. Cùm deſcendiſſet, uſque, Et cùm veniſſet. Cap. 55. 56.

Dominica 4. poſt Epiphan.

a.8.23. Aſcendente IESV, uſque, Et cùm veniſſet. Cap. 38.

Dominica 5. poſt. Epiphan.

a. 13. 24. Simile factum eſt, uſque, Et factum eſt, cùm cõſummaſſet. Cap. 64.

Dominica 6. poſt Epiphan

a. 13. 31. Simile eſt regnum, uſque, Tunc dimiſſis turbis. Cap. 66. 67.

Dominica in Septuageſima.

a. 20. 1. Simile eſt regnum, uſque, Et aſcendens. Cap. 138.

Dominica in Sexageſima.

c. 8. 5. Cùm turba plurima, uſque, Nemo autem lucernam. Cap. 63.

Dominica in Quinquageſima.

c. 18. 31. Aſſumpſit IESVS duodecim, uſque ad finem capitis. Cap. 141. 143.

Feria 4. Cinerum.

a. 6. 16. Cùm jejunatis, uſque, Lucerna corporis tui. Cap. 51. 52.

Feria 5. poſt Cineres.

a. 8. 5. Cùm introiſſet Capharnaum, uſque, Et cùm veniſſet. Cap. 56.

Feria 6. poſt Cineres.

a. 5. 43. Audiſtis quia dictum eſt, uſque, Et cùm oratis. Cap. 50. 51.

Sabbato poſt Cineres.

b. 6. 47. Cùm ſerò eſſet factum, uſque ad finem capitis. Cap. 79.

Dominica 1. Quadrageſimæ.

a. 4. 1. Ductus eſt IESVS, uſque, Cùm autem audiſſet. Cap. 20.

Feria 2.

a. 25. 31. Cùm venerit Filius hominis, uſque ad finem capitis. Cap. 171.

Feria 3.

a. 21. 10. Cùm intraſſet IESVS, uſque, Mane autẽ revertẽs. Cap. 149. 150. 151.

Feria 4.

a. 12. 38. Acceſſerunt ad JESVM, uſque ad finem capitis. Cap. 61. 62.

Feria 5.

a. 15. 21. Egreſſus IESVS ſeceſſit, uſque, Et cùm tranſiſſet. Cap. 82.

Feria 6.

d. 5. 1. Erat dies feſtus, uſque, Propterea perſequebantur. Cap. 44.

Sabbato & Dominica 2. Quadrageſ.

a. 17. 1. Aſſumpſit IESVS Petrum, uſque, Et interrogaverunt. Cap. 91.

Feria 2.

d. 8. 21. Ego vado, & quæretis, uſque, Hæc illo loquente. Cap. 107. 1. parte.

Feria 3.

a. 23. 1. Super Cathedram Moyſi, vſque, Væ vobis Scribæ. Cap. 161.

Feria 4.

a. 20. 17. Aſcendẽs IESVS Ieroſolymã, uſque, Et egredientibus. Cap. 141. 142.

Feria 5.

c. 16. 19. Homo quidam erat dives, uſque ad finem capitis. Cap. 129.

Feria 6.

a. 21. 33. Homo erat paterfamiliâs, uſque ad finem capitis. Cap. 155.

Sabbato.

c. 15. 11. Homo quidam habuit duos filios, uſque ad finem capitis. Cap. 127.

Dominica 3. Quadrag.

c. 11. 14. Erat IESVS ejiciens dæmoniũ, uſque, Turbis autẽ. Cap. 60. 61. 62.

Feria 2.

c. 4. 23. Utique dicetis mihi, uſque, Et deſcendit Capharnaum. Cap. 71.

Feria 3.

a. 18. 15. Si peccaverit in te, uſque, Ideò aſſimilatum eſt. Cap. 99.

Feria 4.

a. 15. 1. Acceſſerunt ad IESVM, uſque, Et egreſſus inde. Cap. 81.

Feria 5.

c. 4. 38. Surgens IESVS de ſynagoga, uſque ad finem capitis. Cap. 34. 35.

Feria 6.

d. 4. 5. Venit IESVS in civitatem, uſque, Poſt duos autem dies. Cap. 29.

Sabbato.

d. 8. 1. Perrexit IESVS in montem, uſque, Iterum ergo. Cap. 106.

Dominica 4. Quadrag.

d. 6. 1. Abijt IESVS trãs mare, uſque, IESVS ergo cũ cognoviſſet. Cap. 78.

Feria 2.

d. 2. 13. Prope erat Paſcha, uſque ad finem capitis. Cap. 25.

Feria 3.

d. 7. 14. Iam die feſto mediante, uſque, Chriſtus cùm venerit. Cap. 04.

Feria 4.

d. 9. 1. Præteriẽs IESVS vidit hominem, uſque ad finem capitis. Cap. 108.

Feria 5.

	Feria 5.	
c. 7. 11.	Ibat IESVS in civitatem, uſque ad finem cap.	Cap. 57.
	Feria 6.	
d. 11. 1.	Erat quidam languens, uſque, Collegerunt ergo.	Cap. 139.
	Sabbato.	
d. 8. 12.	Ego ſum lux mundi, uſque, Dixit ergo iterum.	Cap. 107.
	Dominica in Paſſione.	
d. 8. 46.	Quis ex vobis arguet, uſque ad finem cap.	Cap. 107. 2. parte.
	Feria 2.	
d. 7. 32.	Miſerunt principes, uſque, Nondum enim erat.	Cap. 105.
	Feria 3.	
d. 7. 1.	Ambulabat IESVS in Galilæā, uſq;, Iā autē die feſto.	Cap. 101. 104.
	Feria 4.	
d. 10. 22.	Facta ſunt Encænia, uſque ad finem cap.	Cap. 125.
	Feria 5.	
c. 7. 36.	Rogabat IESVM quidam, uſque ad finem cap.	Cap. 59.
	Feria 6.	
d. 11. 47.	Collegerunt pontifices, uſque ad finem cap.	Cap. 140.
	Sabbato.	
d. 12. 10.	Cogitaverunt principes, uſque, Cùm autem tot ſigna. ~~in fine~~ 148. 149. 150.	Cap. 147. *in fine.*
	Dominica in Palmis.	
a. 21. 1.	Cùm appropinquaſſet IESVS, uſque, Et cùm intraſſet	Cap. 148.
a. 26. & 27.	Paſſio Domini: Scitis quia poſt biduum. &c.	Cap. 183. & ſeqq.
	Feria 2. majoris hebdomadæ.	
d. 12. 1.	Ante ſex dies Paſchæ, uſque, In craſtinum autem.	Cap. 147.
	Feria 3.	
b. 14. & 15.	Paſſio Domini.	Cap. 183. & ſeqq.
	Feria 4.	
c. 22. & 23.	Paſſio Domini.	Ibid. 183.
	Feria 5. in cœna Domini.	
d. 13. 1.	Ante diem feſtum Paſchæ, uſque, Amen, amē dico vobis.	Cap. 174.
	Feria 6. in Paraſceve.	
d. 18. & 19.	Paſſio Domini.	Cap. 183. ut ſup.
	Sabbato ſancto.	
a. 28. 1.	Veſpere autem ſabbati, uſque, Undecim autem Apoſtoli.	Cap. 203.
	Dominica Reſurrectionis.	
b. 16. 1.	Maria Magdalene, uſque, At illæ exeuntes.	Cap. 203.
	Feria 2.	
c. 24. 13.	Duo ex diſcipulis, uſque, Dum autem hæc loquuntur.	Cap. 206.

Feria

Digitized by Google

Feria 3.

c, 24. 36. Stetit IESVS in medio, uſque, Vos autem teſtes. Cap. 207. 212.

Feria 4.

d, 21. 1. Manifeſtavit ſe iterum, uſque, Cùm ergo prandiſſent. Cap. 209.

Feria 5.

d, 20. 11. Maria ſtabat ad monumentũ, uſque, Cùm ergo ſerò eſſet. Cap. 205.

Feria 6.

a, 28. 16. Vndecim diſcipuli abierunt, uſque ad finem cap. Cap. 211.

Sabbato in Albis, Oct. Paſchæ.

d. 20. 1. Vna Sabbati Maria Magdelene, uſq;, Abierũt ergo iterũ. Cap. 204.

Dominica in Albis, Oct. Paſchæ.

d. 20. 19. Cùm eſſet ſerò die illa, uſque ad finem cap. Cap. 207. 208.

Dominica 2. poſt Paſcha.

d, 10. 11. Ego ſum paſtor bonus, uſque, Proptereà me diligit. Cap. 109.

Dominica 3. poſt Paſcha.

d, 16. 16. Modicum, & jam non, uſque, Et in illo die. Cap. 181.

Dominica 4. poſt Paſcha.

d. 16. 5. Vado ad eum, uſque, Omnia quæcumque. Cap. 181.

Dominica 5. poſt Paſcha.

d. 16. 23. Amen, amen dico vobis, uſque, Reſpondit eis IESVS. Cap. 181.

Feria 2. & 3. in Rogationibus.

c. 11. 5. Quis veſtrûm habet amicum, uſque, Et erat eijciens. Cap. 115.

In vigilia Aſcenſionis.

d. 17. 1. Sublevatis IESVS oculis, uſque, Pater ſancte. Cap. 182.

In feſto Aſcenſionis Domini.

b, 16. 14. Recumbentibus undecim, uſque, Et dixit eis. Cap. 212.

Dom. infra Oct. Aſcenſionis.

d. 15. 26 & c, 16. Cùm venerit Paraclitus, uſq;, Hæc autẽ vobis. Cap. 180. in fine, 181.

Sabbato in vigilia Pentecoſtes.

d, 14. 15. Si diligitis me, mandata mea ſervate, uſque, Dicit ei Iudas. Cap. 179.

Dominica Pentecoſtes.

d, 14. 23. Si quis diligit me, uſque, Surgite, eamus hinc. Cap. 179.

Feria 2.

d. 3. 16. Sic enim Deus dilexit, uſque, Poſt hæc. Cap. 26.

Feria 3.

d. 10. 1. Amen, amen dico vobis, uſque, Ego ſum Paſtor bonus. Cap. 109.

Feria 4. Quat. Temp.

d. 6. 44. Nemo poteſt venire ad me, uſque, Litigabant. Cap. 80.

Feria 5.

c. 9. 1. Convocatis IESVS, uſque, Audivit autem Herodes. Cap. 73.

Feria 6.

Feria 6. quat. temporum.

c.5. 17. Factum eſt in una dierum, uſque, Et poſt hæc abiit. Cap. 40.

Sabbato quat. temp.

c.4 38. Surgens IESVS de ſynagoga, uſque ad finem cap. Cap. 34. 35.

In feſto Sanctiſſimæ Trinitatis.

a. 28. 18. Data eſt mihi omnis poteſtas, uſque ad finem cap. Cap. 211.

Dominica 1. poſt Pentecoſt.

c.6. 36. Eſtote miſericordes, uſque, Non eſt enim. Cap. 50. in fine. 53.

In ſolemnitate Corporis Chriſti.

d.6. 56. Caro mea verè eſt cibus, uſque, Hæc dixit in ſynagoga. Cap. 82. ultra medium.

Dominica 2. poſt Pentecoſt.

c. 14. 16. Homo quidam fecit cœnam, uſque, Ibant autem turbæ. Cap. 123.

Dominica 3. poſt Pentecoſt.

c. 15. 1. Erant appropinquantes, uſque, Ait autem. Cap. 126.

Dominica 4 poſt Pentecoſten.

c. 5. 1. Cùm turbæ irruerent &c. uſque, Factum eſt, cùm eſſet. Cap. 36.

Dominica 5 poſt Pentecoſten.

a. 5. 20. Amen, amen dico vobis, niſi abundaverit, uſque, Eſto conſentiens. Cap. 49.

Dominica 6. poſt Pentecoſten.

b. 8. 1. Cùm turba multa, uſque, Et exierunt Phariſæi. Cap. 84.

Dominica 7. poſt Pentecoſten.

a. 7. 15. Attendite à falſis Prophetis, uſque, Multi dicent. Cap. 54.

Dominica 8. poſt Pentecoſten.

c. 16. 1. Homo quidam erat dives, uſque, Qui fidelis eſt. Cap. 128.

Dominica 9. poſt Pentecoſten.

c. 19. 41. Cùm appropinquaret IESVS, uſque Principes autem. C. 149. 151.

Dominica 10 poſt Pentecoſten.

c. 18. 9. Dixit IESVS ad quoſdam, uſque, Afferebant autem. Cap 134.

Dominica 11. poſt Pentecoſten.

b. 7. 31. Exiens IESVS de finibus, uſque ad finem capitis. Cap. 83.

Dominica 12. poſt Pentecoſten.

c. 10. 23. Beati oculi, uſque, Factum eſt autem. Cap. 112. in fine. 113.

Dominica 13. poſt Pentecoſten.

c. 17. 11. Dum iret IESVS in Ieruſalem, uſque, Interrogatus. Cap. 103.

Dominica 14 poſt Pentecoſten.

a. 6. 24. Nemo poteſt duobus dominis, uſque Nolite ergo ſoliciti. Cap. 52.

Dominica 15. poſt Pentecoſten.

c. 7. 11. Ibat IESVS in civitatem, uſque, Et exijt. Cap. 57.

Digitized by Google

Dominica 16. poſt Pentecoſten.

c. 14. 1. Cùm intraret IESVS in domū, uſque, Dicebat autē & ei. Cap. 123

Dominica 17. poſt Pentecoſten.

a. 22. 35. Acceſſerunt ad IESVM Phariſæi, uſque ad finem capitis. Cap. 159.

Feria 4 quatuor temp. Septemb.

b. 9. 16. Reſpondens unus de turba, uſque, Et inde profecti. Cap. 93.

Feria 6. quatuor temp.

c. 7. 36. Rogabat IESVM quidam Phariſæus, uſque ad finem cap. Cap 59.

Sabbato quatuor temp.

c. 13. 6. Arborem fici habebat quidam, uſque, Dicebat ergo. Cap. 120 121.

Dominica 18. poſt Pentecoſten.

a. 9. 1. Aſcēdēs IESVS in naviculā, uſq; Et cū trāſiret. C. 39 in fine & C. 40.

Dominica 19. poſt Pentecoſten.

a. 22. 1. Simile factum eſt regnum, uſque, Tunc abeuntes. Cap. 156.

Dominica 20. poſt Pentecoſten.

d. 4. 46. Erat quidam regulus, uſque, Hoc iterum. Cap. 30.

Dominica 21. poſt Pentecoſten.

a. 18. 23. Simile eſt regnum cælorum, uſque ad finem capitis. Cap. 100.

Dominica 22. poſt Pentecoſten.

a. 22. 15. Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, uſque ad finē cap. Cap. 157.

Dominica 23. poſt Pentecoſten.

a. 9. 18. Loquente IESV ad turbas, uſque, Et tranſeunte. Cap. 42.

Dominica 24. poſt Pentecoſten.

a. 24. 25. Cùm videritis abominationem, uſque, De die autem. Cap. 166. 167.

Vide ſuprà Dominicas poſt Epiphaniam, juxta Rubricas Miſſalis vel Breviarij Romani.

EUANGELICÆ LECTIONES SANCTIS PROPRIÆ.

In Vigilia S. Andreæ Apoſtoli.

d. 1. 35. Stabat Ioannes, & ex diſcipulis, uſque ad finem capitis. Cap. 23.

In feſto S. Andreæ.

a. 4. 18. Ambulans IESVS juxta mare, uſque, Et circuibat. Cap. 32.

In feſto S. Nicolai.

a. 25. 14. Homo quidam peregrè, uſque, Accedens. Cap. 170.

In Conceptione B. Virginis.

a. 1. 1. Liber generationis, uſque ad, Omnes itaque. Cap. 6.

In feſto S. Thomæ Apoſtoli.

d. 20. 24. Thomas unus de duodecim, uſque, Multa quidem. Cap. 207. 208.

Digitized by Google

In feſto Cathedræ S. Petri Romæ.

a.16.13. Venit IESVS in partes Cæſareę, uſque, Tũc IESVS dixit. Cap 88.

In feſto Converſionis S. Pauli.

a.19.27. Dixit Simon Petrus ad IESVM, uſque ad finem capitis. Cap.137.

In Feſto Purificationis B. Virginis.

c.2.22. Poſtquam impleti ſunt dies, uſque, Et erat pater ejus. Cap. 12.

In feſto Cathedræ S. Petri Antiochiæ.

a.16.13. Venit IESVS in partes, uſque, Tunc IESVS dixit. Cap. 88.

In feſto S. Mathiæ Apoſtoli.

a.11.25. Reſpondens IESVS dixit, uſque ad finem capitis. Cap.112.

In feſto S. Ioſeph Confeſſoris.

a.1.18. Cùm eſſet deſponſata, uſque Hoc autem totum. Cap. 7.

In feſto Annuntiationis B. Virginis.

c.1.26. Miſſus eſt Angelus, uſque, Et diſceſſit. Cap. 3.

In feſto S. Marci Euangeliſtæ.

c.10.1. Deſignavit Dominus & alios, uſque, In quamcumq; autẽ. Cap.110.

In feſto SS. Apoſtolor. Philippi & Iacobi.

d.14.1. Non turbetur cor veſtrum, uſque, Si quid petieritis. Cap.179.

In feſto Inventionis S. Crucis.

d.3.1. Erat homo ex Phariſæis, uſque, Sic enim Deus dilexit. Cap. 26.

In feſto Apparitionis S. Michaëlis Archang.

a.18.1. Acceſſerũt diſcipuli ad IESVM, uſque, Venit enim Filius. C.96.98.

In feſto S. Barnabæ Apoſtoli.

a.10.16. Ecce ego mitto vos, uſque, Cùm autem perſequentur. Cap. 74.

In Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ.

c.1.5. Fuit in diebus Herodis, uſque, Et dixit Zacharias. Cap. 2.

In feſto Nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ.

c.1.57. Eliſabeth impletum eſt tempus, uſque, Et erexit. Cap. 5.

In Vigilia SS. Apoſtolor. Petri & Pauli.

d.21.15. Dixit IESVS Simoni Petro, uſque, Et cùm hoc dixiſſet. Cap.210.

In feſto SS. Apoſtolor. Petri & Pauli.

a.16.13. Venit IESVS in partes, uſque, Tunc præcepit. Cap. 88.

In feſto Viſitationis B. Virginis.

c.1.39. Exurgens Maria abijt, uſque, Manſit autem Maria. Cap. 4.

In feſto S. Mariæ Magdalenæ.

c.7.36. Rogabat IESVM, uſque ad finem capitis. Cap. 53.

In feſto S. Iacobi Apoſtoli.

a.20.20. Acceſſit ad IESVM mater, uſque, Et egredientibus. Cap.142.

In feſto S. Annæ, matris B. Virginis.

a.13.44. Simile eſt regnũ cælorum theſauro, uſque, Et factũ eſt, Cap.69.70.

In feſto

In feſto S. Petri ad vincula.

a.16.13. Venit IESVS in partes &c. ut ſuprà. Cap. 88.

In Vigilia S. Laurentij Mart.

a. 16. 24. Si quis vult poſt me venire, uſque, Amen dico vobis. Cap. 90.

In feſto S. Laurentij.

d. 12 24. Niſi granum frumenti, uſque, Nunc anima mea. Cap. 150.

In Vigilia Aſſumptionis B. Virginis.

c. 11. 27. Loquente IESV ad turbas, uſque, Turbis autem. Cap. 62.

In feſto Aſſumptionis B. Virginis.

c. 10. 38. Intravit IESVS in quoddã caſtellum, uſque ad finem cap. Cap. 114.

In feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.

c. 6. 12. Exijt IESVS in montem orare, uſque, Et ipſe elevatis. Cap. 47.

In feſto Nativitatis B. Virginis.

a. 1. 1. Liber generationis, uſque, Omnes itaque. Cap. 6.

In Vigilia S. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ.

c. 5. 27. Vidit IESVS publicanum, uſque, At illi dixerunt. Cap. 41.

In feſto S. Matthæi.

a. 9. 9. Vidit IESVS hominem, uſque, Tunc acceſſerunt. Ibid.

In feſto Dedicat. S. Michaëlis Archang.

a. 18. 1. Acceſſerũt diſcipuli ad IESVM, uſque, Venit enim Filius. C. 96. 98.

In feſto S. Lucæ Euangeliſtæ.

c. 10. 1. Deſignavit Dominus & alios, uſque, In quamcumque. Cap. 110.

In Vigilia SS. Apoſtolor. Simonis & Iudæ.

d. 15. 1. Ego ſum vitis vera, uſque, In hoc clarificatus. Cap. 180.

In feſto SS. Apoſtolor. Simonis & Iudæ.

d. 15. 17. Hæc mando vobis, uſque, Cùm autem venerit. C. 180. ultra mediũ.

In Vigilia omnium Sanctorum.

c. 6. 17. Deſcendens IESVS de monte, uſque, Secundùm hæc. Cap. 47. 48.

In feſto omnium Sanctorum.

a. 5. 1. Videns IESVS turbas, uſque, Sic enim perſecuti. Cap. 48.

In commemoratione omnium fidelium defunctorum.

d. 5. 25. Amen dico vobis, quia venit hora, uſque, Non poſſum ego Cap. 44. parte 2.

In feſto S. Martini Epiſcopi Confeſſoris.

c. 11. 33. Nemo accendit lucernam, uſque, Et cùm loqueretur. Cap. 61. circa medium.

In feſto S. Catharinæ Virg. & Mart.

a. 25. 1. Tunc ſimile erit regnum cælorum, uſque, Sicut enim. Cap. 169.

In anniverſario Dedicat. Eccleſiæ.

c. 19. 1. Ingreſſus IESVS perãbulabat, uſque, Hęc illis audientibus. C. 144.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA.

IN ep. nuncup. fol. 2. circa finem paginæ lege *cernimus.* In procem. c. 2. linea 9. à fine capitis lege *rerum omnium.* Procem. c. 5. pag. penult. lin. 7. lege υἱὸς. Pag. 3. lin. 30. in marg. lege adæquatum. P. 12. lin. 13. in marg. l. ἀνατολὴ. P. 20. l. 10. in marg. lege *puerperam.* P. 21. l 12. in marg. poſt *Ieroſolymam*, pone *punctum.* P. 25. in marg. lin. 6. l. Marc. 6. v. 3. P. 71. lin. 18. in marg. l. *diſcipulos ſuos.* P. 81. l. 10. in marg. l. *& diſcipulorum.* P. 89. l. 4. à fine l. *non niſi.* P. 92. *Cùm autem ieiunatis* l. ult. in textu, pone in marg. numerum 3. P. 109. l. ult. l. 25. *& infrà* 85. P. 140. l. ult. l. cap. 39. P. 159. lin. 14. in not. l. *Eccleſiæ.* P. 189. l. 6. in text. l. *ſed ut.* P. 194. lin. 13. pone in marg. num. 2. P. 197. lin. 5. à fine l. *lacum.* P. 213. l. penult. l. c. 49. P. 217. lin. 20. in text. l. *Lapidas.* P. 221. lin. 6. in text. poſt, *diſcipulus*, adde: *Et qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Pag. 252. lin. 1. in text. l. *dixit eis.* Poſt pag. 284. pone in ſeq. pag. in principio: 285. Item l. ult. l. *holocautomatibus.* P. 293. lin. 3. in text. l. *ædificationes.* P. 296. lin. 3. in text. l. *uſque in finem.* P. 302. lin. 1. pone Caput CLXVIII. Pag. 308. lin. 3. à fine, l. *ſi non habeat.* Pag. 324. lin. 7. in marg. l. *confidite.* P. 325. lin. 1. l. *Domine.* P. 330. l. 3. l. *afflictionibus.* P. 331. l. 1. *De peccato &c.* Idem bis imprimitur. P. 351. lin. 1. *Et ſurgens*, pone in marg. *Luc.* 23. 1. P. 353. l. penult. l. *æternum.* P. 354. lin. 7. in not. l. *annuntiem.* P. 364. l. 2. l. *oblatum ſibi.* P. 365. lin. 6. à fine, l. *crucifixiſſent.* P. 370. lin. 12. in Not. l. *copioſas.* P. 378. lin. 2. l. *diſcipulis.* Item lin. 6. à fine l. *capitis.*

AD MAIOREM
DEI GLORIAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ed by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google